


A 13891

DE HISTO-
ria stirpium commen-
tarij insignes, Leonharto
Fuchsio medico
autore.

*

ELB
GVHN.
BIBL.

Accessit ijs succincta vocum obscurarum in hoc opere occurrentium explicatio, Vnà cum triplici indice, Græcas, Latinas, & herbarijs, seu officinis vsitatas nomenclaturas continente.

Adiecimus præterea indicem vulgarium seu Gallicarum dictionum, nunquam antehac excusum.

LVGDVNI,
Apud Gulielmum Gazellum.
M. D. XLVII.

Ex libris Caspari Bauhini Basil. et Medicinæ Doctoris.

ILLVSTRISSIMO ET CHRISTIANISSIMO

Principi ac Domino, Domino Ioachimo, Sacri Romani imperij electori, Marchioni Brandenburgensi, Stetinæ, Pomeraniæ Cassuborum, Sclauorumq; Duci, Burggrauio Norinbergensi, necnon Rugiæ Principi, Domino suo longè clementissimo, LEONHARTVS Fuchsius medicus

S. P. D.

Herbariã medicinã multũ ad mirationis & laudis semper obtinuisse. Stirpiũ origo diuina

QVANquam vniuersa medicina nullis non seculis gloriosa & diuina sit habita, Illustrissime ac generosissime Princeps tamen in hoc eius summo splendore semper plus laudis, admirationis ac ponderis, ea illius pars quæ naturas stirpium vestigat, rimaturq;, obtinuit: idq; partim quòd vetustate, cuius maxima semper apud omnes autoritas & veneratio fuit, esset antiquissima: partim etiam quòd iucũda, vtilis & necessaria eius esset cognitio. Nam cùm reliquæ propemodum omnes artes, simulatq; à Deo opt. max. creatus est homo inuentæ sint, ac subinde multorum industria auctæ, solæ herbæ post condita statim elementa, nullo; adhuc existente homine, vnà cum diuinis suis viribus, ita iubente Deo, è terræ latebris eruperunt. Vt hoc nomine

2074 a 1984

nomine nullius rei aut artis inuentio verius quã medicinæ & stirpium, Deo aßignetur. Cuius rei Moses in sua geneſi teſtis omnium qui aliquid ſcripſerunt vetuſtiſsimus, & non minus profanis quàm noſtris admirabilis atq; venerandus. Teſtes item ſunt poëtæ Græcorum antiquiſsimi, Orphæus, Muſæus in Poly laudibus Heſiodus in ijſdem, & Maluæ & Aſphodeli viribus. Homerus in Nepenthe, Loto, Moly herba Mercurio inuenta: Latini autem Ouidius, dum medicinæ inuentionem Apollini tribuit. Vergilius, dum paſſim dictamni & aliarum herbarum naturam miſcet. Plantas autem atque adeò Plantarum ipſarum vires omnes, tum à primis qualitatibus profectas, tũ quas tota ipſarum ſubſtantia occultas tegit, methodo experientiaq; pernouiſſe, quæ ſit non iucundum modò, ſed etiam vtile ac etiam neceſſarium, ad ſanitatẽ (qua nihil homini prius & optatius eſſe poſſit) vel præſentem tutandam, vel abſentem reuocandam, abundè prodit veterũ etiam regum in eam rem ſtudium nobile ac ſtrenuum, quo horum quiſque tum de poſteris bene mereri, tum nomen ſuum apud eos immortale reddere conatus eſt, ſuo nomine plantis à ſe inuentis impertito. Hinc Gentiana, Lyſimachia, Mithridatia herba ſcordium etiam dicta, à potentiſsimis regibus, Illyriorum Gentio, Macedonum Lyſimacho, Ponti & Bithyniæ Mithridate appellatæ ſunt: vt à Teucro Teucrium, ab Achille Achilleia, à Chirone Centauro Centaurium, ab

Moſes ſcriptor omniũ antiquiſsimus

Artemisia Cariæ regina, & aliæ ab alijs plurimæ, & inuentæ, & dictæ fuerunt. Quin & Mithridates idem, Attalus Pergami, Salomon Iudæorum, Euax Arabum, Iuba Mauritaniæ rex, plãtarum noscendarum non studiosi modo fuerunt, sed horum plærique de his accuratè quædam scripserunt, alij composita ex his non pauca medicamenta miscuerunt, magno mortalium commodo. Adde quòd Romani reges pariter ac Imperatores in multis regionibus herbarios magno sumptu alebant, vt simplicium medicamentorum, sed optimorum notitia, & sibi esset vsui, & ad posteros vsque permanaret. Idem quoque studium Philosophos tenuisse, his colligas licet, quòd Pythagoras Bulbos, Chrysippus Braßicam, Zeno Capparim, Aristoteles rem herbariam volumine iusto celebrauit. Quàm vellem huius ætatis Reges ac Principes alios in idem studium incumbere, vel saltem viros bonos rei plantariæ studiosos, sumptu iusto iuuare. Quàm vellem quoque huius tempestatis medicos: hanc medicinæ partem diligentius tractare, neque totam Pharmacopolis & rusticis mulierculis permittere. Iam enim & morbis ratione certa mederi scirent: iam medicamenta methodo componere, iam compositorum vires expendere, iam cõpositis rectè vti profectò possent. Quæ verò lapidem non mouerunt Theophrastus, Dioscorides, Galenus, vt plantarum non modò historiam, sed vniuersam quoque naturam nobis exprimerent? Quo Deus bone studio Hermolaus

Barbarus

Bærbarus & Ioannes Ruellius Plinij exemplo ex varijs veterum libris rem plantariam restituere conati sunt? Vt eo nomine vterque hac ætate doctissimus de posteris præclarè sit meritus, vt etiam me non pudeat apertè fateri, Ruellij commentarios multum mihi profuisse, vt idem de Hermolai, & Marcelli, & Othonis Brunfelsij, Euricij Cordi, Hieronymi Tragi scriptis polliceär. Quorum longè doctissimorum virorum studium imitatus, hos de historia stirpium commentarios, maximis cum vigilijs, tum sumptibus confeci. Primùm vniuersam cuiusque stirpis historiam breuiter & ordine optimo complexus. Deinde singularum imagines viuis proximas, quàm cæteri omnes artificiosius expressi, vt etiam vulgares quasdam nõ prætermittendas censuerim, ne olim à posteris ignorentur, quomodo plurimæ Dioscoridis seculo notiores, quàm vt eas putarit describendas, hodie etiam doctissimis & diligentissimis ignorentur. Addidimus quoque vulnerarias præsertim plurimis chirurgis vsu quotidiano cognitissimas, quas ineptis nominibus exprimere, quam tacere maluimus. dum quod nomen apud Græcos aut Latinos germanum sunt sortitæ, si tamen sunt sortitæ, ignoretur. Appinximus & arbores aliquot, ob id quòd ad earum folia sæpius Dioscorides herbarũ quoque folia comparat. Quas porro plantarum vires ex Dioscoride, Galeno, Aëtio, Paulo, Simeone, Plinio, recensemus, si vno ore ab omnibus confirmantur, suscipiendæ: Si in his dissentitur, Gale

nus tibi præter cæteros imitandus, vt qui methodo inuentas plantarum facultates experientia lõga comprobarit. In his autem describendis, Galenum, Aëtium, Paulum sequutus, literarum Græcarum ordinem tenui, non cum Dioscoride congeneres paßim herbas connexui, quòd hæ in idem tempus non incidant perfectæ, quales nobis ad vsuas repræsentare in animo fuit, ob id vmbris pictorum libidini consuetis abstinere voluimus, ne veram plantæ formam obscurarent. Quum verò vsitato more patronum aliquem ijs nostris cõmentarijs quærerem nobilitate & virtutum splẽdore ex re excellentem, nemo omnium cui iustius quàm tibi Illustrißime Princeps Ioachime, clarißimo heroi, hos dedicandos esse putarem occurrebat. Nam si generis tui vetustatem atque nobilitatem spectο, nemo te hodie Principum aut melior, aut præstantior, vt pote cuius maiores à Guelfis, qua vix vlla in Germania vetustior est nobilitas ortos esse constat. Quòd si eorundem virtutes expendo, nullam prorsus virtutem magnis & bonis Principibus dignam illis defuisse video. Proinde cùm in spem certißimam adduceremur, nostras has vigilias non vulgarem gratiam ex amplißimi nominis tui inscriptione apud candidos & æquos inituras, foreq; vt eam ob causam maledicorum conuiciatorum petulantia perfringe retur, te quidem in tanto ornatißimorum Principum numero mihi delegi, cui potißimũ has ipsas consecrarem. Quare cùm eas suscipies illustriß.

PRIN

PRINCEPS, commendari tibi defensionem & conseruationem huius partis medicinæ, quæ stirpium naturas inquirit, statues. Quam vt cupide & libenter in te recipias, multa scio mouebunt: potissimum verò hoc ipsum, quòd vix ex vlla alia re magis diuina præsentia & benignitas eluceat, quàm ex tam varia stirpium tum forma tum natura, dum scilicet omnes illas ad vsum hominis conditas à Deo ipso perpendimus. Si quid igitur aliud, herbarum certè diligens contemplatio excusitat, imò confirmat in animis nostris opinionem hanc, quòd homines Duo curæ sint, qui tã anxiè laborauit in ijs iuuandis ac tuendis, dũ tot elegantissimis atque præstantissimis stirpibus quibus illi tam varios morbos propulsare possunt, terram exornauit. Non parum etiam ad eam suscipiendam curam te præclarissimorum tum Regum tum principum exemplа, quæ suprà recitauimus, hortabuntur. Sed omnium maximè immẽsa commoditas quæ ex istius partis medicinæ conseruatione ad vniuersos perueniet. Ad herbariæ deniq; medicinæ tũ amorẽ tum defensionem miræ quoq; iucunditas, quæ in cõtẽplandis tot herbarũ generibus animum subibit tuũ, inuitabit. Quid enim iucundius, quid delectabilius quàm intueri stirpes, quas Deus opt. max. tot tamq; varijs pinxit coloribus, tot elegãtissimis redimiuit floribus, quorum colorem nullus vnquam pictor satis exprimere potuit: tot denique seminibus & fructibus, quorũ & in culina & in medicina vsus est

Diuinæ præsentia & benignitas ex stirpibus, ipsis elucet.

maximus, ornauit? Verùm nõ est cur te pluribus in admirationem huius partis medicinæ pertrahere coner, vt pote qui antea studio & amore eius sic tenearis, vt vix sit aliud quod te magis delect. Nunquam enim in extruendis hortis tot arboribus atque herbis consitis, tantum operæ & impensarum poneres, si non illuc te rei iucunditas ac singularis amor pertraheret. Reliquum nũc est illustri. PRINCEPS, vt pro tua excellenti humanitate, quæ vestræ familiæ cognata est, munus hoc nostrum tanquam specimen & testem mei erga C.T. amoris & obseruantiæ, exporrecta læta; fronte accipias, atque me tuo fauore complectaris, & autoritati ab inuidorum calumnijs defendas. Bona autem spes est hunc hortum quem donamus C.T. fore longè gratissimum, non tantùm quòd in eo omnis ferè generis herbas elegantissimè pictas reperire queas, verùm etiam quod inde ad quæuis morborum genera remedia decerpere tibi liceat. Deus opt. max. te tuamq; ditionẽ incolumen seruet, vt Reipub. Christianæ, atque literis diutissimè prodesse possis. Tubingæ, Calen. Martijs, Anno à nato Christo. M. D. XLII.

GRAECARVM NOmendationum Index Alphabeticus.

Ἀβρότονον 9
Ἀγριοκάρδαμον 348
ἄγρωστις 162
ἀδίαντον 98
ἄδιφον 212
ἀϊζωον 40
ἀϊζωον ἄγριον 851
αἰγόκιρως 848
ἄιρα 152
ἀκαλύφη 128
ἄκανθος ἢ ἄκανθα 61
ἄκανθα λευκὴ 64
ἀκόνιτον 106
ἄκορον 17
ἀκτὴ 76
ἀλθαία 22
ἄλισμα 51
ἀλκία 97
ἀλκιβιάδιον 294
ἄλοη 164
ἄλσινη 29
ἀμάρακον 619 & 707
ἀμάρακος 122
ἄμμι 79
ἄμμις λευκὴ 116
ἄμμις μέλαινα 120
ἄμπελος οἰνοφόρος καὶ ἄμπελος 102
ἀναγαλλὶς 26
ἀναγαλλὶς ὑγρὰ 765
ἀνδρόσαιμον 91 & 884
ἀνδράχνη 134
ἄνηθον 37
ἀνθεμὶς 32
ἀνθρωποειδὲς μορφὴ 567
ἄνισον 73
ἀνωνὶς 70
ἀπήρινη 59
ἄπιος 157
ἀρίσαρον 81
ἀριστολοχία 110
ἄρκιον 87
ἀρκεύθος ἢ ἀρκευθὶς 93
ἀρνόγλωσσον 45
ἄρον 81
ἀρτεμισία 53
ἄσαρον 13
ἀσκληπιὰς 155
ἄσκυρον ἢ ἀσκυροειδὲς 90
ἀσπάραγος 67

ἀετὸς ἀττικός 160
ἄζριον 482
ἀσφόδελος 138
ἀτρακτυλὶς 147
ἀτραφαξὶς 144
ἀφάκη 133
ἀχίνθιον 1

Βακωτὴ 184
βάρυθρον 178
βασιλικὸν 588
βάτος 180
βατράχιον 186
βήχιον 169
βίκιον 198
βλήχων 219
βλτιον 199
βολβὸς ἄγριος 193
βοτάνιον ἔρμον 510
βότρυς 202
βουλώνιον 160
βούγλωσσον 171
βούκερως 848
βουνιὰς 201
βούφθαλμον 173
βράθυς 178
βρύον 190
βρυωνία 116
βρῶμος 207

Γαλιόβολον 216
γαλῆοψις ibidem
γάλλιον, ἢ γαλλίριον, ἢ γαλάτιον 218
γεντιανὴ 223
γεράνιον 229
γῆς σίφανος 934
γιγίδιον 237
γλήχων 219
γλυκύῤῥιζα 212
γλυκυσίδη 225
γναφάλιον 242
γογγύλη, ἢ γογγυλὶς 233

Δαμασώνιον 51
δαῦκος 252
δάφνη ἀλεξάνδρεια, ἢ ἰδαία 259
δαφνοειδὴς 247
διὸς βάλανος 406
δίψακος 243
δρακοντία μεγάλη, ἢ δρακόντιον μίγα 255
δρῦς 249
δύσοσμον 820

Εβενότριχον 98
Εβίσκος 22
ἐλατήριον 744
ἐλελισφακὸν 271
ἐλίνιον 264
ἐλιοσέλινον 295

ἁλίχρυσον 123
ἁλίβορος λευκός 296
ἁλίνη κισσάμπελος 283
ἁλίνη 303
ἅλυμος 278
ἀμπίτρον 770
ἀπιφυλλόκαρπον 260
ἀπλάφυλλον 285
ἀρίβινθος 291
ἀρίκη 280
ἄρπυλλον 274
ἀρυθρόδανον 306
ἁρμοῦ βοτάνιον 510
ἀρύσιμον 281
ὄὐζωμον 287
ἀσπατώριον, ἢ ἀσπατώριον 267
ἀυφροσύνη 269
ἄφυδρον 347
ἐφήμιρον 261 & 381
ἄχιον 294

Ζειὰ 308
ζιζάνιον 152

Ἡδύοσμος 312
ἡμιονῖτις 317
ἡπατώριον 267
ἠριγέρων 310
ἠρύσιον 319
Θερμὸς ἥμερος 332
θηλυσπερὶς 634
θλάσπι, ἢ θλασπίδιον 329
θρίδαξ 322
θύαρος 152 θύμβρα 327 θύμος 879

Ἰβερὶς 348
ἰβίσκος 22
ἱεραβοτάνη 629
ἱεράκιον 343
ἰξὸς 353
ἴον πορφυροῦν 335
ἰπποσίλινον 351
ἵππουρις 346
ἶρις 339
ἶρις ἀγρία 261
ἰσάτις 354
ἶσχας 157
ἰτέα 357
ἰχθυόθηρον 484

Καλαμίνθη 467
καλλίτριχον 98
κάνναβις 425
κάπνος 361
κάρδαμον 388
καρδαμαντικὴ 348
κάρος 428
κάρπα ποντικὴ 429
κάρυον βασιλικὸν 408 κασύθα 372
κάστανα 406

κίγχρος 441
κινταύριον μικρὸν 417
κιρατίτις 348
κίρασος 457
κίσηρις 375
κίστις, ἢ κρόταφος 362
κιρκαία 567
κίρσιον 364
κισσὸς 452
κλιματὶς βαφυπλὴς 385
κνίδη 128
κνίκος 440
κνίκος ἀγρία 147
κοκκιμηλία 453
κολοκύνθα ἰδιώδιμος 395
κολοκυνθὶς 399
κολυτία 479
κολχικὸν, ἢ ἐφήμερον 381
κομμι 374 κόριον, ἢ κορίανον 365
κορωνόποδες 482
κράμβη ἢ ἥμερος 443
κριθὴ 471
κρίνον 391
κρόκος 475
κρόμμυον 462
κρότων 362
κύαμος 420
κύανος 460
κυδωνία μηλία 402
κυκλάμινος 484
κιμωὶς 478
κυνόγλωσσον 439
κυνοκράμβη 478
κυνὸς ὄρχις 596
κύπειρος ἢ κύπερος 488
κώνειον 437
Λαγώπους 526
Λαθυρὶς 491
λάπαθον 497
λάπις 527
λημώνιον 502
λῖπιον 391
λίχὴν 509
λίκνος 667
λιπάριδιον 518
λιποκάρυα 429
λευκάνθεμον 601
λευκοΐον Διοσκορίδου 494
λευκοΐον Θεοφράστου 520
λιβανωτὶς 513
λιθόσπερμον 522
λιμνήσιον καὶ λιμναῖον 417

417
λινόζωσις 510
λινόζωσις ἀγρία ἄβρὸν 478
λίνον 506
λόγιμον 406
λυσιμάχιον 523
Μαλάχη 540
μανδραγόρας 567
μάραθρον 537
μίλαν πράσιον 184
μελάνθιον 536
μελίλωτος 563
μιλτοσάφυλλον, ἢ μιλίφυλλον 530
μύκων ἥμερ☉ 552
μύκων κερατίτις 555
μύκων ῥοιάς 549
μίλαξ 758 & 760
μίνθη 312
μορία 557
μυρίκη 546
μύρρις, ἢ μύρρα 562
Νάπυ 577
Νάρδος ἀγρία 910
Νήριον 581
Νυμφαία 573
Ανθιον 616
Οη 615
Οινάνθη 601
ὄκιμον 587
ὀμφαλόμαρωσος 59
ὀξυάκανθα 583
ὄξυς 603
ὀριοσέλινον 610
ὀρίγανος 592
ὄρμινον 605
ὄροβ☉ 608
ὄσυρις 585
ὄρχις 596
ὄρχις σιράπιας 599
ὀφιόγλωσσον 615
Πανσία 225
Παρθένιον 619
πεντάφυλλον 663
πέπλ☉ 644
πεῤδίκιον 303
πεῤικλύμενον 685
πεῤισεριὼν 629
πεῤσικὴ μηλέα 641
πεταδίτις 683
πετροσέλινον 694
πετροσέλινον ἄγριον 610
πευκέδανος 637
πήγανον κηπευτὸν 654
πίσον 667

πίκ 510 752
πολυγόνατον 629 σατύριον βασιλικὸν
πολύγονον ἄῤῥεν 754
652 σίλινον κηπαῖον 782
πολυπόδιον 624 σίρις 715
πολύτριχον 98 σίσελι κριτικὸν 861
ποταμογείτων 691 σίσελι τὸ μακεδονικὸν λιωτι-
πράσιον 626 κὸν 834 σῦτλον
πράσιον μίλαν 184 856 σιδηρῖτις 814
πράσον 673 σίκυος, ἢ σίκυος ἥμερος
προσώπιον, ἢ προσω- 737
πὶς 87 σίκυος ἄγριος 744
πταρμικὴ 678 σίλφιον 804
πτέρις, ἢ πτέριον σίνηπι 577
633 σίνηπι ἄγριον 329
πυὶς 682 σῖον 765
πύριθρον 680 σίσαρον 789
πυρὸς 687 σισύμβριον 762
Ῥάφανος, ἢ ῥαφα- σκίλλα 828
νὶς 700 σκόλυμος 839
ῥοδία ῥίζα 706 σκόρδιον 820
ῥοδοδάφνη 581 σκόροδον 774
ῥοδόδενδρος ibidem σμίλαξ λεῖα 760
ῥόδον 696 σμίλαξ τραχεῖα 758
Σάμψυχον 707 σμίλαξ κηπαῖα 749
σαρδιάνα βάλα- σμύρνιον 800
νος 406 σογχίτης 343
σαρξίφαγον, ἢ σαρξί- σόγχος 713
φαγον 770 σπαναχία 709
σατύριον τρίφυλλον σπάρτιον, ἢ σπαρτίον
799

799 σκόλυμος 317
σαυροῦρος 450
σάφις ἀγρία 831
σαφυλίνος 721
σάχυς 811
σαχυίτης 691
σιχάς 823
σπατιώτης ὁ χιλιόφυλλος 767
σπόνδιλον 825
σπύχνος 724
συκαμινία 557
συκῆ ἥμερος 791
σύμφυτον 732
σχοινόσπορος 425

Τελίφιον 851
τιθύμαλος 882
τρῦπλον 856
τῆλις 848
τιθυμάλος 863
τύρβυλον, ἢ τορβύλιον 861
τραχόσπωγον 874
τρίοργις 599
τρίφυλλον 868
τρίφυλλον ἐν χορτοκοπίοις γενόμενον 872 τριχόμανες 843 τρύχνος 724
τύφη 875

Υάκινθος 890
ὑδροπίπερι 897
ὑδροσέλινον 295
ὑοσκύαμος 887
ὑσσωπικόν 884
ὕσσωπος 895

Φακύς, ἢ φακῆ 913
φάσγανον 616
φίλυρα 919
φιλάνθρωπος 59
φλόμος 901
φοῦ 910

Χαμαιάκτη 76
χαμαιβάλανος 157 χαμάιδρυς 882 & 927
χαμαικισσος 934
χαμαικυπάρισσος 931
χαμαιλέων λευκός 939
χαμαιλέων μέλας 942
χαμαίμηλον 619
χαμαιπίτυς 884 & 945
χαράδρανον 347
χελιδόνιον μέγα 922
χελιδόνιον μικρόν 924

χρ

χρυσάνθεμον 937
χρυσολάχανον 144
Ψ Ευδένδρεος 951
ψίλωθρον 116
ψόλιον 948
ψυχότροφον 376
Ω Κιμολία 954
ὠνωνις 70

LATINARUM appellationum Index.

A Brotonum 9
Abſinthium 1
Acanthus ſiue Acantha 61
Aconitum 106
Acorum 17
Adiantum 98
Ainga ſiue Abiga 945
Aizoon 40
Alcea 97
Alcibiacum 294
Aliſma 51
Allium 774
Aloen 164
Alſtriæ 29
Althæa 22
Amaracum 619
Amaracus 707
Amarantus 122
Ambubeia 716
Ammi 79
Anagallis 26
Anagallis aquatica 765
Andrοſæmon 91 & 885
Anethum 37
Anethũ vaccinũ 174
Angelica 150
Anguria 737
Aniſum 73
Anonis 70
Anthemis 32
Aparine 59
Aphaca 717
Aphace 133
Apiaſtrum 186
Apium agreſte. ibidem
Apium hortenſe 782
Apium montanũ 610
Apium paluſtre 295
Apium ſaxatile 694
Apios 157
Apollinaris 887
Ariſtolochia 110
Armoracia 701
Arnoglοſſum 45

Artemisia 53 & 381
Arum seu Aris 81
Asarum 13
Asclepias 155
Ascyrum 90
Asparagus 67
Asphodelus 138
Aster atticus 160
Atraclylis 147
Atriplex 144
Auena 207
Auricula muris 29
Ballote 184
Balsamine 210
Barba caprina 204
Batrachium 186
Beta 856
Beta syluestris 502
Bellis siue Bellius 176
Betonica 375 & 378
Blattaria 205
Blitum siue blitus 199
Botrys 202
Bous lingua 172
Brassica satiua 443
Bubula lingua 171
Buglossum ibidem
Buglossum magnum 364
Bulbus syluestris 193
Buphthalmum 173
Buxus 682
Calamintha 467
Callitrichum 98
Catha vel calthula 413
Campanula 466
Canina brassica 478
Canina malus 567
Cannabis 425
Capillaris 843
Capsella 329
Carduus 839
Carduus veneris 243
Carduus suarius 939
Carduus niger 942
Cardiaca 427
Caron, vel careũ 428
Caryophyllata 415
Cassutha 372
Casta herba 225
Castanea 406
Centummorbia 452
Centunculũ aut centuncularis herba 242
Cepa 462
Cerasus 457

Chamæciparissus 931
Chamædaphne 385
Chamæleō albus 939
Chamæmelon 32
Chamæpitys 885
Chelidonium maius 922
Chelidonium minus 924
Chrysanthemū 937
Cicer 291
Cicerbita 713
Cicuta 437
Cinara 839
Cincinnalis 98
Citrago 530
Clematis Daphnoides 385
Cnicus & Cneeus 440
Cnicus syluester 147
Colubrina 256
Columbaris seu colūbina 629
Colutea 479
Colus rustica 147
Coma 874
Cōsolida media 423
Consolida minor 176
Conuoluulus 283
Corion seu Coriannon 366
Corona regia 563
Corona veneris 762
Cotonea malus 402
Crambe 443
Christa gallinacea 629
Crocus 475
Cruciata 450
Cucumis seu cucumer 737
Cucumis anguinus 744
Cucurbita 395
Cucurbita syluestris 399
Cunila 327
Cyanus 460
Cydonia 402
Cynia 478
Cynosorchis 596
Cyperus & Cipirus 488
DAmassoniū 51
Daphnoides 247
Daucus 252
Dolichi 749

Dracunculus maior 2551
Dulcis radix 212
E Biscus 22
Ebulus 76
Echium 294
Elenium 264
Elleborus albus 296
Elleborus niger adulterinus 301
Ephemerum 261
Equinalis herba 346
Equisetum ibidem
Erica 280
Eruca 287
Eruum 608
Eryngium 319
Eupatorium 267
Eupatorium adulterinum 289
F Aba 420
Farrago 813
Farsaria 169
Febrifugæ 417
Fel terræ ibidem
Ficus satiua 791
Filicula 624
Filix 633
Flos frumentorũ 462
Fœniculum 533
Fœnungræcum 848
Fontalis 691
Fragaria 905
Fumaria 361
Fusus agrestis 147
G Aleopsis 216
Gallion 218
Geminalis 606
Genista 239
Genistella 241
Gentiana 223
Geranium 229
Gingidium 237
Gith 536
Gossipium 618
Gramen 162
H Alicacabum 724
Hedera 452
Hedera terrestis 934
Hedypnois 716
Helxine 303
Helxine Cissampelos 283
Hemionitis 317
Hepatorium 267
Hiberis 348
Hieracium 343
Hierobotane 629
Hirci barba 874

Hirudinaria 452
Hordeum 471
Hordeum distichum 472
Hordeum polystichum Ibidem
Hyacinthus 890
Hydropiper 897
Hyoscyamus 887
Hypericum 884
Hyssopus 895

I
Biga 945
Ibiscus 22
Illecebra 851
Inguinalis 160
Intubus 715
Inula 264
Iouis glans 406
Irion 281
Iris 339
Iris syluestris 261
Isatis 354
Inglans. 408
Iuniperus 93
Iunonis rosa 391

L
Abrum Veneris 243
Lactaria herba 863
Lactuca 322
Lactuca caprina, aut marina 863
Lactuca syluatica 343
Lamium 504
Lanaria herba 825
Larix seu Larex 527
Laser, seu Laserpitium 804
Lathyris 491
Lauer 765
Laurus alexandrina, aut Idæa 259
Lens siue lenticula 913
Lepidon 348 & 518
Leporinus pes 526
Leucoion Dioscoridis 494
Leucoion Theophrasti 520
Lichen 509
Ligustrum 514
Lilium 391
Limonion 502
Lingua canina 439
Lingua serpentina 615
Linum 506
Lithospermum 522
Lolium 152
Lunaria minor 516

Lupinus satiuus 332
Lupus salictarius vel reptitius 190
Lychnitis 902
Lycoctonum 107
Lysimachia 523
Maiorana 707
Mala insana 572
Malua 540
Malus Cotonea 402
Marrubium 626
Melilotus 563
Melones 737
Menta 312
Menthastrum 312
Mercurialis 510
Mercurialis syluestris mas 478
Milium 441
Millefolium 619
Mors vermium 8
Morus 557
Myrice 546
Myrrhis 562
Napus 201
Napus bunias satiuus & syluestris Ibidem
Nardus syluestris 910
Nasturtium agreste 348
Nasturtium satiuum 388
Nepeta 468
Nerion 581
Nigella 536
Nummularia 452
Nux auellana 429
Nux Regia & persica 408
Nux castanea 406
Nux pontica 429
Nymphæa 573
Ocimum 587
Ocimastrũ 954
Oenanthe 602
Olus atrum 351
Ononis 70
Ophioglossu 615
Ophris 605
Orchis 596
Origanum 592
Orminum 606
Osyris 585
Oxalis 497
Oxyacantha 583
Oxylapathum 497
Oxys 603
Paeonia 225

Panicum 278
Papauer corniculatum 555
Papauer nigrum 536
Papauer rhœas 549
Papauer satiuum 552
Parthenium 619
Pastinaca 721
Pedicularis herba 831
Peplos 644
Pepones 737
Petasites 683
Petroselinum 694
Petroselinũ syluestre 610
Persoliata 671
Persicaria 670
Persica malus 641
Personatia 82
Pes anserinus 692
Pes cornicis 482
Peucedanus 637
Phu 910
Pinastellus 638
Piperitis 771
Pistolochia 113
Pisum 667
Pituitaria 831
Plantago 45
Polygonatum 622
Polypodium 624
Polytrichon 669
Polytrichum 98
Porrum 673
Portulaca 134
Potamogeton 691
Præneſtina nux 429
Proſerpinaca 652
Prunus 453
Pſeudonardus 951
Pſilothrum 116
Pulegium 219
Pulicaris herba 948
Pulmonaria 677
Pyrethrũ ſyluestre 678
Quercus 249
Quinquefolium 663
Radicula 700 & 825
Radix 700
Ranunculus 186
Raphanus 700
Raphanus ſyluestris 157
Rapũ 233 & 484
Rhodia radix 706
Rhododendron 581
Ricinus 362
Roſa 696
Roſmarinus 513

Rubia 306
Rubus 180
Rumex 497
Ruta hortensis 654
Sabina siue Sauina 178
Sagminalis herba 629
Salinaris 680
Salix 357
Salix equinalis 346
Saluia 271
Saluia syluestris 606
Sambucus 76
Sanguinalis 482 & 652
Sanguinaria 482
Sanicula 711
Sardiana glans 406
Satyrum regiũ 754
Satyriũ trifolium 752
Saxi fraga 770
Scandulaceum 329
Scilla 828
Scorpium 107
Scythica radix 212
Secale 812 Sedum 40
Semen 308
Semen lumbricorum 8
Seminalis 652
Senetio 310
Sentes 180
Septifolium 285
Seriola 716
Seris 715
Serpentaria 452
Serpẽtaria maior 255
Serpyllum 274
Sertula campana 563
Seseli creticum 861
Seseli Maßiliense 834
Sideritis prima 814
Siliquastrum 771
Sinapi 577
Sion 765 Siser 789
Sisymbrium 762
Sisymbrium cardamine 763
Sitanium 688
Smilax aspera 758
Smilax hortẽsis 749
Smilax lœuis 760
Smyrnium 800
Solanum 724
Solidago 732
Solis oculus 619
Sonchus 713
Sorbus 613
Spartum 799
Spina alba 64
Spinacia vel Spinaceũ olus

olus 709
Spina mollis 364
Stachys 811
Sternutamẽtaria 678
Stichas 823
Stratiotes millefolia 767
Strobilus 839
Succisa 755
Supercilium terræ 98
Syluæ mater 685
Symphytum 732
Tamarix 546
Telephium 851
Terminalis 425
Terræ capillus 98
Terræ corona 934
Terrestris malus 567
Testiculus serapias siue orchis 599
Teucrium 882
Teucrion Plinij 317
Thlaspi 329
Thymbra 327
Thymus 879
Thryallis 902
Tilia 919
Tintinabulum terræ 502
Tithymalorum genera plura 863
Tordylon, siue Tordylion 861
Thrichomanes 843
Trifolium odoratum 868
Trifolium pratense 872
Triticum 687
Trissago 927
Trixago palustris 820
Tuber terræ 484
Tussilago 169
Typha 875
Veratrum album 296
Verbascum 901
Verbascula ibidem
Verbenaca 629
Vernilagium 942
Vesicaria 724
Vetonica 375
Vitia 198
Victoriola 260
Viola 494
Viola alba 494 & 520
Viola matronalis 338
Viola muraria vel purpurea 335
Viscum 353

Vitis

Vitis alba 116
Vitis nigra 120
Vitis vinifera 102
Vmbilicus terræ 484
Volucrum maius 685
Vrceolaris 303
Vrtica 128
Vrtica labeo 216
Vua crispa 208

X Anthium 616
Xylon 618

Z Ea 308

Index Nomenclationum quibus officinæ Seplasiariorũ, & Herbarij nostri temporis vtuntur.

A Brotonum 9
Absinthium 1
Acorum 17
Acus pastoris 230
Acetosa 498
Acutella 70
Affodillus 138
Agrimonia 267 & 660
Alchimilla 650
Alliaru & alliaria 227
Alleluya 603
Allium 774
Alkakengi 724
Aloe 164
Altaraxacon 717
Altercum 887
Ameos 79
Amoris poma 572
Anethum 37
Anisum 73
Apium hortense 782
Apium agreste 186
Aquilegia 125
Archangelica 504
Arcocus 840
Aristologia 108
Armoracia 701
Artemisia 53
Arthanita 484
Arthetica herba 901
Articocalus 840
Asa fœtida 806
Asarum 13
Aspergula 218
Asprella 346
Atriplex 144.
Auena 207

B Alsamita 762
Baptisecula 460
S. Barbaræ herba 785

Bardana 82
Basilicon 588
Bedegarim siue Bedeguar 654
Belzuinum 806
Benedicta herba 415
Berberis 583
Betonica 378
Bipennula 648
Bistorta 285 & 818
Bismalua 22 148
Bombason 618
Bombax ibidem
Bonifacia 259
Bonus Hēricus 498
Borrago 171
Branca vrsina 61
Bruscandula 190
Bryonia 116
Bucheiden 754
Bugloss̄a 364
Bugloss̄ū syluestre 294
Bursa pastoris 329 & 649
Calamētū 467
Calendula 413
Camomilla 32
Campana 264
Campanella 760
Canapus 425
Candela regis, quæ & candelaria 901
Capillus veneris 98
Caprifolium 685
Caputi caules 444
Cardo fullonum, seu Carduus fullonius 243
Cardopatium 539
Carduus Benedictus 148
Carota 721
Cartamum 440
Cartamus syluestris 147
Catasilago 769
Carui 428
Castrangula 216
Cataputia maior 362
cataputia minor 491
cauda equina 346
caulis 443
cauta 619
cepa 462
cepa syluestris 193
centauria minor 417
centumnodia 652
centuncapita 319
chamædrys 927
chærefolium 237

chei

cheiri 494
chelidonia 922
cheruilla 789
cicer 291
cichorea 716
cicuta 437
cicutaria 562
citonia 402
citrul i vel citreoli 738
coloquintida 399
colubrina 818
condisi 825
consolida maior 732
consolida minor 176
coriandrum 366
cornu ceruinum 482
corrigiola 652
cotula fœtida 619
cotula nõ fœtida 173
cotum 618
crassula maior 851
cresio hortensis 388
Crocus 471
crocus hortensis 440
cuculus 724
cucumer seu cucumis 737
cucumer asininus 744
cucurbita 345
cuscuta 372
cyclamen 484
cynoglossum 439
cypirus 485
cypressus 932
Dens leonis 717
Diapensia 712
Digitalis 952
Digiti citrini 754
Elleborus albus 296
Endiuia vera 716
Enula 264
Enula campana ibidẽ
Equina mentha 312
Eruca 287
Esula 644
Esula rotunda 863
Euiscum 22
Eupatorium adulterinum 289
Euphrasia 269
Faba 420
Faba crassa 851
Faseoli 749
Ficaria 216
Ficus satiua 791
Filago 769
Filipendula 601
Filix 633
Flammula 186

Flos

Flos amoris 122
Flos februarij 521
Flos omnium mensium 413
Fœniculum 533
Fœniculus Porcinus 637
Fœnumgræcum 848
Fortis, seu fortis herba 769
Fuga dæmonum 885
Fumus terræ 361
Funis arborum 760

Gallitrichum 606
Genesta, siue Genestra 239
Gentiana 223
Glastum 354
Gratia dei 230
Guadum 354

Hedera terrestris 934
Hepatica 509
Herba diui Ioannis 884
Herba fortis 769
Herba fullonum 825
Herbæ paralysis 901
Herba Roberti 230
Herba stellæ 482
Hermodactylus 382
Hirundinaria 155
Hispanach 709
Hispanicum olus ibidē
Hordeum 471
Humulus 190
Hypericum 884
Hyssopus 895

Iacobi flos 781
Iarum 81
Indicum 354
Ionis barba 40
Iringus 319
Iris 339
Iua muscbata 945
Iuniperus 93
Iusquiamus 887

Keirim 494
Kerua 362

Lactuca 322
Lactucella 713
Lanaria 901
Lapatium acutū 497
Lapparia inuersa 616
Lappa maior 82
Lappa minor 616
Larga 527
Laureola 247
Lens 913

Le

Leuisticum 800
Lilium album 391
Lilium conallium 261
Liliũ inter spinas 685
Linaria 585
Lingua bouis 364
Lingua cerui 317
Linum 506
Liquiritia 212
Luparia 107
Lupinus 332
Lupulus 190

Maiorana 707
Malua 540
Maluauiscum 22
Mandragora 567
Marrubiũ nig. 184
Marrubiastrum ibidem
Mater sylua 685
Matricaria 55
Melanzana 572
Melilotum 563
Melissa 530
Mentha 312
Mẽtha aquatica 762
Mẽtha Romana 312
Mentha Saracenica ibidem
Mercurialis 510
Milium 441
Milium solis 522
Millefolium 767
Millemorbia 216
Mora Vaticana 180
Morella 724
Morsus diaboli 756
Morsus gallinæ 29
Morus celsi 557
Muralis 303
Muscata 230

Nasturtiũ 388
Nasturtium aquaticum 762
Nasturtium tectorum 329
Nenuphar 573
Nigella 536
Nil 354
Nilech ibidem
Nux 408

Ocularia 269
Oculus bouis aut vaccæ 173
Oleander 581
Ophthalmica 269
Orobus 608
Origanum 592
Os mundi 133
Osatis 354
Osteritium 805

Pa

PAEonia 225
Pagana lingua 259 Palma christi 362 & 754
Pampinula 648
Panis cuculi 603
Panis porcinus 159 & 484
Panis terræ ibidem
Papauer 552
Papauer cornut. 555
Papauer rubeũ 549
Parietaria 303
Pastinaca 789
Pastoria bursa 649
Pentadactylon 362
Pera pastoris 649
Perforata 884
Persicca 641
Peruinca 385
Pes anserinus 692
Pes asininus 127
Pes columbinus 230
Pes corui 186
Pes leonis 650
Pes vituli 81
Petroselinum 610
Phasioli 749
Pilosella 645
Pimpinella 647
Piper Hispanum, seu Indianum 772
Piperitis 518
Plantago 45
Podagra lini 372
Polypodium 624
Polytrichon 843
Porrum 673
Portulaca 134
Potentilla 660
Prasium 626
Prasium fœtidum 184
Primula veris 176
Prunella 262
Pruneola, siue Prunula 453
Prunus ibidem
Pseudomelanthion 153
Psyllium 948
Pulegium 219
Pulegium syluestre 468
Pyrethrum 680
Pyrethrum syluestre 678
Pyrola 502
Quercus 249
Quinque folium 603
Quercula minor 927

Raphanus minor & maior 700
Rapistrum 281
Rapum 233
Rapunculus ibidem
Remora aratri 70
Resta bouis ibidem
Rhabarbarū monachorū 498 Ribe 705
Roberti herba & Robertiana 230
Rosa 696
Rosæ caninæ 697
Rosmarinus 513
Rosmarinus aculeatus 241
Rostrum ciconiæ 229
Rostrū porcinū 717
Rubea tinctorum 306
Ruta 654
Sacerdotis virile 82
Salicaria 523
Saluia 171
Saluia vita 770
Sanamunda 415
Sancti spiritus radix 150
Sãdaracha arabū 94
Sanguisorba 836
Sanicula 711
Saponaria 825
Sardianæ glãdes 406
Satureia 327
Sauina vel Sabina 178
Saxifraga lutea 787
Saxifraga maior 786
Saxifraga rubea 602
Scabiosa 657
Scariola 716
Scelerata 186
Scolopendria 317
Scrophularia 924
Scrophularia maior 216 Semperuiuum marinū 165
Semper viuum 40
Sena 479
Serrata, siue Serratula 927
Serpentaria minor 81
Serpentariæ officinarū 818
Serpyllum 274
Serpyllū romanū 879
Seruilla 789
Serullum ibidem
Sigillum Salomonis 622

Si

Siler montanum 834
Simeonis herba 97
Sinapi 577
Sinapi rusticum 329
Sinapi syluestre 281
Sitanium 688
Solatrum 724
Solidago Saracenica 768
Sorba 613
Sorgi 816
Sparagus 67
Spelta 308
Sphatula fœtida 843
Spica 951
Squilla 828
Staphisagria 832
Stellæ herba 482
Stichas arabica 823
Stichas citrinum 123
Stramonia 726
Succus cyrenaicus 806
TAmariscus 546
Tanacetum 55
Tanacetum syluestre 660
Tapsus barbatus 901
Taraxacon 717
Testiculus canis 597
Testiculus vulpis, aut sacerdotis 752
Tilia 919
Tinctorius flos 860
Tormentilla 285
Trifolium 868 & 872
Trifolium acetosum 603
Trifoliũ humile 526
Trinitas ibidem
Trinitatis herba 854
Triticum 687
Tunica 378
Turcicum frumentum 877
VAleriana 910
Verbena 629
Vernix 94
Veronica 192
Vincaperuica 385
Vincetoxicum 155
Viola 335
Virga pastoris 243
Viscum 353
Vitealis 283
Vitis syluestris 133
Viticella 116
vngula caballina 169
Volubilis maior 760

Volubilis media 283
Vrinalis herba 585
Vrtica 128
Vrtica iners mortua, vel alba 504
Vua lupina 724
Vua versa seu vlpina 107
Vua vulpis 724
Vularia 259
Zinziber caninum 772

FINIS INDICIS.

L'INDICE DE nouueau adiousté selon la langue Françoyse.

ACHE 295 & 351
Agrimoine 267
Aloine 1
Ancolie 125
Anet 37
Anet sauuage 767
Anis 73
Angelique 150
Apparitoer 814
Armoise 53
Arroches 144
Artichault 840
Asperges 67
Asperge sauuaige 606
Aspic 951
Aubifoin 460
Auelane 429
Auoyne 207
Auronne 9
Aux 774

BAguenaudes 479
Barbe de bouc 874
Basilic 588
Basilic sauuage 954
Benoin 805
Berle 765
Betoine 375
Bette de pré, ou Bleste 199
Bette sauuage 502
Blanc d'eau 574
Blaueole 460
Blé 687
Ble barbu 816
Blé de Turquie 877
Bleuet 460
Bluet 460
Bouillon blanc 205
Bouillon blanc ou noir 901
Bouix 682
Bonnes dames 144
Bourrache 172
Branche vrsine 61
Bruyere 280 & 546

546.
Bugloſſe 294 & 364
CAbaret 13
Camomille 32
Campanette 284
Capriole 482
Cardonette 942
Carottes 428
Carotte ſauuaige 253
Chameleon blanc 939
Chanure 425
Chardon à foulon, ou à carder 243
Chardon noſtre dame 64
Charpentaire 828
Chaſſe boſſe 524
Chaſtaignier 406
Chelidoine 929
Cheruy 789
Cheſne 249
Cheſnette, ou petit cheſne 927
Cheurefueille 685
Chicotrin 852
Chiches 291
Choux 443
Centaure 417
Cerifier 457
Cerfueil 237
Cichoree 715
Cichoree iaune 343
Cigue 437
Cognaciers 402
Coloquinte 399
Concombre 737
Concombre ſauuage 744
Coquelicoc 550
Conſyre 732
Coriandre 366
Cormier 613
Cornelle 524
Cottonnier 618
Couleurée 117
Courge 395
Creſſon 762
Creſſon alenois 388
Cruciate 451
Cumim ſauuage 767
Curaige 289 671 & 897
Cypres 931
DEnt de chien 162 & 482

Esclere 929
Ellebore blanc 799
296
Ers 609
Esparge 491
Espargoute 619 &
& 814
Espinars 199 &
709
Espine vinette 583
Estaphisagrie 832
Eufraze 269
Fasecle 760
Fasiole 749
Febue 420
Fenegrec 848
Fenoil 533
Feu ardent 117 &
220
Fiel de terre 417
Figuier 791
Flambe 339
Flame bastarde 17
Fougiere 633
Fraises 906
Froment 687
Fumeterre 361
Gans de nostre
dame 466
Garance 306
Genet 239 &
Genet petit 241
Geneure 93
Gentiane 223
Germandrée 820
Glaieul 339
Glaieul des riuieres
17
Glouteron 82
Goutte de lin 372
Grateron 59
Gratterons 616
Gremil 522
Guy 353
Guimauues 22
Guimauue sauuage
97
Giroflée 494
Hanebane
887
Haste Roialle 138
Hepatique 509
Herbe benoicte
415
Herbe de S. Barbe
785
Herbe aut chat
468
Herbe à foulon 825

Herbe

Herbe de S. Iaques 781
Herbe au Loup 107
Herbe à Laict 863
Herbe à Poulmon 677
Herbe aux poulx 832
Herbe à Puces 949
Herbe de la Trinite 855
Houblon 190
Hyſſope 895
Iacinthe 890
Iaulne d'eau 574
Ioubarbe 40
Iue muſcate 945
Iuſquiame 887
Laictue 322
Lãgue de Cerf 317
Langue de chien 439
Langue de Serpent 615
Laureole 247
Lauande 951
Lentille 913
Letteron 713
Leueſche 801
Lierre 457
Lierre terreſtre 934
Limoine 502
Lin 506
Lis 391
Liſet 284
Liſſeron 385
Lupin 332
Mariolaine 708
Mariolaine baſtarde, ou d'Angleterre 592
Mandragore 567
Margarites 175
Margarites blãches 937
Marrubin noir 184
Marrubium 626
Maſchez 875
Matricaire 619
Malue 540
Melilot 565
Meliſſe 530
Mente 312

Mercuriale 510
Merueilles 210
Meurier 557
Millefeuille 767
Mille pertuis 884
Millet 441
Morelle 724
Morgeline 29
Mort au chien 382
Mors de diable 756
Mouron 26
Muguet petit 160
Muguet grant 261

NArde 951
Naueau 201
Naueau rond 233
Nielle 536
Noix 408

OEil de bœuf, 173
Oignon 462
Orge 471
Ortie 128
Ortie morte, ou Ortie blanche 504
Oruale 606
Ozeille 497

PAin à Coquu 603
Pain de pourceau 484
Palais aut Lieure 713
Panet ſauuage 255
Panetz 721
Panic 278
Panis d'Indie 816
Parelle 497
Parietaire 303
Paſquettes 175
Paſſe rage 518
Paſſeraige ſauuage 348
Paſſeuelours 122
Paſtel 354
Paſtenades 721
Patience 497
Patte à Cheual 169
Pauot 552
Peaulte 308
Penſée 854
Perroquet 164
Perſil de Iardin 782
Perſil de montaignes 611
Perſil de roches 694
Perſil ſauuage 186

Peruen

Peruenche 385
Peschier 641
Petit muguet 218
Pied d'Alexandre 680
Pied de geline 361
Pied de Lieure 526
Pied de Lyon 651
Pimpinelle 647
Pisse en lict 173
Piuoine 225
Plantain 45
Plantain aquatique 51
Pois 667
Poyurette 536
Polypode 624
Pouliot 219
Pouliot sauuage 468
Polytrichon 843
Pomes damours 572
Ponceau 550
Porree 856
Porrion 193
Pourreau 673
Pourpier 134
Presle 346
Prunier 433
Pyment 202
QVeue de cheual, 346
Queue de porceau 638
Quinte fueille 663
RAgalisse 212
Raifort sauuage 157
Raifort 700
Raue 700
Reueille matin des vignes 644
Ronce 180
Roquette 287
Rosage, ou Rasagine 581
Rose 696
Rosmarin 513
Rue 644
SAfran 475
Saffran sauuage 440
Saffrã bastard 147
Sanguinaier 482
Saniete 711
Sarrasine 110
Sarriette 327
Satyrion 597 & 599

Satyrion à trois fueilles 752
Satyrió Royal 754
Sauinier 178
Saulx 357
Sauge 271
Sauge ſauuage 811
Scabieuſe 657
Seigle 813
Seneué 577
Seneué ſauuage 329
Seneſſon 310
Seniclon 186
Serpétine 81 & 255
Serpollet 274
Seſeli 816
Signet de Salomon 622
Souchet 488
Soulcie 413
Soucy d'eaue 524
Stecados citrin 823
Stipoulle 828
Sus ou Suin 76

T

Tenaiſi ſauuage 662
Teillet 919
Tithimalle 863
Thin 879
Tormentille 285
Toute Bone 606
Tourtelle 281
Traynaſſe 652
Treſle 872
Troeſne 514

V

Aleriane 910
Vaſsiet 890
Velar 281
Verge à berger 243
Veruaine 629
Veſce 198
Veſſe 609
Veſſe ſauuaige 133
Vigne cultiuee 102
Violette 520
Violette de mars 335
Vit de preſtre 82
Vitreole 284

Y

Vraye 152

Fin de l'Indice.

IN PLANTARVM HISTORIAM A Leonharto Fuchsio picturis elegantibus expressam adnotationes.

DE ABSINTHIO,

CAPVT I.

Absinthium officinis Romanũ idem cũ pontico recte sentis, à vulgari autẽ id esse diuersissimum ex Galeni Methodo abundè probatur.

Santonicum à Santonia regione prope Burdegalam albius Romano est, folio non multo latiore. Vtrunque enim & Seriphium est tenuifolium, cũ vulgare sit latifolium. Alome nobis dictum ab insigni Aloës amaritudine.

NOMINA

Ἀψίνθιον Græcè, *Absinthium Latine appellatur, In officinis suam appellationem retinuit. Gallicè* de Lalome, *quasi prohibens hilaritatem & alacritatẽ, ob immensam suam amaritudinem, nominatur.* Nomen hoc Græci ab ἄ-πίνω, id est, *contrectando, per ἀνάπτυσιν destexerunt, quòd nullum animal, ob* Absinthiũ vnde dictum.

eximiam amaritudinem, hanc herbam attingat. Veteres Græci Comici ἀπίνθιον quoq; conformi etymo, quasi impotabilem dixerunt, quòd hanc nemo, propter insignem amatorem, bibere posit.

GENERA.

Vulgare Absinthiũ

Absinthij genera sunt tria, Galeno & Dioscoride testibus. Vnum quod Romanum, vulgare seu commune vocant, & est id quod passim in Germania nascitur. Huius generis est quod à Ponto regione, in qua nascitur, Ponticum cognominatur, estq; cæteris multò præstantius. Alterum genus est marinum, quod Seriphium nominant. Tertium Santonicum, à Santonibus Galliæ populis, apud quos plurimùm gignitur, dictũ est. Hinc nonnulli eius semen corrupta voce Sanctum, quoniam Sanctonicum dicendum esset, appellant. Nisi id nominis ob insignem eius efficaciam, quam in necandis lumbricis obtinet, illi imposuerint. Hodie semen lumbricorum nuncupant, Gallicè Mort de vers.

Ponticum
Seriphiũ.
Santonicũ

FORMA.

vulgare Seriphiũ.

Absinthium vulgare, herba est caule ramoso, foliis incanis, multipliciter sectis, aureo flore, semine rotundo, racematim cohærente. Seriphiũ, verò herba est prætenues ramos cirrósue habens minori similis Abrotono, exiguus referta seminibus, subamara, & graui odore. Si quidem herba est tenuibus cirris, Abrotono fœminæ similis

semine

semine in siliquis puo, grauiter odorata, & subamara. Santonicum simile est Absinthio, sed non adeò copioso semine scatens, & subamarum. Santonicũ

LOCVS.

Nascitur, Oribasio & Apuleio autoribus, locis cultis, montosis & saxosis: plurimum autem præstantissimumq; in Ponto, Cappadocia, & Tauro monte. Seriphium passim circa itinera, macerias vinearũ, & sæpe prouenit: vt verum sit quod à Plinio dictum est, pleráſq; herbas pedibus conculcamus, quarum si nobis virtus perspecta esset, eas in cœlum laudibus ferremus. Santonicum in Gallia, vt diximus, copiosè gignitur.

TEMPVS.

Colligendum in fine Iulij mensis, ac in vmbra exciccandum, quo etiam tempore floribus & semine prægnans est.

TEMPERAMENTVM.

Ponticum minus calefacit, quod astrictionis multæ sit particeps. Minus etiam cæteris generibus extenuat, non minus tamen resiccat. Galeno itaq; autore calidum in primo gradu, & siccum in tertio statuitur. Succus autem eius longè quàm herba ipsa caldior est. Vulgare quidẽ astrictoriam, amarã & acrem qualitatem obtinet, haud secus atq; Ponticum. In hoc tamen ab eo differre videtur, quòd in illo maior sit amaritudo quàm adstrictio. Quamuis neq; Pon-

ticum modicè amarum sit, quod Ouidius satis ijs innuit versibus:

Turpia deformes gignunt Absinthia campi,
Terraq; de fructu, quàm sit amara docet.

Loquitur autem de Ponto. Seriphium ipsum Abrotono minus est calidum, verùm Absinthio calidius. Santonicum in extenuãdo, & calefaciendo, desiccandóue, Seriphio paulo imbecillius.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Absinthium calefacit, adstringit, bilémq; stomacho & ventri inhærentem expurgat. Vrinas cit. Crapulam præsumptum arcet. Inflationibus, ventrisq; & stomachi doloribus, cum Seseli & Nardo Gallico potum prodest. Fastidia discutit. Morbo regio correptos, dilutum aut decoctum eius per singulos dies cyathus tribus haustum sanat. Menses cum melle sumptum aut appositum euocat. Strangulationibus fungorũ exaceto potum subuenit. Ixiæ, cicutæ, muris aranei morsibus, & draconi marino cum vino aduersatur. Anginis cum melle & nitro mũgitur. Contra epinyctidas ex aqua sugillata vero & oculorum caligines cum melle, similiter auribus ex quibus manat sanies, illinitur. Decoctũ eius vapor suffitúsve, dentium aurium̃q; dolores lenit. Decoctum cum passo dolẽtibus oculis oblinitur. Præcordijs, tecinori, & stomacho dolenti, ac longo tempore affecto, cum cerato Cyprino tritum illinitur. Stomacho autem cum rosaceo subactũ

Cum

Cum ficis, nitro, & farina loliacea, aquæ inter cutem, luenosisq; subuenit. Prætereavestiarijs arcisq; inditum Absinthium, vestes ab erodentium iniurijs seruat. Culices cum oleo perunctum à corporibus abigit & arcet. Atramentum librariũ ex diluto eius temperatum, literas à muriũ erosione tuetur. Par est etiam succum hæc omnia facere, attamen in potionibus improbatur. stomacho enim obest, & capitis dolores adfert. Seriphium verò per se, vel cum oryza decoctum, & cum melle sumptum, ascaridas & rotundos lumbricos necat, aluũ simul leuiter subducens. Eadẽ potest præstare cum edulio aut lenticula decoctum. Santonicum eadẽ quæ Seriphium potest.

EX GALENO.

Absinthium adstrictoriam, amaram, & acrem simul qualitatem possidet, excalfaciens pariter & extergens, roborans & desiccans. Proinde bilioſos ventris humores per egestionem infernam propellit, ac per vrinam euacuat. Magis verò quod in venis est bilioſum per vrinas expurgat. Ideo contentam in ventre pituitam, sumptum nihil iuuat. Sic neque si in thorace aut pulmone contineatur: nam adstringens in eo facultas, quàm amara valentior est.

EX PLINIO.

Stomachum corroborat, & ob hoc sapor eius in vina transfertur. Bibitur decoctum in aqua, & postea nocte & die refrigeratum sub dio: de

coctis sex drachmis foliorum cum ramis suis in cœlestis aquæ sextarijs tribus. Oportet & salem addi. Tritum, vt aiunt, raro in vsu est, sicut & succus expressus. Bibitur & madefacti dilutū. Exprimitur autem cùm primum semen turgescit, madefactum aqua triduo recēs, aut siccum septē diebus, deinde coctum in æreo vase ad tertias, decem heminis, in aquæ sextarijs quadraginta quinque, iterumq; percolatum, herba ejecta, lentè coquitur ad crassitudinem mellis, quæ liter ex minore Centaurio quæritur succus. Sed hic Absinthij succus inutilis stomacho capitiq; est, cùm (vt tradunt) sit illud decoctum saluberrimum: nam stomachum adstringit, bilemq; detrahit, vrinam cit, aluum emollit, & in dolore sanat, ventris animalia pellit. Malaciam stomachi & inflationes cum exiguo Sili & Nardo Gallico, addito aceto, discutit. Fastidia abstergit, concoctiones aduuat. Cruditates detrahit cum ruta, & pipere, & sale. Antiqui purgationis gratia dabant cū marinæ aquæ veteris sextario, seminis sex drachmas, cum tribus salis, & mellis cyatho. Efficacius purgat duplicato sale. Quidem in polenta dedere supradictum pondus addito Pulegio. Alij contra paralysin. Alij pueris folia in fico, sic vt amaritudinem fallerent. Facilè thoracem purgat cum Iride sumptum. In regio morbo crudum bibitur cum Apio, aut Adianto. Aduersus inflationes calidum paulatim

sorbe

sorbetur ex aqua. Iecinoris causa cum Gallico Nardo, lienis cum aceto, aut pulte, aut fico sumitur. Aduersatur fungis ex aceto. Item visco, cicutæ ex vino, & muris aranei morsibus, draconi marino, scorpionibus. Oculorum claritati multum confert. Epiphoris cum passo imponitur, sugillatis cum melle. Aures eius decoctum vaporis suffitu sanat: aut si manat sanies, cum melle tritum. Vrinam ac menses ciunt tres quatuór ue ramuli, cum Gallici nardi radice vna, cyathus aquæ vi. menses priuatim cum melle sumptum, & in vellere appositum. Anginis subuenit cum melle & nitro. Epinyctidas ex aqua sanat: vulnera recētia, priusquam aqua tangā tur impositum: prætereáq; capitis vlcera. Peculiariter ilibus imponitur, cum cypria cera, aut cum fico. Sanat & pruritus. Non est dandum in febri. Nauseas maris arcet in nauigationibus potum: inguinum tumorem in ventrali habitum. Somnos allicit olfactum, aut in scio sub capite positum. Vestibus insertum tineas arcet. Culices ex oleo perunctis abigit, & fumo si vratur. Atramentum librarium ex diluto eius temperatū, literas à musculs tuetur. Capillum denigrat absinthij cinis, vnguento rosaceóq;, permixtus. Marinum, quod quidam seriphium vocant, stomacho inimicum, Aluum mollit, pelitq; animalia interaneorum. Bibitur cum oleo & sale, aut in farinæ trimestris sorbitione di-

lutum. Coquitur quantum manus capiat, in aquæ sextario ad dimidias.

VINI ABSINTHITIS VIRES.

EX DIOSCORIDE.

Absinthites vinum stomacho accõmodatum est, vrinam cit. Tardè concoquentibus vtile: iecinorosis itidem, nephriticis, & regio correptis morbo. Cibum non appetentibus, & stomacho malè affectis, & longis præcordiorum distẽsionibus ac inflationibus, rotundis lumbricis, & suppressis mensibus auxiliatur. Contra ixiæ venena hausta, copiosius potum, & vomitionibus redditum prodest.

CONFECTIO.

Variæ vini absinthitis sunt confectiones, vt ex Dioscoride constare potest. Optimum tamen fit, si tusæ Ponti absinthij drachmæ octo, in teorario ligatæ, in amphoram vini conijciuntur. Mustum deinde mittitur, relicto vno vasis spiraculo ne effervescens foras exiliat.

APPENDIX.

Semẽ lumbricorum. Santonici, quod vt commemoratum est, hodie semen lumbricorum vocant, præcipuus hoc tempore ad lumbricos ex corpore pellendos & enecandos vsus est. Et si genuinum est, magna efficacia cum melle assumitur tam à pueris, quàm adultis. Seriphium quoque aduersus lumbricos à multis commendatur, eóque nomine Mors vermium appellatur. Sunt etiam qui lum-

Mors vermium.

bricorum semen nominent.

DE ABROTONO.

CAP. II.

Pro fœmina abrotono absinthium Romanum videris pictura exprimere, quanquã idvulgo sylvestrem cypressum à similitudine & odore foliorum eiusdem appellari scribis. Quam postea ex Plinio chamæcyparissum pingis, quibusdam videtur abrotonum fœmina.

NOMINA.

ABρότονον Græcis, *Abrotonum* Latinis *nominatur. Officinæ antiquum nomen retinuerunt.* Gallis Auronne *appellatur.* Hoc *autem nomen sibi vsurpasse, vt* Nicandri *testatur interpres,* Διὰ ὃ τρυφερὸν ὁμῦ, ἁβρὸν καὶ ἁπαλὸν φαίνεσθ. ἄλλως δὲ καὶ διὰ ὃ δύσπονον εἶναι. *hoc est, quod conspectu tenerum, molle & delicatum appareat aut quòd grauem, acremue & difficilem haltum prospiret.* Abrotonũ vide dictum.

GENERA.

Abrotonum duorum est generum, veterum & recentiorum omnium sententia, mas & fœmina. Plinius lib. xxi. cap. vij. mas quidem cãpestre vocat Abrotonum, fœminam verò montanum. Vulgus, sylvestrem cypressum, à similitudine & odore foliorum eiusdem, nomenclatura herbæ fruticisue vocat. Gallicè Cypres.

FORMA

Abrotonij mar. Abrotonum, quod mas appellamus, sarmentosum minutis foliis, minus album quàm fœmina, tenui semine ac numeroso vti Absinthium. Semen autem non quouis tempore producit, sed ad Septembris duntaxat mensis initia, quo si diligenter obseruabis tempore, semine prægnãs esse cõperies. Rectè igitur λεπτόκαρπον in Dioscoride legitur, huic lectioni non solum veterum codicum fide, verumetiam sensu suffragante.

Abrotonũ fœmina. Fœmina frutex est, arboris speciem habens, candicantibus foliis, Seriphij modo minutim circum ramulos incisis, floribus refertus, in summo auri fulgore comantes corimbos obtinens, odoratus etiam cum grauitate quadam.

LOCVS.

Mas passim apud germanos in hortis, & in campestribus nascitur: fœmina verò in collibus & montibus sua sponte prouenit.

TEMPVS.

Floret vtrunque Augusto. Colligitur autem in autumno, potissimum Septembri mense: hoc enim tempore semen, vt diximus, profert.

TEMPERAMENTVM.

Abrotonum calidum & siccum, in quo tertio ordine seu recessu post media situm est, id quod amaritudo eius, quam gustu præ se fert facilè monstrat.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Vtriusque abrotoni semen ferue factum, & crudum

crudũ tritum, cũ aqua potum, nõ nisi recta cer uice, spirantibus ruptis, conuulsis, Ischiadicis, vrinæ difficultatibus, & suppressis mensibus auxiliatur. Potum in vino exitialium venenorum antidotum est. Cum oleo rigentibus illinitur. Serpentes lecto instratum & suffitum fugat. Cum vino potum aduersus eorundem mor sus, peculariter autem scorpionum & phalangiorum prodest. Oculorum inflammationibus cum cotoneo cocto, aut pane illitum subuenit. Tritum cum farina hordeacea decoctumq; tubercula discutit. Admiscetur irino vnguento.

EX GALENO.

Non instrennè excalfacit & desiccat. Nam siue comam cum floribus (reliqua enim eius palea inutilis est) contusam vlceri puro illinas, mordax & irritans videbitur, sine eo in oleo macerato, caput aut ventrem perfundere voles admodum calefacere reperies. Quin & si qui per circuitum rigoribus capiuntur, eos ante inuasionem rigorum hoc voles confricare, minus vtique rigore concutientur, mò & sensus confestim vbi admotum fuerit ipsum calfacere percipit. Porrò quod lumbricos interimat par est, nimirum quum sit amarũ. Protinus vero quod & digerendi & incidendi vim habeat, scies. Præterea abrotonum vstum calidum & siccũ facultate est, magis etiã quàm cucurbita sicca vsta, & anethi radix. Illa enim vlceribus humidis

humidis simul & citra phlegmonem callo induratis prosunt, ac proinde maximè vlceribus ijs, quæ in pudendorum præputijs sunt, competere videntur: at cinis Abrotoni vlceribus omnibus mordax est, ac idcirco cum oleo tenuium partium. Cicino scilicet aut Raphanino, aut Sycionio veteri potissimum Sabinos, ad alopecias confert. Barbam etiam segnius tardiusq; enascentem cum aliquo dictorum oleorũ elicit, sed nec minus illis, lentiscino maceratũ. Rarefaciendi enim vim, eò quòd tenuium est partium, obtinet, & mordax est, & calidum. Abrotonum verò inimicum stomacho existit.

EX PLINIO.

Vsus est & follijs, sed maior semine, ad cãfaciendum, ideo neruis vtile, tussi, orthopnoicis, vrinæ, tormunibus, conuulsis, ruptis, lumbis. Datur bibendum manualibus fasciculis decoctis ad tertias partes. Ex his quaternis cyathis bibitur. Datur & semẽ tusum in aqua drachmæ pondere. Prodest & vuluæ. Concoquit panos cum farina hordeacea, & oculorum inflãmationibus illinitur cotoneo malo concocto. Serpentes fugat. Contra ictus eorum bibitur in vino, illinitur q;. Efficacissimum contra ea quorum veneno tremores & frigus accidunt, vt scorpionum & phalangiorum. & contra alia venena. Prodest quoquomodo algentibus, & ad extrahenda ea quæ inhærent corporibus. Pellit inte-

lit inter anorum mala. Ramo eius si subiiciatur puluino, venerem stimulari tradunt efficacissimamq; herbam esse contra omnia veneficia, quibus coitus inhibeatur.

DE ASARO. CAP. III.

Asarū seu baccar nobis p metathesin Cabaret.

NOMINA.

Ἄσαρον Græcè *Asarum* Latinè dicitur. Officinis hodie *nomen* retinet. Gallicè du Cabaret. *Asarō cur dictum.* *Asarō autem dictum est, quòd in ornatum non veniat, vel vt* Plinius *lib. xxi. cap. vi. inquit quoniam in coronas atque serta non addatur, vel quòd manubrias scopis, quæ odoris gratia gestantur, minimè solitum sit inseri.*

FORMA.

Folia hederæ similia habet, longè tamē molliora, rotundioraq;. Flores inter folia ad radicē purpureos odoratos, Hyoscyami cytino similes, in quo semen acino non dissimile. Radices multas, geniculatas, tenues, obliquas, gramini persimiles: longè tamen gracilliores odoratas, calefacientes, & linguam admodum erodentes. Cæterum hic admonendum esse lectorē duximus omnia Dioscoridis exēplaria hoc in loco deprauata esse, perperamq; habere vel ὠυγότερα, *vel* μικρότερα, *cum potius scribendum sit* μα- *Dioscoridis locum emēdatum.*

λακώ

λακώτερα, id quod partim Plinij testimonio partim etiam iudice sensu ipso comprobari potest. Plinius si quidem lib. xij. cap. xiij. Asari sic depingit: Est hederæ folijs rotundioribus tantum, mollioribusq;. Si quis verò ea de re ad iudicem sensum referat, Asarumq; cum hedera cõferat, Asari certè folia neque densiora, neque minora hederæ folijs esse comperiet: quum Asari folia maiora multò sint quam hederæ. Proinde cum folia hederæ illorum comparatione multò minora sint, euidentissimum est pro μικρότερα legendum esse μαλακώτερα: huic nimirũ lectioni adstipulantibus Plinio & sensus iudicio, vt dictum est: ad tactum enim huius folia longè sunt hederæ molliora. Accedit quòd ab vna dictione in aliam facilis sit transitus. His itaque rationibus motus, Asari folia μαλακώτερα, hoc est, molliora hederæ folijs esse dixi, vt reuera etiam sunt.

LOCVS.

Nascitur in vmbrosis locis, montibus potissimum & syluis: aspera enim macráue & sicca loca amat.

TEMPVS.

Bis anno, vere nimirum & autumno floret. Colligẽdum in fine Augusti, à die videlicet decimoquinto eius mẽsis, vsq; ad octauũ Septẽbris.

TEMPERAMENTVM.

Asarum in calefaciendo & exiccando ordinis

dinis tertij existit, radices potissimum eius.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Radices Asari calefaciunt & vrinam mouent. Hidropicis & ischiadicis diuturnis prosunt. Ducunt menses pondere drachmarum sex cum mulso potæ. Purgant Ellebori albi modo. Ruptis præterea, conuulsis, tussi veteri, difficultati spirandi, & vrinæ conferunt. Cum vino potæ ferarum morsibus salutares. Folia adstringunt. Illicita capitis doloribus oculorum inflammationibus, ægilopis incipientibus, mammis à partu tumentibus, ignibusq; sacris prosunt. Coma somnum etiam conciliat. Sic Crateias herbarius de Asaro proditum reliquit.

EX GALENO.

Asari radices vtiles sunt, facultate similes radicibus Acori, interiores tamen. Itaque ex ijs, quæ de illis prodita sunt, hic facienda coniectura.

EX PLINIO.

Nardi vim habet Asarum, quod & ipsum aliqui syluestre Nardum appellant.

EX MARCO AEMYLIO.

Est Asaron Græcè Vulgago dicta Latinè.
Hæc calidæ & ficcæ virtutis dicitur esse.
Tertius est illi gradus, vt dicunt, in vtroque.
Prouocat vrinã, potatáque menstrua purgat.
Hocq; modo iecoris medicatur sumpta dolori.
Hydropicosq; iuuat, schiasim fugat hausta fre

quẽ

quenter.
Et vuluæ morbis decoctio subuenit eius.
Dicitur ictericum potata repellere morbum.
Elleboriq; modo vomitu præcordia purgat.
Sed non est huius purgatio tam violenta.
Nec metuenda quidem, si fiat taliter illa.
De foljs eius triginta recentia tollens,
Adde meri tantum quo possint cuncta recõdi.
Tota nocte mero facias macerentur in illo.
Mane terens, vino quo sunt macerata resolue.
Tunc olus excoctum cum pingui carne recenti.
Porcina, prius ægroto da sufficienter.
Et sumat vini vult quantum fortis & albi.
Sic Asari succum colatum trade bibendum.
Fortibus & magnis est hic numerus foliorum.
Sufficiens, reliquis, vt diximus, est minuendus.
Iuxta quod vires, ætas, & cætera poscunt.

APPENDIX.

Lixiuium in quo Asarum decoctum est, si eo caput lauetur, cerebrum roborat, & memoriam. Succus etiam eius cum Pompholige, caligantibus oculis confert.

DE ACORO.

CAP. IIII.

Acorus officinarium gladiolus, aquæ vulgo dicitur, flore luteo non v tendus. sed indicus vulgo galãga maior quę verus esse Dioscoridi Acorus videtur.

Nom

NOMINA.



κορον Græcè, Acorum Latinè appellatur. Officinis nomen retinet. Galicè Flame bastarde, ou glaieul de Rimieres, ou de mares vocatur. Acorō aphrodisiam quasi veneream Græci etiam vocant. Apuleius, quicunque ille fuerit, in commētariolo quod de aliquot herbis scriptum à se reliquit, Piper apium dictam fuisse hāc herbam testatur, quòd ea in aluearijs suspensa, nunquam diffugiant apes.

FORMA.

Foliæ Iridis habet, angustiora tamen. Radices non dissimiles, implicatas, neque in rectū enatas, sed obliquas, & in superficie existentes geniculis seu internodijs, distinctas, subalbas, gustu acres, odore non ingratas. Præstat densum, candidum, non cariosum, plenum & odoratum, cuiusmodi est in Colchide & Galatia. Ex qua sanè Dioscoridis descriptione satis liquet, Acorum nostrum, quo hodie officinæ vtuntur, & si non verum sit, tamen aliquam saltem Acori speciem esse: Iridis enim folia obtinet angustiora tamen. Radices quoque similes, implicatas & inuicem adnatas, non in rectum, sed in obliquum tendentes non in profundo delitescentes, sed in superficie existentes,

Acorum officinarū non est verum

& modico cespite tecta: denique geniculis seu internodijs interceptas. Neque etiam in colore ab eo quem Dioscorides pingit, variare videtur: nostrum enim Acorum nõ raro ὑπολίυκος hoc est subalbas seu candicantes radices habere conspicitur. Accidit autem vt & rubentes intus habeat radices, quæ tamen cùm candicãtes passim intercurrentes venas obtineant rectè sub albæ dici possunt, quod nimirum neque vere rubescant, neque candidum etiam prorsus colorem referant, sed eum potius qui ex rubro & cãdido mixtus sit. Cæterum radices Acori quæ intus candicant, foris vt plurimum subrubent. Hinc est quòd Serapion in Acori descriptione Dioscoridis verba ῥιζ. ὑπολίυκος dictionẽ ita vertere voluit: Et color radicum exterior tẽdit ad rubedinem. Proïde qui hac sola ratione, quòd Acori radix intus interdum rubescat, mouentur, vt diuersum nostrum prorsus à Dioscoridis credant, ij non vtuntur argumento quod tanti momenti sit, vt quod conantur persuadere alijs possint. Cùm enim Dioscorides Acori radices ὑπολίυκος, hoc est, albicantes faciat, noster certe nunquam non tales habere deprehenditur: vel enim vere candicantes sunt, vel subrubentes, quas etiam ὑπολίυκος rectè dici posse iam ostendimus. Porrò quãuis odoratæ non sint eius radices, tamen nihil obstare posset odor quò minus nostrum verum esse putaremus. Aco-

rum

rum, quum abunde constet illum haud aliter quàm colorem, secundum diuersas regiones in eadẽ sæpe herba mutari: si non esset aliud quod vt diuersum certo crederemus nos vrgeret, hoc nempe, quod nostri Acori radices gustu acres nõ sint, quod tamen omnes veteres vno ore de Acoro affirmant, sed potius astringentes. Quapropter etsi tota ferè descriptio illi respondere videatur, tamen quia acris non est, vires eas quas vero Acoro tribuunt veteres, habere non potest: vt hoc nomine vehementer errẽt qui à solis descriptionibus tantum pendent. Nec minus hallucinantur officinæ quæ ad vrinas mouendas, aut menses euocandos, lienésue minuendos eo vtuntur. Perperam etiam Diacori compositionem ex eodem conficiant. Curent itaque vt verum Acorum habeant, quod iam multis Galliæ officinis prostare puto. Nam radix illa quæ à nonnullis seplasiarijs nunc sub nomine maioris Galangæ venditur, si cætera etiam respondeãt haud dubiæ radix veri Acori est. Et debent seplasiarij ea vti, quoties in compositionibus medicamentorum Acori fit mentio, præcipuè autem in Diacori compositione apparenda, quòd hæc calefaciendo concoctionem stomachi supra modum iuuet. Et hoc eò confidentius faciendum esse hortor, quòd Galangam maiorem veri Acori radicem esse existimem: geniculis enim scatet, foris sub rubra, intus subalba, gustu acris,

odore non ingrata, vt hoc nomine illa tutò & sine errore officinæ pro Acaro vti queant.

LOCVS.

Apuleius locis cultis, pratis ac hortis nasci, rarāq; inuentu herbam hanc tradit. Nostrum Acorum iuxta amnes, & passim in aquosis & palustribus locis prouenit.

TEMPVS.

Legitur radix Acori æstatis initio, & siccatur in vmbra digitalibus frustis.

TEMPERAMENTVM.

In calefaciendo & desiccando tertij est ordinis. Nostrum quidem desiccat, at citra calefactionem.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Acori radix calefaciendi vim habet. De coctum eius potum, vrinam ciet. Prodest lateris, thoracis & iecoris doloribus: torminibus, ruptis conuulsis. Lienes minuit. Vrinæ stillicidio, & venenatorum morsibus subuenit. Insessu, quemadmodum Iris, ad mulsebria vtilis est. Succus radicis caligines oculorum discutit. Antidotis præterea radix vtiliter miscetur.

EX GALENO.

Acori vtimur radice quæ gustu acris est, & modicè amara, odoreq; non inucunda. Hinc manifestum est hanc facultate calidam, & cōstitentia tenuium partium esse. Huic consentaneum est, vt vrinam moueat, & lienes indura-

tos

tos iuuet, tum corneæ membranæ crasitiem detergeat simul atque extenuet. Ad hoc autẽ melior est ipsius succus. Omnino verò siccificum esse clarum est.

EX PLINIO.

Vis ei est ad calefaciendum extenuandũq; efficax, contra suffusiones & calligines oculorum succo eiusdem poto, contraq; serpentes. Pectoris doloribus subuenit. & ideo antidotis miscetur. Iecinori medetur, thoraci quoque & præcordijs. Vrinam cit eius decoctum, & omnia vesicæ vitia sanat. Testium tumores radix decocta in vino, tritaq; & illita mirè discutit. Duritias & collectiones omnes sanat, decocto huius herbæ fouentibus. Contusis & euersis pota duobus obolis in mulsi cyatis tribus radix prodest. Acoron quoque vtile est interioribus fœminarum morbis.

ACORI OFFICINARVM VIRES.

Gustus abundè monstrat eius radicem immensam adstringendi facultatem obtinere. Hinc est quod diuersam planè à veri Acori radice vim sortita sit. Nam vt hæc tenuium est partium & facultate calida, atque adeo detergit, extenuat atque discutit: ita illa cõsistentia crassarum partium, ac facultate frigida constringit, densat, cogit & contrahit. Quare vrinam non cit, vt verum Acorum, nec menses e- Acori adulterinæ facultates.

uocat, sed potius supprimit. Sanguinem etiam undecunque manantem cohibet. Proinde recte Pandectarum autor scribit, eum qui secum Acori radicem gestat, à nullo sanguinis profluuio corripi. Et ex recentioribus aliqui hanc facultatem Acori nostri obseruauerunt, atque hinc adeò tradunt eius succum igne expressum menses nimium promanantes constringere posse, id quòd certè de Acoro affirmare vanissimũ erit. Ex ijs itaque intelligentiam seplasiarij quis vsus nostri etiam in medicina sit Acori: nec committent, vt fanatici cuiusdam, qui nuper Moroplirasti impudentis hominis pestilentissimas nugas & ineptias tegere, atque adeò epistola aliqua opera illius temerè præfixa cõmendare, ac præ illo monstro reliquos omnes medicos, si dijs placet contemnere ausus est, consilio obsecuti, hoc prorsus abijciant, cum illius immensa sit astringendi, quod demonstrauimus, facultas.

DE ALTHAEA. CAP. V.

Althæa, vulgo Bismata dicitur.

NOMINA.

Bismalua Maluauiscus.



Ἀλθαία, ἡ ἰβίσκος Græcè: Althæa, Ebiscus Ibiscus Latinè dicitur. Officinæ, quæ vt plurimũ barbaris vocibus gaudent, Bismaluam, Maluauiscum, & simpliciter Euiscum nominant. Mal

mauiſci autem vox corrupta eſt, ex malua nimirum & euiſco compoſita. quaſi dicat aliquis Malua ebiſcus, hoc nomine illam ab alijs maluis quæ ſanè multæ ſunt, ſegregans. Gallicè Guimmauues. Althæa verò à multiplici remediorum poteſtate & vſu, vel vt Plinius ait, ab excellentia effectus nominata eſt. Siquidem ἀλθαίκ Græcis idem valet, ac ſi à medendo medica ſimpliciter dicas. Nam ἀλθαίνειν illis mederi ſignificat, ἀλθὸς verò remedium & medicinam. Althææ vnde dicta.

FORMA.

Syluestris Malua genus eſt, cui folia vt Cyclamino rotonda, lanuginoſa: flos roſaceus caulis cubitorum binum, radix lenta viſcoſaq;, intus candida.

LOCVS.

Locis humentibus, pinguibusq; gaudet.

TEMPVS.

Radices, vt reliquarum ferè herbarum omnium inter autumni initia, hoc eſt, in fine Auguſti, & Septembris menſis principio, legendæ Folia verò & ſemen in æſtate. Floret Iulio & Auguſto menſibus.

TEMPERAMENTVM.

Folia & flores calidi & ſicci primo exceſſu ſeu ordine. Radice verò in principio ſecundi.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Radix in aqua mulſa aut vino cocta, aut per

per se pota, ad vulnera, parotidas, strumas, abscessus, mammarum in flammationes, sedis contusiones, inflationes, neruorum distentiones, efficax est. Si quidem discutit & maturat, aut rumpit, & ad cicatricem perducit. Cocta quo dictum est modo, & cum adipe anserino, aut stillo, vel terebinthina subacta, ad vteri inflammationes & præclusiones vtiliter admouetur. Decoctum eius idem præstat, secundasq; à partu relictas educit. Decoctum radicis cum vino potũ, vrinæ difficultati, calculoſorum cruditati, dysentericis, ischiadicis, tremulis & ruptis succurrit. Dentium mitigat dolorem cum aceto decocta, colluto inde ore. Semen autem viride siccũq; tritum, cum aceto in stole perunctum alphos extergit. Cum aceto & oleo inunctum, à venenatorum morsibus præseruat. Valet ad dysenteriam, sanguinis reiectionem, & alui fluores. Seminis decoctum in posca aut vino contra omnes apum & minutarum ferarum ictus bibitur. Folia cum exiguo oleo, morsibus & ambustis illinuntur. Addensat aquam sub diuo radix trita & admixta.

EX GALENO.

Digerendi, laxãdi, phlegmone leuandi, mitigãdi, cõcoquẽdi coctu difficilia tubercula. Porrò radix eius & semen cætera quidẽ pari herbæ viridi modo agunt. verũ tenuiorũ partium, magisq; exiccatoriã ad hæc magis extersoriã quàm illa

illa facultatẽ ostẽdunt, vt & alphos detergẽt, & semen renũ calculos confringat. Radicis aũt decoctum dysenteriæ, alui profluuio, & sanguinis reiectioni vtile est, nempe cum astringẽtem quandam facultatem possideat.

EX PLINIO.

Althææ contra omnes aculeatos ictus efficacior vis, præcipuè scorpionum, vesparum, similiúmque, & muris aranei. Quin & trita cum oleo, hac perunctis ante vel habentes eam, non feriuntur. Eius radix præcipuè conuulsis ruptisq; efficax est. Cocta in aqua aluum sistit. Ex vino albo strumas & paroditas, & mammarum inflammationes, & panos in vino folia decocta & illita tollunt. Eadem arida in lacte decocta, quamlibet pernicioſæ tussi citissimè medentur Hippocrates vulneratis, sitientibusq; defectu sanguinis, radicis decoctæ succum bibendum dedit. Et eam vulnerib. cum melle & resina, item conuulsis, luxatis, tumentibus, & musculis, neruis, articulis imposuit. Et asthmaticis ac disentericis in vino bibendam dedit. Mirum aquam radice ea addita addensari sub dio, atque elactescere. Efficatior autem quò recentior.

EX THEOPHRASTO.

Vsus eius ad rupta, & tusses è vino dulci, & ad vlcera in oleo. Alias si carnibus conoquas, in idem aggregare, ac veluti conglutinare posse affirmant.

DE ANAGALLIDE.

CAP. VI.

Anagallis vtrāq; in hortis frequens, paruula arboris tamen habitu caule quadrato. Mouro petit & quare nobis dicitur.

NOMINA.

Gauchheyl Germanis quare dicta.

Anagalis nō est morsus gallinæ, neque Auricula muris.

Ἀναγαλλὶς Græcè, Anagallis Latinè, officinis inusitata, Germanicè Gauchheyl, oder Colmar Kraut. (Gallicè Mouron) Hoc nominis fortè à Germanis inditum est, quod Anagallis in limine vestibuli suspensa maleficiorum introitum pellere credita sit. Errant qui Morsum gallinæ seu Passerinam vulgò dictam herbam, Anagallida putant, haud secus atque ij, qui Auriculā muris pro Anagallide depictam ostendunt herbarij.

GENERA.

Duo duntaxat Anagallidis esse genera, veterum omnium testimonio constat, marem scilicet & fœminam, quæ sanè nullo nisi florum discrimine distant. Mas enim puniceo, fœmina verò cœruleo flore conspicitur. Proinde hallucinari iuniores ac barbaros medicos euidentissimum est, qui plura duobus Anagallidis genera constituunt.

FORMA.

Frutices sunt Anagallides parui, in terra iacentes

centes, folia in quadrangulis caulibus pusilla habentes, & modicè rotunda ad Helxines similitudinem. Semen gerunt rotundum Non quicquam sanè certius hac scriptorum pictura respondet: cùm duplex sit in flore color, puniceus nimirum & cœruleus, quadranguli caules per terram sparsi, folia non toto ambitu rotunda, & semen coriandro non dissimile circinatum. Non est tamen quod sic humi prostratos hos frutices intelligas, vt prorsus non suppullulent. Nã in altum etiam surgunt, non tamen altius quã ipsa tibi examussim pictura monstrat.

LOCVS.

Pedibus in aruis vineisq; vbique calcatur, neque quicquam nunc Anagallide despectius est, cùm tamen in antiqua medicina multus eius fuerit vsus. Licet autem vbique ferè proueniat, in vliginosis tamen lætior.

TEMPVS.

Per æstatem vtriusque prouentus maximus est, potissimum autem mense Augusto Florent autem à Maio mense vsque in autumnum.

TEMPERAMENTVM.

Anagallidis vterque sexus calidam & siccã facultatem obtinet, quod scilicet extergere possint. Mulieres namque quæ asperiorem & decolorem à natura cutem acceperunt, ad leuorem nitoremq; vultus harum succo vtuntur, vt hac ratione errare necesse sit, qui Anagallidas frigidas & Error quæ rundã detegitur.

das & humidas esse statuunt.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Vtraque mitigandi facultatem habent, Inflammationes arcent, surculos extrahunt, vlcera serpentia compescunt. Succus earum gargarissatus pituitam capitis purgat. Per nares infusus dolorem dentium lenit, si in contrariam natem iniiciatur. Argema cum Attico melle emendat, & oculorum caligines iuuat. Contra viperarum morsus, renum & iecinoris vitia ex vino potus prodest. Tradunt nonnulli eam quæ cœruleum florem habet, prociduam sedem reprimere: quæ verò puniceum, illitu euocare.

EX GALENO.

Anagallis vtraque, tam ea quæ florem parit cœruleum, quàm ea quæ puniceum, admodum extergendi facultatem obtinent. Quendã etiam calorem attractoriũ possident, ita vt impactos corpori refigant aculeos. Succus earum ex naribus purgat eadem de causa. Et vt summatim dicatur, exiccatoriam citra mordicationem facultatem habent, quamobrem vulnera glutinant, & putrida adiuuant.

EX PLINIO.

Vtriusque succus oculorum caliginem discutit cum melle, & ex ictu cruorem, & argema rubens, magis cum Attico melle inunctus. Pupillas dilatat, & ideo hoc inunguntur antè, quibus paracentesis fit, iumentorum quoque oculis

medentur. Succus caput purgat per nares infusus, ita vt deinde vino colluatur. Bibitur & cõtra angues succi drachma in vino. Mirũ, quòd fœminam peccora vitant. At si decepta similitudine (flore enim tantùm distãt) degustauere, statim eã quæ Asyla vocatur, in remedio quærũt. Ea à nostris ferus oculus nuncupatur. Præcipiunt aliqui effossuris, ante solis ortum, priusquã quicquid aliud loquantur, ter salutare eam, tunc sublatam exprimere, ita præcipuas esse vires. Vrinam cient Anagallides. Iecinori mirè prosunt. cohibent quas nomas vocant. Vtiles & recẽtibus plagis, præcipuè seruum corpori. Adrecentia quoque vulnera tanta traditur vis, vt saniem ossibus extrahant. Anagallis cærulea procidentia sedis retro agit, è diuerso rubens proritat. Superstitiosum.

DE ALSINE.

CAP. VII.

Alsine omnis Mouron nobis dicitur. à hac earum similitudine cum solano.

NOMINA.

Ἀλσίνη Græcè, Auricula muris Latinè, Morsus gallinæ vulgò appellatur. Paueirina Italicè, quod paueris id est, iunioribus anseribus gratum pabulum subministret. Auiculas caueis inclusas, cum fastidiunt escam, aucupes hac herba recreare solent. Gallicè Mouron alijs Morgeline vocatur. Alsine Morsus gallinæ. Alsine cur dicta.

sine autẽ dicta est, quòd lucos, quæ Græci ἄλση nominant, nemorosaq; & umbrosa loca amet. Auricula verò muris, quòd musculorum auribus folia similia habeat.

GENERA.

Quamuis Dioscorides & alij vnã tantùm Alsinen faciunt, nos tamen tria eiusdem genera, licet plura adhuc inueniantur damus. Primum genus Alsinen maiorẽ vocauimus, quid scilicet vera sit Alsine, & alijs maior, Gallicè Mouron nominatur. Alterius generis plantã Alsinen mediã appellauimus, Gallicè Moyen mouron. Hæc quod ad flores attinet, qui cœrulei sunt, à descriptione variat: eiusdem tamẽ cum priore facultatis. Tertij generis herbam Alsinen minorem vocauimus. Hæc, quidem, vt prima, pulchrè descriptioni respondet, Gallicè Petit mouron nuncupatur.

FORMA.

Cauliculis serpit rotundis, è quorum geniculis exiles ramuli prosiliunt, foliis Helxines minoribus, minusq; hirsutis, flore exiguo, candido foris herbaceo. Hæc cum teritur cucumis odorem refert. Non autem illam Peponis maturi iucunditatem, sed herbaceum cucumeris odorem subolet. Porrò cum Dioscorides Helxinæ similem esse Alsinen tradit, non de ea Helxine quæ vulgo Parietaria, sed ea potius quæ alio nomine Cissampelos dicitur, intelligas oportet: hæc enim so-

lia

lia Hederæ haud dissimilia obtinet. Adeò vt liquidò iam constet, Alsinen esse eam herbam quam passim hodie Morsum gallinæ appellans. Huc accedit quod facultates, vt ex sequentibus patebit, quas vulgus Morsui gallinæ tribuit, ab Alsines viribus nihil varient. Helxine duplex.

LOCVS.

Nascitur in lucis, hortis & maximè in parietibus macerijs, opacisq; locis.

TEMPVS.

Incipit à media hyeme. Arescit autem æstate media. Cum prorepit, musculorum aures imitatur foliis.

TEMPERAMENTVM.

Refrigerantem & humectantem haud secus quàm Helxine obtinet facultatem: est enim aqueæ essentiæ frigidæq;: quare & citra adstrictionem refrigerat.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Alsine refrigerandi facultatem obtinet. Oculorum inflammationibus cum polenta illita conuenit. Succus eius aurium doloribus instilatus prodest. In vniuersum eadem quæ helxine potest.

EX GALENO.

Ad feruentes phlegmonas, & mediocria erysipelata competit.

EX PLINIO.

Vsus eius ad collectiones inflammationesq;.

Quas

Quin emendat omnia quæ Helxine, sed infirmius. Epiphoris peculiariter imponitur: itẽ verendis vlceribusq; cum farina hordeacea. Succus eius auribus infunditur.

APPENDIX.

Easdem facultates, herbis quas morsus gallinæ vulgò nominant nostri temporis herbarij tribuunt, quòd scilicet ad feruentes inflammationes, ac erysipelata prosint. Omnes enim vt dictum est, refrigerant atque humectant. Hinc est quod minorem aliqui Germanorum Fieberkraut vocent, quia scilicet febribus accommoda, & vtilis sit.

DE ANTHEMIDE.

CAP. VIII.

Chamæmelum leuchantemum nomen nobis retinet. Chrysanthemum quod pingis, mihi quod sciam non est visum, Eranthemum, quia vere floret in calcaris effigiem, in ambitu purpureum, cornueta nobis dicta pingitur, quæ tamen floret messibus.

NOMINA.

Chamæmelon cur dictum

ANθεμις, ἡ χαμαίμηλον Græcè, Anthemis, Chamæmelon Latinè, officinis corrupto nomine Camomilla dicitur, Germanicè camillen, (Gallicè de la Camomille.) Chamæmelon, quoniam odorẽ habeat mali, appellant, id quod de primo genere potissimũ intelligendum venit.

GENE

GENERA.

Tria eius genera, floribus tantum distantia inueniuntur. Hi enim etsi intus aurei sint, tamen foris per ambitum illis adiacent folia aut candida, aut lutea, aut purpurea. Quæ foris in orbem candida folia obtinet, ea est quæ à Dioscoride propriè λευκάνθεμον, & vulgò hodie Camomilla vocatur. Quæ verò luteis per ambitum foliis constat, ea haud dubiè est, quam priuatim Dioscorides à suis floribus χρυσάνθεμον nominat, Germani autem pulchrè ad Græcam appellationem alludentes, Goldtblumen, Gelcamillen Streichblumen, appellant. Tertia species chamæmeli, quæ nimirum purpureæ per orbem folia habet, nulla alia est nisi ea quã hodie vulgus medicorum Consolidam regalem, Germani autem à similitudine calcaris, cui respondet flosculus eius herbæ, & à colore lepido regioq; qui aspectari nunquam satis potest, Ritterſporn vocãt. Dioscorides peculiariter ἠρόανθεμον, eo quòd vere floreat, dici tradit. Tria itaq; in vniuersum Anthemidis seu Chamæmeli genera sunt, quorum sanè primum Chamæmelon leuchantemon, alterum Chamæmelon chrysanthemon, tertium Chamæmelon eranthemon Dioscoridi nominatur. De duobus primis generibus neminem dubitare, quin vera & legitima sint arbitramur, quòd nihil in ijs sit, quod Dioscoridis descriptioni, quam mox subijciemus, non re-

ſpondeat. Tertium fortè nonnullis qui moroſius omnia obſeruant, minimè genuinũ Chamæmeli genus eſſe videbitur, ideóque, quibus ſimus argumentis & conjecturis impulſi, vt tertium Anthemidis eſſe genus credamus, neceſſe erit oſtendere. Potiſſimum autem quod nos in hanc ſententiam pertraxit eſt, quòd ſingula in Dioſcoridis deſcriptione illi congruant, rami ſcilicet palmum non excedentes, fruticoſi, multas alas habentes, parui & exigui capitula rotunda, aurea, foris purpureis foljs, magnitudine in nullo alio genere Rutæ foljs magis ſimilibus circundata. Deinde ſententiam hanc noſtram confirmauit antiquiſſimus codex manuſcriptus, in quo pictura exquiſitiſsimè Regalem dictam conſolidam refert, quam ijs ſanè verbis deſcribit: herba eſt quam quidam Monachellam, ſine Capuciariam vocant (à cucullo haud dubiè monachorum, quem flores illius herbæ referunt, nomen imponentes) Dioſcorides Eranthemon appellat, & eſt vna ſpecies Anthemidis, quæ folia inſtar Camomillæ habet, nigriora tamen: florem autem violæ ſimilem. Hæc ille. Quibus omnibus illud etiam accedit, noſtram de hac herba ſententiam mirificè corroborans quod vulgus hodie medicorum Conſolidam regalem calculoſis, & oculis prodeſſe tradat, adeò vt illius etiam conſpectum multos ex oculis laborantes ſanaſſe dicant. Atque hinc fit vt ſtudioſi paſſim

passim eam herbam in suis museis suspensam habeant, oculis hac ratione consulere volentes. Has autem omnes facultates, vt ex sequentibus patebit, Eranthemo suo Dioscorides etiam adscribit. Quamobrem nihil certius est quàm Consolidam regalẽ tertium esse Anthemidis genus, id quòd argumenta nostra iam adducta palàm euincunt.

FORMA.

Rami palmum non excedunt, fruticosi, frequentes, alias habentes parui, tenues & multi, capitulis rotundis. Flores intus aureos continent foris verò per ambitum candidos, aut luteos, aut purpureos, foliorum Rutæ magnitudine.

LOCVS.

Nascuntur in aspero, sicco, macroq; solo, & iuxta semitas atque itinera.

TEMPVS.

Colliguntur vere in calidis potissimũ regionibus, in nostris inter æstatis initia, hoc est, Iunio mense.

TEMPERAMENTVM.

Calefaciunt & desiccant in primo ordine.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Vim habent radices, flores, & herba calfaciendi, extenuandiq;. Potu & insessione menses, fœtus, calculos, & vrinam pellunt. Aduersus inflationes, & tenuis intestini, dolores bibun

tur. Bile ſuffuſos expurgant, & iecinoroſis medentur, De cocto earum veſicæ vitia fouentur. Efficatius ex omnibus generibus eſt, quod florem fert purpureum, cæterisq; maius exiſtit, idq; propriè Eranthemon vocatur. Quod verò Leuchatemon & Chryſanthemon cognominant, vehementius vrinam ciunt. Agilopijs illitæ medentur. Commanducata oris vlcera ſanant. Nonnulli in clyſteribus ex oleo vtuntur, terentes ipſas ad pellendos febrium circuitus. Folia & flores reponi debent, & ſeparatim contuſa in paſtillos conformari. Radix quoque ſiccatur, & vſu poſcente interim partes duas herbæ, floris aut radicis modo vnam, interim contra floris duas, & herbæ vnam alternis diebus duplicantes ponderibus, dare conuenit. Bibere autem oportet in vino diluto mulſo.

EX GALENO.

Tenuium eſt partium, quamobrem digerendi, rarefaciendi, & laxandi facultatem obtinet. Eſt itaque Chamæmelon tenuitate Roſæ perſimile, calore verò ad olei facultates magis accedit, animali familiares, & temperatas. Quapropter laſſitudinibus vt ſi quid aliud, confert, doloréſquo mitigat. Præterea tenſa remittit & laxat, quæq; mediocriter dura ſunt, emollit, quæq; conſtipata condenſatáne ſunt, rarefacit. Adhæc febres quæ citra viſceris alicuius inflämationem infeſtant, diſſoluit, præſertim quæ ex hum

ex humorib. biliosis, aut cutis densitate cõsistũt. Qua de re & ab Aegyptiorum sapientissimis Soli consecrata est, febriumq; omnium remedium putatur. Verùm hac quidem in re à veritate aberrant: solas enim quas diximus febres sanare potest, easq;, quæ iam concoctæ sunt. Iuuat autem pulchrè reliquas etiam omnes quæ melancholicæ sunt, aut pituitosæ, aut ex visceris inflammatione prognatæ: nam & harum remedium Chamæmelon vel strenuissimum est, vbi iam concoctis adhibetur: quapropter & hypochondrijs, vt si quid aliud, gratum existit.

EX PLINIO.

Medici vere folia tusa in pastillos digerunt item florem & radicem. Dantur omnia mixta drachmæ vnius pondere contra serpentum ictus. Pellit mortuos partus, item menstrua in potu & vrinam, calculosq;, inflationes, tecinorũ vitia, bilem suffusam, ægilopia. Commanducata vlcerum mandantes in ore eruptiones sanat. Ex omnibus ijs generibus ad calculos efficacissima est, quæ florem purpureum habet, cuius & foliorum, & fruticis amplitudo maiuscula est. Hanc propriè quidem Eranthemon vocant.

DE ANETHO. CAP. IX.

NOMINA.

Ἄνηθον Græcè, Anethũ Latinè appellatur Nomen in officinis genuinũ retinet, Ger-

manicè Dyllen, & HochKraut (*Gallicè.* Anet) *nominatur.*

FORMA.

Anethum seſquicubitali procerıtate assurgit, multicaule, ramosum, exilitate foliȝ in staminis penè modum extenuata, luteolo floſculo, semine lato & quasi folliato, radice lignosa, neque adeò prolixa, vmbella fœniculi, cui cognatum quasi genus, propter similitudinem videri poteſt.

LOCVS.

In hortis seritur: interdum & sponte, fœniculi modo, prouenit.

TEMPVS.

Floret in æstate, Iunio & Iulio mensibus.

TEMPERAMENTVM.

Annethum adeò calefacit, vt à habendum sit aut secundi ordinis intẽsi, aut tertiȝ remissi. Exiccantium verò ordinis est secundi incipientis, aut primi finiẽtis. Vstum autem tertiȝ tum calfacientium, tum deſiccantium ordinis sit.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Anethi aridi comæ seminisq; decoctum potum lac euocat. Tormina & inflationes sedat. Aluũ leuésque vomitiones sistit. Vrinam cit. Singultus lenit. Oculos hebetat, & genituram aſsiduè potum extinguit. Decoctum eius mulieribus præfocatione vuluæ laborantibus ad insidendum vtile. Semen eiusdem vstum & illitum condylomata tollit.

Ex

EX GALENO.

Anethum in oleo decoctum digerit, sedat dolores, somnum conciliat, crudos & incoctos humores concoquit. Fit enim ex eo oleum, cuius propinqua sit temperies pus mouentibus & maturãtibus vocatis medicamentis, nisi quatenus paulò illis tum calidius, tum tenuiorũ parcium est, atque adeò digerendi facultate præditum. Vstum vlceribus admodum humidis illitum prodest, potissimum ijs quæ in pudendo consistunt. Quæ autem in præputio sunt inueterata, ijs probe cicatricem inducit. Cæterùm viride humidius est, & minus calidum, itaque magis concoquit sicco, & somnum conciliat, sed minus digerit. Idcirco mihi videntur veteres coronis ex eo concinatis in sympositis vsi esse.

EX PLINIO.

Anethum ructus mouet, & tormina sedat. Aluum sistit. Epiphoris radices illinuntur ex aqua vel vino. Singultus cohibet semen feruens olfactum. Sumptũ ex aqua sedat cruditates, Cinis eius vuam in faucibus leuat, oculos & genituram hebetat.

EX SIMEONE SETHI.

Ad crassorum humorum inflationes prodest. Quidam sane ipsum stomacho bonum esse, alij vero minimè, dixerunt. Illi quidem ad eius caliditatem, & facultatem quæ humiditatem cõcoquit, & flatus qui sunt in ventricu

lo discutit, respexerunt: ij verò ad substantiam eius quæ crassarum est partium. concoctu difficilis, & nauseosa. Oleo incoctũ discutit, & somnũ conciliat. Inunctum tumores crudos conquoquit. Inflationes quoque quæ in ventriculo generantur, digerit, Corpus ex immodico labore defatigatum, curat Renes verò, vt quidã aiunt lædit.

DE AIZOO.

CAP. X.

Sedum maius nobis iouis barba, minus mas Triquemadame, hortense est à cetrajis expetitũ: alia duo sylvestria quorum posterius vermicularis nobis dicitur calida multum herba, non autẽ teneo aliud.

NOMINA.

Iouis barba.

Αιζωον Græcè: Aizoon, Sedũ, Semperuiuum Latinè nominatur. Postremum nomen officinæ obtinuerunt. Vulgo Iouis barba Gallicè de la Ioubarbe. dicitur, quòd scilicet nonnullis locis plebis animos iampridem inuaserit opinio, non feriri fulmine domum, in cuius tegulis vireat Sedum. Porrò Aizoon & Semperuiuũ appellãt, quod perpetuò, tam æstate quã hyeme virescat, nec vllis frigoribus, aut cœli iniuria quantumuis frigida emoriatur.

GENERA.

Dioscoridem sequentes tria eius genera statui mus

mus. Primum Aizoon seu Sedum maius, quòd folia latiora habeat. Alterum Sedum minus, quòd Græcis etiam τριθαλὲς, quia ter floreat in anno, vocatur. Vulgò Vermicularis, à similitudine foliorum, quæ rotunda sunt, & figuræ ouatis, vt vermiculos putes, & Crassula minor nominatur. Huius iterum duo sunt genera: alterum enim mas est, quod nimirum floribus luteis spectatur, & Gallis Triquemadame appellatur. Alterum fœmina, quòd pallidis seu candidis conspicitur floribus. Tertium genus est quòd Aizoõ syluestre ab alijs: Portulaca syluestris, aut Illecebra minus rectè & impropriè dicitur. Nam Portulaca syluestris diuersa ab hoc tertio. Sed genere herba est, vt suo dicemus loco. Illecebræ autẽ nomen aliæ debetur herbæ, quæ Telephion vocatur, vt in eiusdẽ historia docebimus. Nomina verò hæc generi illi indiderunt, seductì errore eorũ qui Portulacam syluestrem cum tertio Aizoo apud Dioscoridem confuderunt, atquæ adeò quæ debentur Portulacæ & Telephio nomina, Aizoo temere assignarunt. Vt enim viribus diuersa est Portulaca syluestris ab hoc genere tertio Aizoi, ita etiam nomine & forma. Quare meritò reprehẽdẽdi sunt qui duo hæc capita sic sibi temere miscuerunt. Vulgares herbarij Vermicularem minorem vocant. Galli Pain doyseau.

Aizoon maius.

Vermicularis.

Crassula minor.

Aizoon minus.

Tertium genus Aizoi.

FOR

FORMA.

Maius Semperuiuum maius caules profert cubitales, interdum etiam maiores, pollicis craſsitudine, pingues, egregiè virentes, inciſuras Characiæ Tithymalli inſtar habentes. Folia pinguia, pollicis magnitudine, in cacumine linguæ ſimilia, alia Minus in terram reſupinata, alia in capite inuicem contracta, circulo oculi figuram circunſcribunt. Minus Aizoon caules ab vna radice exeuntes multos habet, tenues, foliis plenos rotundis, pinguibus, paruis, in ſummo acuminatis. Emittit autem è medio caulem palmi altitudine, χλωρὰ vmbellam & flores pallidos luteósve ſuſtinentem: χλωρὰ enim hoc loco, vt alias ſæpe, pro ὠχρὰ accipitur, id quod ex Serapione etiam abundè conſtare poteſt, qui hunc Dioſcoridis locum ita reddidit: Et habet virgam in medio longam, circa longitudinem palmi ſuper quam eſt capitellum, in quo eſt flos citrinus, ſubtilis. Eam autem Semperuiui minoris ſpeciem quæ floſculis luteolis ſpectatur, dilucidioris doctrinæ gratia, marem appellauimus. Alteram verò quæ candidos obtinet flores, fœminam. Tertium Semperuiui genus ſylueſtre dictum, foliola habet pinguiora, ad Portulacæ figuram accedentia, & hirſuta, breuioriq́ue cacumine. His verbis exquiſitè admodũ Dioſcorides & Plinius tertium Aizoi genus, quod vermicularem minorem hodie ap

die appellant, delinearunt. Habet enim pinguia admodum foliola, ad Portulacæ syluestris formã nonnihil accedentia, hirsuta, & breuiori quàm in Aizoo minori cacumine. Reliqua quæ sequuntur in quibusdam Dioscoridis exemplaribus, manifestè adulterina sunt. Neque ijs plura habet Aldinum exemplar, & alia quæ paulo sunt castigatiora.

LOCVS.

Maius nascitur in montanis & testeis. Nonnulli autem in tectis domorum conserunt. Minus Aizoon in muris & petris, macerijs vinearum, parietibusque prouenit. Tertium in petrosis locis, sepulchris vmbrosis, oppidorumque o ssis.

TEMPVS.

Florent Maio & Iunio mensibus maius & minus. Tertium autem genus in Maio tantùm floribus ornatur luteis.

TEMPERAMENTVM.

Aizoon vtrunque, tam maius quàm minus, desiccant modicè, vehementer autem refrigerãt: sunt enim ex tertio ordine & recessu refrigerantium. Tertium genus calidũ esse, Dioscorides & omnium veterum testimonio constat. Gustus etiam minimè reclamat: si enim gustaueris, linguam vehementer vrit.

VIR

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Maius vim obtinet refrigerandi & adstringendi. Conferunt ad erysipelata, herpetas, nomas oculorum inflammationes, ambusta podagras, folia per se, & cum polenta illita. Succus verò cum polenta & rosaceo, capiti in doloribus infunditur. Datur à phalangio morsis in potu diarrhœa laborantibus, dysentericisq;. Teretes lumbricos cum vino potus excutit. Subditus in pessο, muliebres fluxiones sistit. Succus etiam lippientibus à sanguine vtiliter inungitur. Minoris folia antedicto eandem facultatem habent. Tertium genus calfaciendi vim habet, acrẽ & exulcerantem. Cum axungia, illitum, strumas discutit.

EX GALENO.

Semperuiuum vtrunque tã maius quàm minus deficcat quidem modicè, quandoquidem & mediocriter adstringat, omnis alterius vehementis qualitatis expers: quare in eo aquea essentia abundat. Refrigerat non mediocriter, ideoq; ad erysipelata, herpetas, & à fluxione natas phlegmonas prodest.

EX PLINIO.

Vtriusque vis eadem, perfrigerare & adstringere. Medentur epiphoris folia imposita, vel succus inunctus. Purgant enim vlcera oculorum, explentq;, & ad cicatricem perducunt. Palpebras deglutinant. Eadẽ capitis doloribus in eden-

tur

tur, succo vel folio temporibus illitis. Aduersantur phalangiorum ictibus: aconito verò maius Aixoum præcipuè. A scorpionibus quoque feriri id habentem negant. Medentur & aurium dolori.

APPENDIX.

Errat non parum hodie magna medicorum pars qui sedi genus tertium refrigerare, asserere haud verentur. Et mirũ sanè cur abeo errore illos Dioscorides non reuocet, qui disertè ait. hoc ipsum calefaciendi, & exulcerandi facultatem habere. Sed fortè non magnopere laborant, quid de hac planta Dioscorides tradat: debuisset tamen erroris huius admonuisse eos saltem germanica eius plantæ nomenclatura. Neque enim alia ratione Maurpfeffer nostris Germanis dicta est, nisi quod in muris proueniat, gustuq; acris admodum sit

DE ARNOGLOSSO.

CAP. XI.

Plantago hæc triplex omnibus nota, & quæ speciatim præter has Arnoglossum dicitur, rotũdioribus foliis lanuginosis, sessilibus vsu frequẽtissimo officinarum celebris.

NOMINA.

Ἀρνογλωσσον Græcis Arnoglossum, Plãtago Latinis nominatur. Nomen latinum Plantaginis officinæ retinuerunt Gallicè Du plantain Germanicè Schaffzungen quod

Arnoglossum nude dictum, Plantago

quod nomen Græco pulchrè respondet, dicitur. Arnoglossum, quòd eius folia agninæ linguæ similima sint, appellarunt Græci, Latini autẽ Plantaginem, ducto à planta vocabulo, nuncuparunt. Sunt tamen qui à multitudine neruorum, quibus quasi costis in dorso per longitudinem folia eius distincta sunt, Polyneuron vocant.

GENERA.

Polyneuron.

Duo Plantaginis sunt genera, veterum omnium sententia, maior & minor, Maior, quam peculiariter à septenis quæ in foliis apparent costis, Græcè ἑπτάπλευρον, id est, Septineruiam vocant. Minor, eo quòd eius folia fibris quinque tanquam neruis distincta sunt, πεντάνευρον, id est, Quinqueneruia dicitur. Officinæ, quoniam folium arctius desinit in acumen, & velut in lanceæ mucronem fastigiatur, Lanceolatam, vulgus autem Lanceolã appellat, quia scilicet acuminatior & longior est.

FORMA.

Minor Maior

Minor Plantago angustiora, minora, molliora, leuiora, & tenuiora folia habet, caule anguloso, in terram inclinato: flores pallidos: semen in summis caulibus. Maior contra crassior vegetiórque, latiore folio betaceo. Folia siquidem maioris Plantaginis betaceorum effigiem, non alterius oleris referunt, quod Dioscorides λαχανῶδες dixit. Nam apud Athenienses

λάχανον

ſes λάχανον pro Beta ſæpe ſumi ſolet, à cuius foliis non multum Plãtaginea videntur abhorrere Non ita quæ olus intelligere potuit, cùm in exprimenda ſimilitudine ſpeciatim loqui, non generatim conueniat. Huius caulis anguloſus, ſubruber altitudine cubitali, à medio ſui ad verticem vſque tenui ſemine circundatus, floſculum in ſpica luteum, nonnunquam herbaceum oſtẽtat. Radices ſubſunt illi teneræ, hirſutæ, candidæ, digitali craſſitudine. Deſcriptiones hæ Dioſcoridis pulchræ picturæ reſpondent. Antiquus etiam herbarius eaſdem pro maiori & minori Plantagine herbas exhibet.

LOCVS.

Maior in paluſtribus potiſſimum naſcitur. Vtraque autem circũ ſepes, aggeres, prata, & lacunoſa loca.

TEMPVS.

Herba & flores in æſtatis initio, Maio & Iunio menſibus, ſemẽ verò Auguſto carpitur mẽſe.

TEMPERAMENTVM.

Mixtæ eſt temperaturæ Plantago, habet enim quidam aqueum frigidum: habet verò & auſterum quidam, id quod terreum eſt, ſiccum, frigidum. Itaque refrigerat ſimul & deſiccat, & in vtroque ſecundi receſſus à mediis eſt.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Vim habent folia exiccatoriam & adſtringẽtem, ideo ad omnia vlcera maligna elephantica,

quæ

quæ humore ſcatẽt, & ſordida, conferunt. Eruptiones ſanguinis, nomas, carbunculos, herpetas, epinyctidasq; cohibent. Vlcera vetera & inæqualia cicatrice obducunt. Medentur & ijs quæ Chironia nuncupantur. Sinus glutinant. Morſibus canis, ambuſtis, inflammationibus, parotydi, panis, proſunt Strumis & ægilopis cum ſale illita conferunt. Olus coctũ cũ aceto & ſale dyſentericis & cœliacis ſumptum ſubuenit. Datur & in locum Betæ cum lenticula coctum. In leucophlegmatia poſt aridas epulas in medio herba decocta datur. Comitialib. & aſthmaticis data proficit. Foliorum ſuccus oris vlcera continua colluſione purgat. Cum cretacimolia & ceruſa ignibus ſacris medetur. Fiſtulas infuſus ſanat. Auricum doloribus & lippitudinibus ſuccus inſtilatus & collyrijs additus prodeſt. Gingiuis ſanguinolentis, & ſanguinem reijcientibus potus confert. Dyſentericis ſubter per aluum injcitur. Bibitur contra tabem. Aduerſus vteri ſtrangulationes in lana apponitur: item vuluæ fluxiones. Semen cum vino potum alui fluxiones, & ſanguinis excreationes ſiſtit. Radix decocta collutione, & cõmanducata, dentium dolores ſedat. Eadẽ cũ foliys in paſſo ad veſicæ renumq; vlcera præbetur. Ferunt tres radices cum tribus vini cyathis, & pari aquæ potas tertianis auxiliari, & quatuor quartanis, Sunt qui radice è collo ſuſpenſa ad ſtrumas diſcutiendas vtantur.

EX

EX GALENO.

Quæcunque medicamenta cum hoc quod refrigerant vnà etiam adstringunt, ea & ad vlcera maligna omnia, & ad fluxiones, & putredines prosunt, atque adeo etiam ad dysenterias: nã & sanguinis eruptiones sistunt, & si quid aduratur refrigerant. Sinus quoque glutinant, & alia vlcera recentia simul, & vetera.

In omnibus ferè id genus medicamentis, primas tenet, aut certè nulli secundum est Arnoglossum, idque temperaturæ symmetria. Nam siccitatem obtinet morsus expertem, & frigiditatem quæ nondum obstupefaciat. Semen eius & radix similis sunt facultatis, attamen siccioris, & minus frigidæ. Semen etiam subtilium est partiũ radices autem crassiorum. Et huius herbæ folia excicata, subtilioris & minus frigidæ facultatis fiunt, nempe diffiato ex eo ac digesto excremento aqueo. Hac ratione radicibus vtuntur ad dentium dolores, tum manducantes, tum collutionibus incoquentes. Præterea ad iecinoris & renum obstructiones non has tantùm adhibent, sed folia quoque & multò magis semen, hæc enim quãdam abstergendi in se facultatem habent, quam & in herba viridi in esse satis conijci potest, verùm ab humiditatis copia vinci.

EX PLINIO.

Vis mira in siccando densandoq; corpore, cauterij vicem obtinens. Nulla res æque sistit fluxio-

nes, quas Græci rheumatismos vocant. Stomachũ corroborat Plantago per sẽ sumpta in cibo cum lente alicaúe sorbitione. Strumis medetur. Semen eius in vino tritum, vel ipsa ex aceto cocta, aut alica ex succo eius sumpta dysentericis datur. Lichenis fœdo mala medetur trita. Vitia sedis & attritus celerrimè sanat. Ex aqua mulsa duabus horis ante accessionem pota duabus drachmis, tertianas leniores facit vel succus radicis madefactæ vel rusæ, vel ipsa radix trita in aqua ferro calefacta. Quidam ternas radices in tribus cyathis aquæ dederunt. Idem in quartanis quaternas fecerunt. Hydropicos sanat in cibo cum prius panem siccum comederint sine potu. Folia podagras refrigerant, & in primo ipetu podagræ rubentis, hoc est, calidæ, conueniunt. Oris vlcera succus emendat, & folia raduces; cõmanducata, vel si rheumatismo laboret os, Vitio reiectionis sanguinis idem medetur. Phthisim sanat si bibatur, & ipsa decocta in vino cum sale & oleo à somno matutino refrigerat. Luxatis dolores & tumores tollunt folia tusa, addito sale modico. Fistulis infusus succus auxilio est, Sanguinis profluuium sistit semen, si ore reyciatur, siue aluo fluat, siue fœminarum vtero. Succus vomentibus sanguinem datur. Contusis, euersis omnibus modis ipsa sumitur. Medetur omnium generum vlceribus, peculiariter fœminarum, seuũ, & infantiũ, igne mollita, melior & cũ cerato.

DE

DE ALISMATE.

CAPVT XII.

NOMINA.

Plantago aquatica

Ἄλισμα, ἢ δαμασώνιον Græcè: *Alisma*, *Damasonium* latinè *nominatur*. *Sunt qui eam herbam esse putent quam herbarij & vulgus nominant* Barbam syluanam, & Plantaginem aquaticam: *nonnulli verò eam, quam multi pastoralem fistulam vocant*. Prior Germanis. Vuasset Vuegreilch, & Froschoffel (Gallicè Plantain aquatique) *quòd scilicet in palustribus nascatur vbi frequentes sunt ranæ*. Altera verò *ijsdem* Hirtenpfeiff *nominatur*. Plantaginem autem aquaticam, *ob natales & similitudinem quæ illi cum vera Plantagine est, dixerunt: quèadmodum fistulam pastoralem, quod singulari scapo rudis fistulæ & longitudinem & effigiem quandam videatur imitari. Quæ verò nostra de ijs sit sententia, paulò pòst indicabimus.*

FORMA.

Alisma folia Plantagini similia habet, angustiora tamen & in terram reflexa, demissáq;. Caulis illi est tenuis, simplex, altitudine cubitũ excedente, thyrso similis, capitula habens. Flores tenues, cãdidos & aliquatenus pallidos obtinet.

Radices vt Ellebori nigri tenues, odoratas, acres modicéq; pingues. Ex qua quidem delineatione satis constat, neutram herbarum quarum picturas damus, esse Alisma. Nam herba quam hodie Plantaginẽ aquaticam vocant, non per omnia historiæ respondet. Vt enim alia præteream radix eius neque odorata, neque acris est. Alterius autem, quã pastoralem fistulam nominauimus, etsi radix odorata sit. minimè tamen acris existit. Quicquid tamen sit, hac potius quàm altera pro Alismate vtendum esse censeo. Eius effigiem suo loco dabimus.

LOCVS.

A quosa amat loca, in quibus passim nascitur.

TEMPVS.

In æstate colligi potest, tum enim floribus abundat.

TEMPERAMENTVM.

Calidam esse hanc herbam satis monstrant radices quas acres esse constat. Abstersoriam etiam quandam in se facultatem obtinent.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Radix vnius aut alterius drachmæ pondere cũ vino pota, his qui leporem marinum deuorarunt, prodest, & quos rubeta rana momorderit, quinque opium hauserunt. Torminibus & dysenteriæ per se, aut cum Dauco pari pondere pota confert. Conuulsis itidẽ & vteri strãgulationibus. Herba

sistit

sistit aluum, mẽses dicit & œdemata illita lenit.

EX GALENO.

Damasonium aut Alisma. De hac herba in tertio libro tradit Dioscorides, quòd radix eius epota dysenterias sanet, & aluũ sistat, atque œdemata mitiget. Nos vero ea experti non sumus. Quòd autem constitutos in renibus calculos aqua in qua decocta fuerit pota comminuat, casu experti sumus. Ex quo liquet, quod absterſoriam quandam facultatem obtinet.

EX PLINIO.

Vsus in radice aduersus ranas & lepores marinos. Lepori marino aduersatur in vino potum. Strumis imponitur ex aqua cœlesti folium tritũ vel radix cum axungio tusa, ita vt imposita folio suo operiatur. Sic & ad omnes cerucis dolores, tumoresq; quacunque in parte.

DE ARTEMISIA.

CAP. XIII.

Artemisia vulgaris nobis nomen retinet. Tenui foliam pingis, quam matricariã vulgo vocamus. Monoclonum verò, Tanacetum seu Athanasia vulgo dictam. Tagetem verò quem Oculum Indicum vocamus.

NOMINA.

Ἀρτεμισία Græcis *Artemisia* Latinis Germanis Beyfusz, Bucken, S. Iohans gurtel, Sounenuuend gurtel, oder Grosser reinfar (*Gallicè* Armoise ou

Iherbe de sainct Iehan) *appellatur. Officinæ veterem appellationem retinẽt. Nomen herbæ inditum putãt ab Artemisia vxore Mausoli regis, quæ sibi hanc herbam adoptauit, cum ante Pathenis, id est, virginalis, quòd virgo dea illi nomen dederit, vocaretur. Non desunt qui ab Artemide cognominatam arbitrẽtur, quòd priuatim fœminarum malis, quibus ἄρτιμις, hoc est, Diana præest, medeatur. Nomen Germanicum* S. Iohans gurtel, *quasi diui Ioannis zonam dicas, à superstitiosulis nonnullis monachis & mulierculis herbæ huic impositum est. Nam fuerunt qui non coronas duntaxat, sed etiam zonas ex Ista herba confecerunt, quas tãdem in ignem qui in die diuo Ioanni baptistæ sacro, in singulis plateis vrbium succendebatur, nescio in quem euentum, proiecerunt, haud dubiè hac herba in deserto diuum Ioannem cinctum fuisse somniati.*

Artemisia vnde dicta.

GENERA.

Tres sunt, Dioscoride teste, Artemisiæ species quæ etiam hodie apud nos passim reperiuntur.

Artemisia latifolia.

Prima. πλατύφυλλος. *Latinè Artemisia latifolia dici potest. Ea autem est quæ simpliciter hodie* Artemisia vocatur. *Huius iterum duo sunt genera colore duntaxat distantia: vnum caule & floribus rubens, Germanis* Rotbuckẽ, *vel* Rotbeyfusz *dicitur: alterum candicãs caule,*

Artemisia tenui folia

floribus verò flauis, Germanicè Vucitzbucken *appellatur. Altera Græcè* λεπτόφυλλος, *Latinè vero*

tinè vero Tenuifolia nominatur: quòd quidem genus vulgus hodie Matricariã Germani Miner-Krãt & Mettrã (Gallicè de L'eſpargoute) quod vteri quem matricem vocãt morbis medeatur. Tertia ſpecies Artemiſia monoclonos dicitur, Tanacetũ corrupto nomine pro Tagetẽ hodie nominant, Germani Reinfarn, quòd filicis ferè ſpeciem referat & in aquarũ ripis naſcatur. alio nomine Vurm Kraut, quoniã lũbricos è vẽtre pellat. Eſſe verò hãc herbã aliquã Artemiſiæ ſpeciem vel hinc etiã cõſtare põt quòd primã ſpeciem, vt diximus, nõnulli Germanicè Groſſen reinfarn vocant: hac enim nomenclatura manifeſte docent, & eã quã Tagetẽ appellãt Artemiſiæ eſſe cõgenerem: quòd ſcilicet eandẽ habeat appellationẽ. Huius haud dubiè generis eſt herba quæ elegantiſsimos profert flores, garyophyllos Indos vocatos nulla enim in re niſi floribus, qui ſunt elegãtiores & longè maiores, ab hac noſtra diſtat: odore tamẽ noſtrã: hãc etiã vincit. Hìc eſt quod Tagetẽ Indicã appellauerimus, Germanicè autẽ Indianiſchenegelen. His autẽ herbis tribus conuenire Dioſcoridis deſcriptiões facilè vnuſquiſque ex ijs q̃ paulò pòſt dicemus cognoſcet. Eſſe aũt Artemiſiæ genera ex manuſcripto codice, quẽ ob vetuſtatẽ lubẽs cito, manifeſte colligi põt. Is enim picturas ordine tres iã cõmemoratas herbas ita ob oculos ponit, vt nemo qui illas vel ſemel ſaltẽ viderit, nõ agnoſcat. Picturæ accedunt

Matricaria.

Artemiſiæ monoclonos.

Tanacetũ Tagetes.

descriptiones, & nomẽclaturæ hodie etiam vsitatæ. Primam enim Artemisiã, alteram Leptophyllon & Matricariam, tertiam vero Tagetẽ, quo nomine Apuleius vsus est, & Tanacetum appellat, ita vt nemo deinceps quin vera sint Artemisiæ genera dubitare debeat, aut meritò possit.

FORMA.

Artemisia

Prima species quæ priuatim Artemisia dicitur, fruticosa est herba, Absinthio similis, maiora tamen & pinguiora folia habet, quæ supernè ex nigro virescunt, subter autem candicant, crebrò etiam resecta sunt. Flos illis tenuis, & semen rotundum. Altera, folia tenuiora obtinet, flores exiguos, tenues, albos, & grauiter olentes. Porrò Sampsuchi odorem confricata eius folia & flores referunt. Quæ vtique descriptio ita Matricariã vulgò dictam herbam exprimit, vt nemo non, nisi talpa cæcior sit, hanc esse alteram Artemisiæ speciem videat. Fruticola enim herba est Matricaria, foliis quàm sit Artemisia proprie dicta gracilioribus, floribus tenuioribus, per ambitum albis, (intus enim lutei existunt) grauiter cum vniuersa herba olentibus. Hallucinantur itaque qui Serapionis interpretem secuti, Dioscoridis Parthenium esse putant, vt suo loco abundè demonstrabimus. Tertia μονόκλωνος, hoc est, vnicaulis dicta simplici caule consurgit, foliis minutim scissis. Caulis in summo floribus luteis & tenuibus

Parthenium nõ est Matricaria.

bus abundat. Hæc odoris iucunditate priorẽ vincit. Quæ sanè descriptio pulchrè herbam Tanacetum appellatam hodie, delineat, ita vt tertiam esse Artemisiæ speciem nemo dubitare debeat, aut saltem iure queat. Tagetes Indica caule exurgit rubescente, ramulis multis brachiato, foliis tenuibus, minutim sciſsis, & grauiter odoratis, floribus in summo caule luteis, & croci ferè colorẽ referentibus, elegantia nulli alteri cedentibus. Tanacetũ

LOCVS.

Prima nascitur in aquosis incultis, asperisq; locis. Altera in hortis, locis siccis & lapidosis. Tertia in aquarum ripis, atque vinearum aggeribus passim prouenit, vnde Germanicè appositò vocabulo Reinfarn vocatur. Indica Tagetes non nisi sata prouenit in Germania.

TEMPVS.

Singula genera tria æstate, potissimus cum vua matureſcit, tunc enim abundant floribus, colliguntur. Indica Paulo tardius in nostra regione floret.

TEMPERAMENTVM

Calefaciunt & modicè desiccãt, & sunt quod ad calefactionẽ attinet, ordinis secundi: quod verò ad resiccationem, aut primi intensi aut secundi remissi sunt etiam modicè tenuium partium.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Excalfaciunt & extenuãt. Feruefactæ prosunt ad insessus muliebres, ducẽdos menses, secun-

das & fœtus, Vteri præclusionem atque inflammationem iuuant lapides frangunt, & vrinæ suppressionem tollunt. Herba ipsa imo ventri illita copiosa, menses mouet. Succus eius cum myrrha subactus & admotus, ex vtero elicit quacunque, & insessio. Bibitur etiam coma trium drachmarum pondere eorundem ducendorum gratia. Siquis stomacho laborans Artemisiam leptophyllon contuderit probè cum oleo amygdalino, & veluti malagma confecerit, stomachoq; imposuerit, sanabitur. Neruorum quoque dolore si quis affectus fuerit, ac succum eius cum oleo rosaceo miscens inunxerit, curabitur.

EX GALENO.

Ad renum calculos mediocriter, & ad vteri fomentationes prosunt.

EX PLINIO.

Artemisia priuatim fœminarum malis medetur. Eandem quoque secum habentibus, negãt nocere mala medicamenta, bestiámue vllam, ne solem quidem. Bibitur & hæc ex vino aduersus opiũ. Alligata priuatim potens traditur, potáue aduersus ranas. Alligatã qui habet viator, negatur lassitudinem sentire.

APPENDIX.

Præter dictas facultates vsu compertum est, flores Tanaceti pueris ex vino vel lacte datos, mirificè ex ventre lumbricos pellere, ideóque Germanis herba lumbricorum, vt paulò antè diximus

mus, appellata est hæc Artemisiæ species.

DE APARINE.

CAPVT XIIII.

Aparine Rebulus.

NOMINA.

Ἀπαρίνη, ἢ ὀμφαλόκαρπος, ἢ φιλάνθρωπος Græcè, aparine Latinè, klebkraut Germanicè. (Gallicè Grateron) nominatur. Omphalocarpos ab umbilici similitudine, quam semen eius refert rectè dicta est. Philantropos autem vox humanitatis, amoris & comitatus illi imposita est, quod blandae, omis, & hospitalis herba sit, nec aliter prætereuntium vestes apprehendat, quàm solent amici & hospitaliores à se discedentes comprehensa veste retinere, aut si id nequeant, aliquandiu sequi. Quam appellationem pulchrè Germani exprimentes, klebkraut nominant: est enim illis Kleben, quod Latinis tenaciter adhærere. Officinæ & herbariÿ, nonnulli Aspergulam hodie vocant: rectius tamen vna detrita litera nominarent Asperulam, quòd asperitate sua attingentium vestimentis pertinaciter hæreat. Omphalocarpos. Philantropos.

Errant qui putant legendũ esse ὀμφακόκαρπος nam Dioscoridis & Pauli exemplaria castigatiora omnia habent ὀμφαλόκαρπον, Cui sanè lectio Annotatio

lectioni & ratio ipsa subscribit, cùm sic nominata sit ab umbilici specie, quã fructus eius refert. Quare cùm altera lectio ratione omni destituta sit, immeritò ab Oroßio Hispano Hermolaus, Marcellus, & Ruellius Dioscoridis interpres ὀμφαλόκαρπον legentes, taxantur.

FORMA.

Ramulos habet Aparine multos, exiguos, quadrangulos, & asperos. Folia per ambitum orbem ue Rubiæ modo per interualla circumposita. Flores albos. Semen durum, candidum, rotundum, à medio, vmbilici modo, leniter cõcauum. Ipsa herba vestibus adhæresit.

LOCVS.

Nascitur in frumentario agro, aut hortis circa sepes & maceries.

TEMPVS.

Colligitur æstate dum semine prægnans est.

TEMPERAMENTVM.

Aparine modicè extergit & desiccat, habétque nonnihil tenuium partium: vnde satis constat hanc aliquam etiam calorus in se portionem habere.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Aperines seminis, caulium & foliorum succus cum vino potus, phalangiorum & viperarum morsibus auxiliatur. Infusus doloribus aurium medetur. Herba ipsa cum axungia trita coacta, strumas discutit.

EX

EX PLINIO.

Efficax Aparine contra serpentes, semine poto ex vino drachma: & contra phalangia. Sanguinis abundantiam ex vulneribus reprimunt folia imposita. Succus auribus infunditur.

DE ACANTHO. CAP. XV.

Acanthus branca ursina.
Acanthus Germanica nobis non visa.

Brăcaursina.

NOMINA.

Ἄκανθος, ἡ ἄκανθα Græcis, Acanthus siue Acantha Latinis dicitur, Officinæ à similitudine, quam eius folia cum anterioribus vrsorum pedibus habent, Brancam vrsinam vocant. Ad quam etiam similitudinem respicientes Germani, Bernklauu, oder Berntaiz nominant. Illud non prætereundum esse putaui, hanc herbam olim etiam Romanis Marmoriam esse dictam: quæ vox in omnibus Dioscoridis exemplaribus deprauata est, ac in Mamolariam detorta: quòd eius folia columnarum maximè Corinthiarum capitulis insculpebantur, quarum idẽtidem tam scapi quàm vertices marmore splendebant. Antiqui etiam Acantho pateras pingebant.

GENERA.

Duo Acanthi genera damus. Primum quidem legitimam Acanthum nominauimus, quòd scilicet descriptioni per omnia respondeat. Germanis di

nis dicitur Vuelſchbern Klauu. Alterum Germanicam, quod nimirum in Germania officinæ omnes pro Achanto hanc vſurpent herbam. Germanis ſimpliciter Bern Klauu vocatur.

FORMA.

Folia habet multò quàm Lactuca latiora, & longiora, Erucæ modo inciſuris diuiſa, nigricãcia pinguia, læuia. Caulem læuem, binũ cubitorũ, digitali craſſitudine, ex interuallis ſub ipſum vſque verticem foliolis quibuſdam oblongis veluti nucamentis, aculeatis, ex quibus candidus promitur flos. Semen illi eſt oblongum, luteum, caput thyrſi ſpecie. Radices ſubſunt glutinoſæ, mucoſæ, rubentes, lõgæ. Hactenus Dioſcorides. Si autem veri Achanti picturam diligenter ſpectare volueris. huic deſcriptioni prorſus quadrare videbis, ita vt nulla ſit nota, quæ illi non adamuſim reſpondeat. Neque impedit quòd Achanta ſpinã ſignificet, ſpinoſa enim & hæc quidem herba eſt, ſed mollibus duntaxat ſpinis, ideoq; à Vergilio mollis Achantus dicitur. Germanicam tamẽ Achatum ad Dioſcoridis picturam non penitus accedere, eſt euidentiſsimum. Poteſt tamen in prioris inopia, huius etiam commodus eſſe vſus, vt ex ijs quæ paulò pòſt dicemus, patebit.

LOCVS.

Naſcitur vera in hortis, petroſis & humentibus locis. Germanica in hortis & pratis vndique.

TEM

TEMPVS.

Colligitur in æstate dũ floribus & semine abũdat, Iunio præcipuè & Iulio mensibus.

TEMPERAMENTVM.

Folia Achanti mediocriter digerentem facultatem obtinent. At radix exiccatoria est, & leuiter incisoria, & tenuium partium. Hanc vim Achanto etiam Germanico inesse, gustus abunde monstrat. Folia enim eius modicè amara, radix autem subacris est.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Achanti radices vstis & luxatis illitæ prosunt. Potæ vrinam mouent, & aluum sistunt. Tabidis ruptis, conuulsis, mirè vtiles sunt.

EX PLINIO.

Radices Achanti vstis luxatisq; mirè prosunt. Item ruptis, conuulsis, & phthisin metuentibus in cocta cibo, maximè ptisana. Podagris quoque illinuntur tritæ & calefactæ calidis.

APPENDIX.

Et si nostræ Brancæ vrsinæ facies picturæ Achanthi non vndiquaque respondeat, tamen eius radicem eandem habere cum Achanti veri radice facultatẽ est euidentissimum. Cum enim gustu subacris sit, necesse est vt exiccet, incidat, & tenuium sit partium. Errant itaque nostræ ætatis medici, qui neglecta prorsus radice folijs tantùm vtuntur, quæ quidem mediocriter discutere valent.

DE

DE SPINA ALBA CA. XVI.

Spina alba hortensis carduus beatæ Mariæ, syluestris palatium leporis.

NOMINA.

Bedeguar Spina alba vnde dicta.

Ακανθα λευκὴ Græcè, *Spina alba* Latinè, *Officinæ* Bedegarim *seu* Bedeguar *Pœno nomine appellant, Germani* Vueisdistel, oder Stechkraut. *Gallicè* Chardon nostre Dame, ou Chardon argentin, ou Artichau saunage. *Nomẽ herba hæc ab albis folijs seu lacteis maculis, quibus folia cõsperſa sunt accepit.*

GENERA.

Quamuis Dioscorides *Spinæ albæ duntaxat vnum faciet genus, tamen cùm plures inueniantur apud nos herbæ quæ descriptioni respondent, pluræ etiã vt illius statuamus genera necesse est. Vnum itaque genus est, quod hodie vulgò Carduus Mariæ dicitur, Germanis verò* Mariendistel, oder Frauuendistel *nominatur, Germanis verò* Mariendistel, odecl Frauuẽdistel *nominatur. Nos spinam albam hortensem, quod nimirum in hortis tantùm proueniat, appellauimus. Alterum genus syluestre est, proximè ad Dioscoridis delineationem accedẽs, ideóque à Germanis* Vueiszuuegdistel *vocatur. Cæterùm vidimus herbam peregrinam siccam, quæ syluestri, quod ad formam attinet, per omnia respondebat, quæ haud dubiè vera spina alba erat, & descriptioni prorsus conueniebat. Picturam eius, quod*

quod viridi destituebamur, dare non potuimus.

FORMA.

Folia albo Chamæleonti similia habet, angustioria tamen & candidiora, subdensa, subasperaue, & aculeata. Caulem binos cubitos excedentem, digiti magni aut minoris crassitudine, subalbum, intus cauum. In cacumine eius caput est aculeatum. Echino marino non absimile, minus tamen & oblongum. Flores purpureos, in quibus semen Cnici firma, sed rotundos. Quæ descriptio in vniuersum quadrare videtur herbæ quæ vulgo Carduus Mariæ appellatur. Folia siquidem Chamæleonti non dissimilia, angustiora, candidioráque (albis enim maculis vndique consperſa, vnde tam Græcum quàm Latinum, addeetiam Germanicum nomen Vueiſz diſtel, vt diximus, illi impositum est) subdenda, subasperaue, & minimè mollia, & mirum in modum aculeata sunt, ita vt contrectata immodicè pungant. Caulis eidem supra bina cubita altus, digiti maioris aut minoris crassitudine, & inanis. In summo vertice Echino marino haud dissimile caput aculeatum obtinet. Flores denique purpureos, in quibus semen Cnico simile, sed rotundius habet, id quod ex vtriusque seminis collatione pulchrè deprehendes. His accedit, quod facultates quas albæ spinæ Dioscorides tribuit, similes sint ijs quæ Carduo Mariæ à nostris hodie herbarijs assignantur, vt ex sequentibus innotescet.

tescet clarius. Syluestri sic quadrat descriptio vt nihil magis. Nam, vt cætera omittam, radix desiccatoria est, & modicè astringens, atque adeò genuinas Spinæ albæ facultates obtinet.

LOCVS.

Nascitur in montibus & syluosis locis. Hodie in hortis passim etiam plantatur. vt alia quædam Carduorum genera. Syluestre in locis incultis & arenosis prouenit.

TEMPVS.

Colligenda est herba in æstate dum semine prægnãs est. Floret autem Iunio & Iulio mensibus.

TEMPERAMENTVM.

Radix eius desiccatoria est, & modicè adstringens, Semen verò tenuis essentiæ, & calidæ facultatis.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Radix huius pota, sanguinem excreantibus stomachis & cœliacis prodest. Vrinam cit. Oedematis illinitur. Decocto eius dentes in dolore colluuntur. Semen potum conuulsis infantibus, & à serpente demorsis auxiliatur. Ferunt etiam quòd amuletum ex eo venenatas bestias abigat.

EX GALENO.

Radix cœliacis, & stomachicis succurrit. Sanguinis reiectiones cohibet, & œdemata illita contrahit, ac dentes dolentes iuuat, si decocto eius colluantur. Semen potum iis qui conuelluntur, prodest.

DE AS

DE ASPARAGO. CAP. XVII.

NOMINA.

Ἀσπάραγος Græcè Asparagus Latinè vocatur. Officinè extrita priore litera Spargum nominãt, Germani Spargen, (Galli Des asperges,) Sic autem potissimum altilis satiusq; de quo nobis hic sermo est, nominatur, eò quòd cauliculos hos, qui prima germinatione prodeũt è terra, præcipuos habeat. Asparagus vnde dictus.

FORMA.

E radiculis thyrsus primum exilit, cacumine in torulos turbinato, quod tandem increscens explicatur in prægrandes ramos, quibus insunt folia capillamenti modo, & vt Fœniculi tenuata, quæ per vetustatem occalescunt in spinulas. Florem fundit paruulum, quo decusso baccæ dependent primum virides, quæ tandem maturitate rubescunt, seminibus refertæ. Radices spongiosæ, longæ & rotundæ.

LOCVS.

In hortis seritur & plantatur, inq; nonnullis locis lapidosis sponte prouenit.

TEMPVS.

Thyrso primum cùm ver appetit emicante viret, spica tum cibis expetita. Recentes hos thyrsulos in voluptatem gulæ verterunt helluones. Hodie decoctus in iure Asparagus, aceto, sale, & oleo conspersus, magno gulæ delectamento comeditur, & in principium deliciis est. Semẽ suo-

legitur tempore, nimirum æstate.

TEMPERAMENTVM.

Abstergendi facultatem habet Asparagus idque citra manifestam aut caliditatem, aut frigiditatem.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Asparagi cauliculi cocti & commesti aluum molliunt, & vrinam mouent. Radicũ verò decoctũ, difficultati vrinæ, regio morbo correptis, nephriticis, ischiadicis: cum vino autem idem decoctum phalangiorum morsibus auxiliatur. Si decoctum super dente retineatur, eius dolori medetur. Facit ad eadẽ omnia semen etiam potum. Ferunt mori canes decoctum eius bibentes.

EX GALENO.

Renes ac iecur infarctu liberat Asparagus, & maximè herbæ ipsius radices & semẽ. Quin & dentium dolores sanat siccitatis nomine, quam vel maximè dentes requirunt

EX PLINIO.

Vtilissimus stomacho cibus, vt traditur, Asparagi. Cumino quidem addito inflammationes stomachi coliq; discutiunt. Idem oculis claritatem adferunt. Ventrem leniter molliunt. pectoris & spinæ doloribus, intestinorumq; vitijs prosunt. Vino cum coquuntur. addito, lumborum & renum dolores mitigant. Venerem stimulãt. Vrinam cient vtilissimè præterquam quòd vesiccam exulcerant. Radix quoque plurimorum

prædi

pradicatione trita, & in vino albo pota, calculos exturbat. Quidam ad vuluæ dolorem, radicem cum vino duplici propinant. Eadem in aceto decocta contra elephantiam proficit. Asparago trito cum oleo perunctũ pũgi ab apibus negãt.

EX SIMEONE SETHI.

Asparagus olerum omnium maximè nutrit. Proinde si quis dicat eius naturam positam esse mediam inter olera & carnes, non procul à vero aberrabit, propter nutriendi facultatem plantarum & carnium, quæ similiter se habet, Vrinã quoque cit, & obstructiones iecoris & renum aperit: id quod manifestum ex eo, quòd vrinæ odorem in suum transmutat, vt hunc qui aliquãtulum eius ederint, sentiant. Neque quispiam admiretur illum statim vrinæ suam qualitatem indere: nam & rubea tinctorum si manibus contineatur, vrinam in suum colorem transmutat: quod paradoxum etiam esse videtur, vt extrinsecus impositum vrinam tingat. Asparagi colicis & renum affectibus, qui à pituita proueniunt, auxiliantur: semen genitale augent, & celerius quàm reliqua olera in sanguinem mutantur. Menses ciunt. Cordis palpitationibus succurrunt: dentibus prosunt: sed non semper stomacho boni sunt, propterea garo & oleo condita, cùm mediocriter cocti sunt, ijs vti oportet

DE ANONE. CAP. XVIII.

Anonis, bubus grauis & arresta bouis dicitur.

NOMINA.

Reſta bouis.

Remora aratri.

Acutella

Anoniscur dicta.

Ononis vnde

ANωνὶς, ἢ ἀνωνὶς Græcis: Anonis & Ononis Latinis appellatur. Vulgus herbariorũ Reſtam bouis, quòd in opere arantes boues ſubinde ſiſtat, nominare ſolet. Nonnulli remoram aratri, quòd altis & duris radicibus in agris aratrũ remoretur, appellant. Sunt qui Acutellam vocẽt, quòd ſuis ſcilicet ſpinis ingredientium pedes pungat & offendat, Germanis Hauuhechel nuncupatur, & Ochſenbrech, quia crebris ũter folia aculeis, haud ſecus ac inſtrumentũ hoc quo mulieres linum carminant, & à craſſiore purgant ſtuppa, horreat: vel quod ligone ad aculeatam hanc herbam eruendam & extirpandam cum in altum agitur, & ſeſe propagat, opus ſit. Equites Germani Stalkraut, eò quòd de coctum eius meiere nequeuntibus equis offeratur, vocant. Binominis autem antiquis eſt ſcriptoribus, vna tãtum litera mutata. Sunt enim qui Ononim, vt Theophraſtus & Galenus: ſunt etiam qui Anonim, veluti Dioſcorides & Plinius, nominent. Anonis haud dubiè à non iuuando. quòd nullo iuua mine polleat, dicta eſt. Si quidem aratoribus inimica eſt, viuáxque nimis fruges opprimit, ſuisq; aculeis nocet. Ononis verò, quòd aſinos, quos Græci ονους vocant ſeſe terentes ad illam ſcabentesq; iuuet, Complures quoque Græy herbam ſic appellari prodiderunt, quòd in ea ſe volutantes, ſpinis eius dorſum libenter affricent & ſcabant. Officinis pro

nis prorsus ignota, & inusitata.

FORMA.

Ramos habet palmares, aut maiores, fruticosos, frequentibus geniculis cinctos, cauis alarum multis capitula rotunda. Folia exigua, tenuia, ceu Lētis, ad Rutæ, aut fœnarij Loti figuram accedentia, subhirsuta, odorata, nec iniucundè olentia. Ramuli acutas spinas, spiculis acuminatis similes, solidasq; gerunt. Radice candida nititur. Theophrastus toto caule foliatam esse tradit, vt veluti coronam ex interuallis tota species repræsentet. Florem quoque illi esse minutulum & in siliqua non vndique septum scribit. Quæ sanè singula pulchrè picturæ respondent, & Anonim esse hanc hærbam, quam Restam bouis hodie herbarij nominant, euidenter, nulla reclamante nota, ostendunt. Nā hæc ramos spargit fruticosos, palmo lōgiores, frequētibus cinctos articulis, à quibus alæ fundūtur. Capitula exerit orbiculata, folia Lētis parua, ad Rutæ vel pratensis Loti figurā accedētia, hirsuta. iucūdū odorē expirātia, inter quæ nocentiores, & mucronatæ cuspidis aculei quasi spicula sub riguntur. Flos ferè Pisi dilutiore micat purpura, in siliqua non vndiquaque septus. Radix in nigro candicās. LOCVS.

Nascitur culto solo, pingui, & glutinoso, præcipuè aūt in segetibus & aruis, inimica agricolis vinaxq; supra modum, Cum enim altā latamve nacta tellurem fuerit, protinus in altum agitur

& singulis annis, surculis in latus emissis, rursus anno postero deorsum versus acta pluribus ramis luxuriat, ideo q; runcãda & radicitus extirpanda venit.

TEMPVS.

Aestate germinare incipit, à frugibus perficitur autumno suu incrementi finem faciens. Floret autem Iulio mense, & Augusto.

TEMPERAMENTVM.

Ononis radix tertio quadamtenus ordine excalfacit.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Antequam spinosa sit sale conditur, & est cibis gratissima. Radix eius calefacit & extenuat cuius cortex cum vino potus vrinam ciet, calculos rumpit crustasq; abstergit. Decocta radix in posca dentum dolorem collutione mitigat. Huius decoctum potũ, hæc morrhoidas sanare creditur.

EX GALENO.

Radicis cortex maxime vtilis est, habens quippiam abstersorium & incisorium. Proinde non tãtum vrinas ducit, sed & lapides confringit. Eadem facultate & crustas confestim detrahit. Vtũtur quoque ea ad dentium dolores in posca decoquentes, & collui decocto eius iubentes.

EX PLINIO.

Radix decoquitur in posca dolori dentiũ. Eadem cũ melle pota, calculos pellit Comitialibus datur in oxymelite, decocta ad dimidias.

DE

DE ANISO.

CAP. XIX.

NOMINA.

ANισον Græcè, *Anisum* Latinè vocatur. Officinis nomen genuinum retinuit, Germanicè Anitz (Gallicè de L'anis) appellatur.

GENERA.

Anisum caule, folio, flore, Apio par esse videtur. Caulem nanque tenuiter striatum, rotundũ, multisq; ramulis brachiatum obtinet. Folium vbi primum enascitur rotundum, sed deinceps Apij modo disectum, Florem candidum, muscarium fœniculi, Tota herba, haud aliter quàm semen, odorata est.

LOCVS.

Ex Syria originem habet, iam autem passim satum in Germaniæ hortis prouenit.

TEMPVS.

Iunio ac Iulio mensibus floret, semineq; prægnans est.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit & desiccat in tertio ordine

VIRES EX DIOSCORIDE.

Anisum in vniuersum calefacit, exiccat. Ἄνισον rectius mea sententia interpretabitur proco quod est, facilè spirare facit. Oris halitum iucundiorem facit. Anodynum est, dolorémue lenat Vrinam cit. Diffundit Hydropicis potum sitim arcet. Prodest ad venenata animalia, & inflatio

nes Aluũ, & album fœminarũ profluuium sistit. Lac ad mammas elicit & Venerẽ stimulat. Suffitum naribus capitis dolorem sedat. Tritum, cũq; rosaceo instillatũ, aurium medetur rupturis.

EX GALENO.

Anisi semen maximè vtile est, acre & subamarum vt propè ad vrentum accedat caliditatẽ. Proinde & vrinam cit, & digerit, atque ventris inflationes sedat.

EX PLINIO.

Anisum aduersus scorpiones ex vino bibitur, à Pythagora inter pauca laudatum, siue crudum siue decoctum. Item viride aridumve, omnibus quæ condiuntur, quæque intinguntur desideratum. Panis etiam crustis inferioribus subditum. Saccis quoque additur. Cum amaris nucibus vina commendat. Quin ipsum oris alitum iucundiorem facit fœtoremq; tollit manducatum matutinis cum Smyrnæo, & melle exiguo Mox vino collutum, vultum iuniorem præstat. Insomnia leuat suspensum in puluino, vt dormientes olfaciant. Appetentiam ciborum præstat. Dolores capitis leuat suffitum naribus. Epiphoris oculorũ radicem eius tusam imponit Iollas: ipsum cum croco pari modo & vino, & per se tritum cum polenta, ad magnas fluxiones, extrahendaq; si quæ in oculos inciderint. Narium quoq; carcinodes cõsumit illitum ex aqua. Sedat anginas cum melle & Hyssopo ex aceto gargarizatũ. Auribus infundi

funditur cum rosaceo. Thoracis pituitas purgat tostum cum melle sumptum melius. Cum acetabulo Anisi nuces amaras quinquaginta purgatas tere in melle ad tussim. Præcipuum autẽ est ad ructus, ideo inflationibus stomachi & intestinorum torminibus, & cœliacis medetur. Singultus & olfactum decoctum potumq; inhibet. Potũ somnum concitat Calculos pellit. Vomitiones cohibet, & præcordiorum tumores. Et pectorum vitijs, neruis quoque quibus succinctum est corpus, vtilissimum. Prodest eius & capitis doloribus instillari succum cum oleo decocti. Nõ aliud vtilius ventri & intestinis putant ideo dysentericis & tenasmis datur tostum. Dalion herbarius dedit bibendum cum anetho parturientibus. Phreneticis quoque illinunt recens cum polenta. Sic & infantibus comitiale vitium aut contractionem sentientibus. Pythagoras quidem non corripi vitio comitiali in manu habentes, ideoq; quam plurimum domi serendum. Parere quoque facilius olfactantes Sosimenes contra omnes durities ex aceto vsus est. Semine eius poto lassitudinis auxiliũ viatoribus spopondit Strangulationes vuluæ, si manducetur & linatur calidum, vel si bibatur cum castoreo in aceto & melle, sedat. Vertigines à partu cum semine cucumeris & limi pari mensura trinum digitorum, vini albi tribus ciathis, discutit, Vrinã ciet. Venerẽ stimulat. Cũ vino sudorẽ leniter præstat. Vestes quoq; à tineis defẽdit.

FXSI

EX SIMEONE SETHI.

Prodest ad vetustos ex frigore iecoris affectus, & ad spirandi difficultatem quæ ex pituita proficiscitur. Flatus qui in ventriculo sunt digerit. Obstructiones tollit, & lactis copiam facit.

DE ACTE. CAP. XX

NOMINA.

Sambucus vndeducta

Ακτη Græcis, Latinis Sambucus nominatur. Reliqua nomina dicemus paulo pòst, vbi huius genera indicabimus. Sambucus porrò videtur ab authore appellata. cui nomen Sambyx fuit: vel à sabuca musico instrumento, quod alij pectida nominãt, alij magadin. Atque hinc est quod Sabucus, potius quàm Sambucus, si Serennio Quinto credimus, scribendum sit.

GENERA.

Duo eius genera. Vnum arboreſcit, quod priuatim officinæ Sambucum, Germani Holder à concauitate vocant. (Gallicè Du Sus, ou du Suin.) Alterum Græcis χαμαιάκτη, quasi humilis, & coactæ breuitatis Acte nominatur, Latinus Ebulus, Germanis Attich, vel niderer holder, (Gallis Hyeble.)

χαμαιάκτη Ebulus

FORMA.

Sambuci.

Sambucus in arborem assurgit, virgis harundinum modo rotundis, subcauis. candicantibus, proceris. Folia tria, aut quatuor. aut quique, aut sex, aut septem per interualla circa virgas obtinet, nucis iuglandis similitudine, graueolentia,

pluri

pluribus inciſuris, in ſummis ramis ſiue caulibus vmbellas rotundas ferentia. Flores albos, fructũ acinúmue Terebinthi in nigro purpureũ, racemo ſũ, ſuccoſum & vinoſũ. Ebulus humilis minórque eſt, herbaceo generi propius accedens, quadrangulo caule, denſis geniculis. Folia ex interuallis circa ſingulos geniculos Amygdalæ ſimilia alæ inſtar expanduntur, per ambitum ſerrata, lõgiora, grauеolentia. Vmbellam in ſummo fert Sambuco ſimilem flores itidem & fructum Radice nititur longa, digitali craſſitudine. Fabuli-

LOCVS.

Vtrunque genus in opacis, aſperisq; potiſſimum locis, & iuxta aquas emicat. Ebulus vero in agris etiam quibuſdam prouenit.

TEMPVS.

Parum ante Solſtitium æſtiuum floret Sambucus. Tardius autem Ebulus, Iunio nimirum & Iulio menſibus. In Auguſto verò baccas ſuas profert.

TEMPERAMENTVM.

Sambucus vterque calefaciendi ac deſiccandi facultatem habet, id quod amaritudo, & adſtrictio modica abundè monſtrant.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Eadem vtriſque facultas, & par vſus, exiccãs ſcilicet, aquam educens, ſtomacho nocens. Folia olerum modo decocta, pituitam & bilem purgãt. Quinetiam teneri caules in olla cocti, eadem præ-

ſtãt

ſtăt. Radix in vino decocta & in cibis data hydropicis auxiliatur. Eodem modo pota viperarũ morſibus ſubuenit. Vuluas emollit & aperit, & quæ circa eas ſunt affectiones, decocta cum aqua inſeſſione corrigit. Fructus cum vino potus eadẽ efficit. Illitus capillos denigrat. Folia recenſia ac tenera cum polenta illita inflammationes mitigant. Ambuſtis etiam, & canis morſibus illita ſuccurrunt. Profunda & quæ in cauernas dehiſcunt vlcera agglutinant. Podagricis, cum taurino hircinóue adipe illita, auxiliantur.

EX GALENO.

Vtraque Sambucus, & arboreſcens & herbacea, exiccandi, conglutinandi, modiceq; digerẽdi facultatem obtinent. Paulus Aegineta hæc adjcit: Potæ & mãducatæ aquam per aluũ educũt.

EX PLINIO.

Vtriuſque decoctum in vino veteri, foliorum, vel ſeminis, vel radicis, ad cyathos binos potũ ſtomacho inutile eſt, aluo detrahens aquam. Refrigerat etiam inflammationem, maximè recentis ambuſti: & canis morſum cum polenta, molliſſimis foliorum illitis. Succus cerebri collectiones, priuatimq; membranæ quæ circa cerebrum eſt, lenit infuſus. Acini eius infirmiores quàm reliquæ: tingunt capillum: poti acetabuli menſura, vrinã mouent. Foliorũ molliſſima ex oleo & ſale eduntur ad pituitã biliẽq; detrahẽdã. Ad omnia efficatior q̃ minor. Radicis eius in vina decoctæ duo cya-

thi poti, hydropicos exinaniũt, vuluas emolliũt foliorũ decocto insidẽtiũ. Caules teneri minoris Sãbuci in patinis cocti aluũ soluũt. Resistũt folia serpẽtũ ictibus in vino pota. Podagris cũ seuo hircino vehemẽter prosunt cauliculi illuti. Idemq; inaqua macerãtur, vt ea sparsa pulices necẽtur. Foliorũ decocto si locus spargatur, muscæ necantur. Boa appellatur morbus pæpularũ, cũ rubent corpora, Sãbuci ramo verberatur Cortex interior tritus ex vino albo potus, aluũ soluit. Ebuli fumo fugãtur serpẽtes. Tenerũ cũ foliis tritũ, ex vino potũ, calculos pellit. Impositum testes sanat. Boa.

DE AMMI. CAP. XXI.

Ammi in hortis parisiorum sponte luxuriat.

NOMINA.

AMmi Græcis, Ammi Latinis, Ameos officinis corruptè, Germ. Amey appellari põt.

FORMA.

Ammi caule rotũdo & herbaceo cõstat, surculis multis & exiguis: folio oblõgo, angusto, per ambitũ incisuris diuisõ flore paruo, cãdido, vmbella Anethi: semine exiliori multò quã Cuminũ. gustu, Origanũ p̃ se ferẽte, acri & subamaro: radice cã dida & multifibra. Esse aũt hãc herbã verũ Ammi, seminis in gustu sapor, qui subamarus & acris est omnium maximè ostẽdit talem enim in eo saporem Galenus requirit. Origanum etiam gustu referre videtur. Quibus accedit antiqui & manuscripti herbarij, testimonium Ammi verum.

nium, cuius pictura & descriptio satis docent, hanc herbam esse Ammi genuinum. Intera enim semen Ammios piper gustu referre, ideoq; à nonnullis piperculam dictam esse ait. Id quod certè verissimum esse comperies si semen gustaueris: miram enim huic acrimoniam inesse senties.

LOCVS.

Nusquam in Germania sua sponte nascitur Satum tamen facilè & magna copia prouenit sic vt deinceps extirpari vix queat.

TEMPVS.

Augusto mense floret, ac deinceps vbi defloruit, semen abundè producit.

TEMPERAMENTVM.

Ammi semen in calefaciendo desiccandoq; ex ordine tertio intenso existit.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Vis semini excalfactoria, feruens & exiccãs. Facit ad termina vrinæ difficultatem venenatorum morsus cum vino potum. Menstrua ciet. Miscetur derodentib. ex cantharidibus confectis medicamentis, vt inde exortis vrinæ difficultatibus resistat. Sugillata cum melle illitum tollit. Colorem potum & inuctum in pallorem mutat. Suffitum cum vua passa aut resina vulgas purgat.

EX GALENO.

Herbæ quam vocant Ammi semen maximè est

est vtile. Facultatis est excalefactoriæ & desiccatoriæ, tenuiumq; partium. Sed & gustu subamarũ est & acre. Et clarum est quod digerat, & vrinam moueat.

EXPLINIO.

Inflationes & tormina discutit. Vrinam & menstrua ciet. Sugillata & oculorum epiphoras mitigat. Cum lini semine scorpionum ictus in vino potum drachmis duabus: priuatimq; cerastarum cum pari portione myrrhæ. Colorem quoque bibentium similiter mutat in pallorem. Suffitũ cum vua passa, aut resina vuluas purgat. Tradunt. facilius concipere eas, quæ odorentur id per coitum.

DE ARO. CAP. XXII.

Arus canis priapus.

NOMINA.

ARον, ἄρισαρον Græcè, Arum & Aris. Latinè dicitur. Officinæ corrupto, vt solẽt vocabulo, Iarum appellant. Quidam quòd foliũ effigie bubuli vestigij prodeat, Pedem vituli vocarunt. Alij, quod draccũculũ æmulatur, sola magnitudine discrepans, Serpentariam minorem appellãt: neq; id sanè temere. Videtur enim Arõ esse Dracunculus minor, cui Dioscorides folia κισσοειδῆ, hoc est, Hederæ similia esse dicit, quæ prorsus Ari sunt, nisi quòd paulo sint longiora. Plinius etiã Aro eas facultates tribuit, quas Dioscorides Dracũculo minori. Vt hinc cõijcere liceat A-

Pes vituli

Serpentaria minor

rũ cũ Dracunculo minori miſcuiſſe veteres. Vulgus, quod piſtilũ promit exerti ferè genitalis effigie, Sacerdotis virile nominat. Id quod & germani noſtri faciunt qui ſua lingua Paffenpint (Gallicè Vit de prebſtre) nuncupant. Alias Arõ, & ob vehementem acrimoniã, teutſchen Ingber (G. Pied de Veau) vocant. FORMA.

Sacerdotis virile.

Folia emittit Dracunculo ſimilia, ſed longiora & minus maculata, caulẽ dodrantalẽ, purpuraſcentẽ, piſtilli figura, à quo croci colore fructus exit. Radix illi candida, Dracũculo, ſimilis, qua quòd minore acrimonia eſt, cocta comeditur. Hæ vtique delineatiões ad amuſsim, nulla reclamante nota noſtro Aro conueniũt. Si quidẽ folia promit Dracũculi, longiora, & pauciorib', maculis reſperſa, caulem dodrãtẽ altũ, in purpurã lenitertendentẽ. Ante ſeminis partum, ſagaci naturæ artificio dignum, erumpit inuolucrum & cucullũ, quod mucronata in turbinẽ vaginula piſtillum compleclitur, & ſuo fouet ſinu. Verùm vbi fructu prægnans fatiſcit in hiatum, ſolida piſtilli ſacies dilutiore purpura rutilans emergit, & anfractu penitus tandem patente, primum viridua dein crocea ſpectantur ſemina, quæ in coronæ modum concinnè contecta, imam eius partem ambiunt. Radicẽ etiã obtinet albũ, ad Dracũculi radicẽ accedẽtem, vt pictura graphicè monſtrat. Neque obſtat quòd Galenus radicẽ Arí elixã mãdſcribat noſtri aũt tã acris ſit, vt vix guſtari ob miras & diutinas, quas in lingua ac palato exci-

Obiectiõis diſſoluto.

tat pũcturas, posit, tãtũ abest vt edẽdo esse q̃at. Si quidẽ Galeno lib. secũdo de alimẽtorũ facultatib. teste, nõ parẽ in õnibus regionibus acrimoniã obtinet, sed in nõnullis minimã, vt Cyrenis. Et Plinio quoque lib. xix. ca. v. teste, in Aegypto Aron nascitur radice mollioris naturæ, q̃ etiã cruda editur. In quibusdã, vt Germania nostra, maximẽ Verba Galeni paulò pòst in facultatũ cõmemoratione citabimus. Hinc discendũ erit, multa nobis in scriptoribus rei herbariæ, primo statim obtutu pugnãtia videri, q̃ si ad cœli regionũq; diuersitatẽ respexerimus, nihil prorsus pugnãtiæ aut absurditatis habebũt. Quod nisi diligẽter animaduertas, multas genuinas herbas pro adulterinis abijcias necesse erit. His accedit quòd Galenus nõ simpliciter dicat mãdi Ari radicẽ, sed elixã. Nõ est aũt mirũ si acria etiã edẽdo fiãt, si elixentur. Bis enim aut ter in aqua decocta, Galeno li. ij. de alimen. facul. ca. vlti. teste, acrimonia spoliãtur, Porrò si ista sciolis quibusdã haud satisfecerit, dicẽdũ planè erit Arũ Germaniæ nostræ esse Arisarõ, quod gustu, Dioscoride & Galeno autoribus acrius est. Quãuis ego cũ Ruellio, diligentissimo earũ rerum inquisitore, Arisarõ ab Aro differre haud putẽ, quod scilicet forma vtrisque eadẽ sit. Cuius etiã rei fidẽ facit ipsa nomẽclatura, q̃ vtriusq; retinuit appellationẽ: duobus tandem vocabulis in vnum coalescentibus, dici cœpit Arisaron. Apud veterrimos enim Aris primum

mum: dein posterioribus, copulatis vnà nominibus Arisaron conflatum est nomen.

LOCVS.

Nascitur in syluis, locis vmbrosis, humidis & frigidis.

TEMPVS.

Folia statim in Martio inter primas herbas veris exiliani, in Iunio dispereunt, ita vt haud facilè hoc nomine herba ipsa reperiri queat. Semẽ Iulio & Augusto mensibus reperitur primùm, vt diximus, viride, mox croceum.

TEMPERAMENTVM.

Arum Galenus in calefaciendo & desiccando primi ordinis esse statuit. Et locutus est de Aro qui non vehementi acrimonia pollet. Nostrum haud dubiè in tertio ordine calidum & siccum est. ob multam qua prædictum est, acrimoniam.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Radix, semen, & folia Ari eadem Dracunculo vires habent. Radix priuatim cum fimo bubulo illita podagricis prodest. Dracunculi more reponitur In totum, ob mitiorem eius acrimoniam edendo est.

EX GALENO.

Arum terrena essentia constat, sed calida: proinde extergendi facultatem possidet, verum non valentem, sicut Dracontium. Radices eius maximè sunt vtiles. Si quidẽ comesæ crassitiẽ humorum mediocriter incidunt, adeò vt excreationi

tionib. ex pectore idoneæ sint: sed magis tamen aptum est Dracontium. Et in libro secundo de alimentorum facultatibus sic de Aro scribit: Ari radix rapi modo manditur. Quibusdam aũt in regionibus acrior nascitur, vt Dracontio ferè similis sit. Dum rectè parare voles, prioris decoctionis aqua effusa, repente in alteram calidam injicere oportet, vt in Brassica & Lẽte dictum est. Cyrenis contrà quàm in nostra regione planta se habet: nam illic minimum medicamentosi, minimumq; acrimoniæ habet, adeò vt vel rapis vti rapis vtilior reputetur: idcirco, radicem quoque in Italiam cõportant, vt quæ absque vt putrescat aut regerminet, longo tempore perdurare possit. Perspicuum verò est alendis corporibus hanc accõmodatiorem esse. Si quis aũt in thorace ac pulmone collectos crassos lentosq; humores extussire studeat, acrior ac medicamẽtosior magis cõueniet. In aqua elixa estur cum sinapi aut aceto, ex oleo & garo. Quinetiam cum opsonijs, & sale, & ijs quæ caseo cõstant, sumitur. Haud vero obscurum est, succum eius qui in iecur ac vniuersum corpus diffunditur, quo vno animal nutritur, crassiorẽ esse, idq; maximè quũ radix, quẽadmodum sunt q̃ Cyrenis aduehuntur, medicavi caruerit. Apud nos nanque in Asia, pleræque Ari radices acriores sunt, & medicamentosam iamvim obtinẽt.

EX PLINIO.

Aron miris laudibus extulere Græci, primum

† Alias fœminam

in cibis †fœminarum præferentes, quoniam mas dulcior esset, & in coquendo lentior, pectorisq; vitia expurgat: aridum in potione inspersum, aut ecligmate, vrinam & menses cieret. Sic & in oxymelite potum, stomacho. interaneis exulceratis ex lacte ouillo bibendum, ad tussim in cinere coctum ex oleo dedere. Alij coxere in lacte, vt decoctum biberetur. Epiphoris elixum impositum fuere: item sugillatis, tonsillis. Ex oleo hæmorrhoidum vitio infudere, lentigines ex melle illinentes. Laudauit Cleophantus & pro antidoto contra venena, pleuriticis, peripneumonicis quoque & tussientibus. Semen intritum cum oleo aut roseaceo infundens, aurium dolori Dieuches. Cleophantus tussientibus aut suspiriosis & orthopnoicis, & purulenta excreantibus: farina permixtũ in pane cocto dedit. Diodotus phtisicis è melle ecligmate, & pulmonis vitijs, ossibus etiam fractis imposuit. Partus omniũ animaliũ extrahit naturæ circunlitũ. Succus radicis cum melle Attico, oculorum caligines, ac stomachi vitia discutit. Tussim decocti ius cum melle. Vlcera omniũ generũ siue phagedænæ sint, siue carcinomata, siue serpãt, siue polypi in naribus, succus mirè sanat, Folia ambustis prosunt ex vino & oleo cocta. Aluũ inaniũt ex sale & aceto sumpta. Etiã luxatis cocta cũ melle prosunt. Itẽ articulis podagricis cũ sale, recentia vel sicca. Hippocrates ad collectiones oũ melle imposuit. Ad mẽses trahẽdos

feminis

feminis vel radicis drachmæ duæ in vini cyathis duobus sufficiũt. Eadẽ potio si à partu nõ purgãtur, & secũdas trahit. Hippocrates & radicem ipsam apposuit. Dicũt & in pestilẽtia salutarẽ esse in cibis. Ebrietatẽ discutit. Serpẽtes nidore cũ crematur, priuatimq; aspides fugat, aut inebriat ita vt torpẽtes inueniãtur. Perunctos quoq; Aro vti laureo oleo fugiũt, ideo & cõtra ictus dari potu vino nigro putat vtile, In foliis Ari caseus optimè seruari traditur. APPENDIX.

Recentiores quas facultates Aro tribuant.

Posteriores medici Arũ discutiẽdi, extenuãdi, extergẽdiq; facultatẽ hẽre tradũt: ideoq; tumorib. auriũ, ficubus, strumis, scirrhisq; mederi, faciei deformitatẽ cutisq; auferre, eius deniq; radicẽ i pulueré, redactã supprescẽtẽ in vulneribus carnẽ minuere scribũt. Id aũt posse pstare, acrimonia ipsa vehemẽs que gustu sese exerit, abũdẽ monstrat. Dioscorides etiã Arisarũ acrimonia haud exiguæ præditũ scribit, ideoq; illitũ nomas sistere, collyriaq; efficacissima ex eo cõtra fistulas fieri. Deniq; radicẽ cuiuscũq; animalis pudẽdo impositã, id corrũpere tradit. Plinius quoque Arisarũ vlceribus mederi manantibus, itẽ cõbustis & fistulis scriptũ reliquit. Præterea cõmixtũ collyrio nomas sistere ait.

DE ARCIO. CAP. XXIII.

Arciũ seu Personatia Glouteron.

NOMINA.

Ἄρκιον, ἢ προσώπιον, ἢ προσωπὶς Græcis, Per-

ſonatia latinis dicitur. Offi inæ Lappam maiorem, vulgus Bardanam voc..t, Germani Groſz Kletten, (Gallicè Gleterõ ou Glouteron) Perſonatia hac quondam ad perſonas vtebantur, quoties in theatris alijsue locis qui cognoſci à populo nollent, egiſſe quidpiam volebant. Eſt enim foliorum eius tanta amplitudo, vt tota humana facies ijs tegi poſſit: atque hinc haud dubiè tam Græci quam latini, nomen illi Proſopÿ & Perſonatiæ indiderunt.

Lappama ior.

Perſonatia vnde dicta.

FORMA.

Perſonatia folia Cucurbitæ ſimilia habet, maiora tamen, duriora, nigriora & hirſuta. Caulem ſub candidum, interdũ nullum. Radicẽ grandem, candidam intus, foris nigram. Ex qua deſcriptione nemo nõ intelligit, Perſonatiam eſſe eã herbam quam hodie vulgus Bardanam vocat, quæ folio conſtat omniũ lapparum maximo, parte auerſa herbido, aduerſa cano, caule in purpureo albicante, grandibus lappis, quæ tranſeuntiũ veſtibus adhærent, in quibus flos purpureus naſcitur, non euidens, ſed occultus, intra ſe germinans, radice grandi, intus candida, foris atra.

Bardana

LOCVS.

Naſcitur vbique, potiſſimum circa margines pratorum, & agrorum.

TEMPVS.

Menſe Iulio lappas cum floribus ſuis producit Perſonatia.

Temp

TEMPERAMENTVM.

Digerit simul & desiccat, sed & adstringit nonnihil.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Radix Personatiæ drachmæ pondere cum pineis nucibus pota, sanguinem & purulenta excreantibus auxiliatur. Articulorum quoque dolores, qui ex membrorum fractionibus collisionibusue fiunt, trita & illita sedat. Quinetiam folia vetustis vlceribus vtiliter illinuntur.

EX GALENO.

Arcium, quod Prosopida vocant, cuiusq; folia Cucurbitæ similima sunt, nisi quatenus tum maiora, tum duriora, discutit simul & desiccat, sed & adstringit mediocriter: quamobrem folia eius veteribus vlceribus mederi possunt.

EX APVLEIO.

Personatiæ herbæ succus cum vino veteri in potionem datus, omnes morsus serpentiũ mirificè sanat. Eiusdẽ foliis cinges febricitantem, & statim febrem mitigat, calorem q; sanat. Vulnus etiam si cãcer erit, cum aqua decoctionis foliorum eius foueto: deinde ipsam cum nitro & axungia, cum aceto tere, & in pãno inducito & imponito. Ad canũ rabidorum morsus radix cũmodico sale trita imponitur morsui, & statim æger liberabitur. Succus foliorũ eius cum melle potui datus, vrinã prouocat, & vesicæ dolorẽ tollit. Puluis seminis eius cũ vino optimo per quadraginta dies da

tus, ischiadicos mirabiliter sanat. Folia trita cum albumine oui & imposita, ibusta mirificè curat.

EX L. COLVMELLA.

Venena viporæ pellit, super sacrificationem ferro factam herba Personatia trita & cùm sale impo sita. Plus etiã eiusdem radix contusa prodest contra serpentes. Ex vino bibitur duùm denariorum pondere. Strumis radix eius medetur: item cum axungia operitur folio suo imposita.

DE ASCYRO. CA. XXIII.

Ascytõ androssænum, Hypericum nomine po, stremo omnes vulgo appellantur.

NOMINA.

Ἄσκυρον, ἢ ἀσκυροειδὲς Græcè, Ascyron Latinè nominatur. Officinis ignotum. Germaniè Harthouu, id est, durum fœnũ appellatur, Græci à contrario, huic herbæ nomen imposuisse videntur. σκύρος enim illis asperitatẽ significat. Pulchrè igitur ad Græcam appellationem Germanica alludere videtur.

FORMA.

Ascyron cur dictũ

Hyperici species est Ascyron, magnitudine differens: maioribus ramis, fruticosius, puniceo colore rubens. Flores fert luteos semen Hypericos simile, odore resinæ, quod cùm atteritur digitos ferè cruentat.

LOCVS.

In cultis & asperis locis prouenit.

TEM

TEMPVS.

Aestate, potissimum verò Iulio & Augusto mensibus, floret.

TEMPERAMENTVM.

Essentia tenue est, ideoq; calefacit & desiccat.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Semen Ascyri potum in hydromelitis heminis duabus, ad ischiadicos prodest dolores: biliosa enim multa excrementa ducit. Sed assiduè dari oportet donec conualescant. Præterea illitum ad ambusta conducit.

EX GALENO.

Semen eius purgatorium. Foliorũ verò facultates modicè extergens & desiccans. vt & ambusta sanare credãtur. Cæterùm in vino austero decocta, vinum ipsum magnorum vulnerum gluttinatorium efficiunt.

EX PLINIO

Vsus seminis ad ischiadicos, potus duabus drachmis in hydromelitis sextario. Aluum soluit, bilem detrahit. Illinitur & ambustis.

DE ANDROSAEMO. CAP. XXV.

NOMINA.

Ἀνδροσαιμον Grecis, Andræmon pariter Latinus dicitur. Officinis incognitum. Germanis Kunrath, quasi Græcè dicas Androsæmon vnde quòd aut comas, aut floribus eius tritis, homines sanguinem referat.

Androsæmon dictum.

Trasibula, nominantur Dictum Androsamon,

FOR

FORMA.

Differt ab Hyperico & Ascyro Androsæmō. Frutex est prætenuib. ramis, surculosus, puniceo colore rubentibus virgis, foliis triplo quadruplóue maioribus quàm Rutæ, quæ contrita sanguineū succū remittunt. Alarū caua habet plura, in summo alarum auium modo pennata expāsāue, circa quas flosculi pusilli lutei. Semen in calyce, nigro papaueri simile, veluti punctis depictum distinctúmue. Coma trita resinosum odorem reddit.

LOCVS.

Locis ijsdem quibus Ascyron prouenit.

TEMPVS.

Iulio & Augusto mensibus floret.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit & desiccat,

VIRES EX DIOSCORIDE.

Androsæmi semen tritum, potumq; duarum drachmarū pondere biliosa alui excrementa ducit. Ischiadicis autem potissimum medetur, sed à purgatione aquam sorbere oportet. Herba illita ambusta sanat, & sanguinem compescit.

EX GALENO,

Eadem cum Ascyro facultates obtinet.

EX PLINIO.

Vsus ad purgādam aluū tusæ cū semine, poteq; matutino, vel à cœna duabus drachmis in aqua mulsa vel vino, vel aqua pura, totius potionis sextario. Trahit bilem, prodest ischiadicis maxime.

Sed

Sed postera die, capparis radicem resinæ permixtam deuorare oportet drachmæ pondere, iterumq; quatridui interuallo idem facere. A purgatione autem ipsa robustiores vinum bibere, infirmiores aquam. Imponitur & podagris, & ambustis, & vulneribus, cohibens sanguinem.

DE ARCEVTHO. CA. XXVI.

NOMINA.

Ἀρκευθος, ἡ ἄρκευθις Græcè, Iuniperus Latinè vocatur. Officinæ Latinam appellationē retinuerunt. Germanicè VuecKholder, Kramather (Gallicè du Genefure) id est, turdorum baccæ vocantur, quòd fructibus eius turdi pinguescant. Iuniperus autē dici videtur, quòd iuniores & nouellos fructus pariat: sola enim ferè arborum fœtus suos in biennium prorogat, qui ne matureſcunt quidem, nouis superuenientibus. Iuniperus vndedicta

GENERA.

Iuniperus Dioscoridi duplex est, maior & minor, sola arboris & seminis magnitudine inter se differentes. Minor humilis est, sessilibus in terra ramulis, baccis minoribus, radicibus summo cesputefusis. Maior altius adolescit, & in iustam arboris magnitudinem exurgit, caudice procero, cortice fragili, ligno fuluo, odorato, latioribus ramulis, aculeorum aceruo stipatis, baccis alteri similibus, maioribus tamen.

FORMA.

Vtriusque facies horrida, coma virent perpetua

tua, spina q̃ potius quàm folio, sed herbacea vestiuntur. Cortex illis membraneus, fragilis, nec difficulter fatiscens, materies fulua, quæ si ignibus dicatur, nõ iniucũdum fumũ expirat, qui odoris suauitate grassantia pestilentiæ contagia depellit. Ex ea etiam, vt recentiores Græci tradũt æstiuis temporibus lachrima thuris odorem atque colorem æmulans sudat, quæ coloris officio durata, coëat in omni Arabum familia, non sine magna confusione nominũ, Sandaracham appellat. Officinæ verò Vernicem vocãt. Baccas ferunt primũ virentes, deinde per maturitatem nigras, quæ biennio antequã matureſcant in ramis pendent. Hinc sunt qui baccas in ijs esse ternas eodẽ tempore dicant, anni proximè exacti nondum maturas, & tertij ante præsentẽ iam maturas, tertias nouas & recentes. Cæterùm nõ desunt qui nostrã Iuniperum non genuinã putẽt, quòd baccæ eius ad Diòscoridis magnitudinem, quæ nucis est pontica, aut fabæ, non accedant. Sed cogitent locum in causa esse cur minores producantur: vt plurimũ enim omnia quæ in Germania proueniunt, ijs quæ in Græcia nascuntur minora sunt. Nobis etiam Iuniperi grana aliunde allata visa sunt, quæ nucis auellanæ quantitatem æquabant, ob id vt magnitudinem ac formam eorundem etiã exprimeret pictor, curauimus.

Sandaracha Arabum.

Venix.

Obiectionis dissolutio.

LOCVS.

Amant Iuniperi montes, & maritima loca in planis q̃

planisq; & cultis nasci recusant.

TEMPVS.

Autumno fructus Iuniperorũ decerpuntur, sed ad bimatum prorogati.

TEMPERAMENTVM.

Iuniperus calida & sicca, vtrinq; tertij ordinis. At fructus similiter quidẽ calidus est, sed nõ similiter siccus, verũ in hoc primi fuerit ordinis. Vernix calefacit & exiccat secundo recessu.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Acris vtraq; est, calefacit, & vrinam mouet. Incẽsæ suffitu serpẽtes fugãt. Earũ fructus, hic quidẽ fabæ, alius vero nucis põticæ magnitudine inuenitur, rotũdus, odoratus, in mãdendo dulcis, & subamarus. Modicè calefacit & astringit, stomacho vtilis. Potus ad vitia thoracis, tusses, inflationes, tormina, & venenata, prodest. Vrinam cit, Conuulsis, ruptis, & vuluæ strangulationibus confert. Folia acria obtinet Iuniperus, ideoq; tam ipsa quã eorum succum ex vino contra viperarũ morsus illini & bibi prodest. Cortex præterea crematus & cũ aqua illitus, lepras eximit. Ramẽtum verò ligni deuoratũ, interficit.

EX GALENO.

Iuniperi fructus iecur renesq; expurgat, nimirũ crassos & glutinosos humores extenuãdo, eaq; de causa salubribus medicamẽtis immiscetur. Pereximiũ corpori humano alimẽtũ ex eo apponitur.

Assatus

Affatim sumptus hic fructus stomachum mordi cat, caputq; calefacit: ex quo illud quandoq; implens, dolore diuexat. Alui excrementa nec retinet, nec propellit. Vrinam ciet mediocriter.

EX PLINIO.

Vtraq; excalfacit & extenuat. Accensa serpentes fugat. Semen stomachi, pectoris, lateriscq; doloribus vtile. Inflationes languoresq; discutit, tusses concoquit & duritias. Illitum tumores sistit: item aluũ, baccis ex vino nigro potis: itẽ ventris tumores illitis. Miscetur & antidotis oxyporis. Vrinas cit. Illinitur & oculis in epiphoris. Datur cõuulsis, ruptis, tormentis, vuluis, ischiadicis cum vino albo potum pilulis quaternis, aut decoctis viginti in vino. Sunt & qui perungant corpus è semine eius in serpentum metu.

VERNICIS VIRES EX RECENTIORIBVS GRAECIS.

Profluentem è naribus sanguinẽ sistit, si ex cãdido oui liquore trita tẽporibus & fronti illinatur. Eadẽ vomitionẽ ex polline thuris & oui albo excepta supprimit. Itẽ profluentẽ aluum cũ eisdẽ illita firmat. Stomachum in bilioſos vomitus effusum, deuorata in ouo sorbili polenta eius cohibet; cruentámq; alui proluuiẽ retinet. Destillationes suspẽdit suffitæ nidor, arcetq; ne præcipites ad ima decũbit. Pituitam q̃ in stomacho aut intestinis coĩt, digerit. Humorem etiam coërcet, qui per nix à cerebro deuoluitur. Tenias & cætera vẽtri;

anima

animalia necat. Vliginosos fistularum sinus indita reficcat. Menstruos continet fluxus, Graueditni suffitus eius auxiliatur. Hi antibus manum & pedũ rimis illitu succurrit. Et in summa, Succinu pollet viribus, sed paulo efficatioribus: quæ si desit, duplo pondere in vicem substituitur.

DE ALCEA. CAP. XXVII.

Alcea ruri frequens, Monoclonos fere est, non maluæ mõ fruticosa & sarmentosa flore altheæ.

NOMINA.

Ἀλκὶα Græcis, Alcea Latinis vocatur. Officinis ignota. Vulgares herbarij & Empirici Simeonis herbam, Germani nostri Sigmars-Kraut, oder Sigmund szuurtz, & Hochleuchten (Gallicè Guimauue sauuaige ou rustique) appellant. *Simeonis herba.*

FORMA.

Sylvestris maluæ species est Alcea, folia verbenacæ modo secta habens, caules ternos aut quaternos corticem Canabi similem optinentes. Florem exiguum Rosæ similem. Radices albas, latas quinque aut sex cubitales.

LOCVS.

Nascitur in pingui loco, nec sicco.

TEMPVS.

Floret Iulio & Augusto mensibus.

TEMPERAMENTVM.

Ex emplasticorum medicamentorum numero esse Alceam, & folia, quæ glutinosum quid ac

lentorem quendam præ se ferunt, & radix ipsa quæ glutinosa dulcis, & modicè adstringens apparet gustantibus, abundè monstrant. Hinc satis constat Alceam extra omnem insignem tum caliditatem, tum frigiditatem siccare, ac planè emplasticorum consistentiam obtinere. Vide Galenū lib. iiij, de simpl. medi. facult. ca. iiij. & sequēti.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Alceæ radices in vino aut aquæ potæ, dysentericis & ruptis medentur.

EX PAVLO.

Alcea sylvestris maluæ genus est. in vino pota dysenteriæ & rupturis medetur, potissimum ipsius radix.

EX PLINIO.

Vsus radicis Alceæ ex vino vel ex aqua, dysentericis, aluo citæ, ruptis & conuulsis.

APPENDIX.

Celebratur ad caliginem oculorum ab Empiricis, ita vt non desint qui credant radicem Alceæ è collo suspensam aciem oculorum supra modū acuere, & tueri posse.

DE ADIANTO CAP. XXVIII.

Adiantium duplex Theophrasto, triplex Dioscoridi, nobis quadruplex.

NOMINA.

Ἀδίαντων, ἢ πολύτριχον, ἢ καλλίτριχον, ἢ βενιόπριχον Græcè. Adiantū, Polytrichū Callitrichū. Cincinalis, Terræ capillus, & Supercilium

perciliũ terræ, Latinè appellatur. Officinæ hodie Capillũ Veneris vocãt, quo etiã nõe appellari latinis Apuleius testatur. Ger. Frauuẽhar, vel Iũckfrauuẽhar. Adiãtũ nomẽ ab euẽtu accepit quòd foliũ eius perfusũ aqua ὑ διάνυτοι. i. nõ madeat, sicco ſeper ſimile, vt autor eſt Theophraſtus lib. vij. de plãt. hiſt. c. xiij. id quòd minimè intelligẽdũ erit de merſiõe lõgiore in aqua: nã diutius merſũ ac irrigatũ, æquè ac aliæ herbæ madeſcit. Quare reẽlius de imbre deſcẽdẽte è cœlo cuius ſtilicidũ foliis eius nõ inſidet, vt teſtis eſt in Theriacis Nicãder, accipiẽdũ venit. Vel quòd magis arridet, ab interioribus puteorũ parietibus & fontiũ marginibus quas coronat, dictũ eſt Adiãtũ, quòd nimirũ quaſi ſitiẽs illorũ aquas, quas tamẽ odit & reſpuit, ũrat, Polytrichõ autẽ quaſi multicomũ quòd capillos multos ac dẽſos faciat eiuſq; defluuia expleat. Callitrichõ verò quaſi pulchricomũ, quòd cappillos tingat pulchrioresq; reddat. Nec alia ratione capillus Veneris hæc herba dicta eſt, quã à ſpecioſis reddẽdis capillis: nec alio nomine Veneris vox adiecta eſt, quã quòd hæc pulchricoma pingatur. Hinc pateſit maximus pharmacopolarũ noſtri tẽporis error, qui ſub tribus nominibus, vnã & eãdẽ dũtaxat herbã ſignificãtibus, tres diuerſas herbas deſignatas eſſe putant. Aliã enim Polytrichũ, aliã Callitrichũ, quã tamẽ corrupto vocabulo Gallitrichũ vocãt: aliã etiã Capillum Veneris eſſe herbã exiſtimãt. Quales

Capillus Veneris.

Adiãtũ vnde dictum.

Polytrichon.

Callitrichon,

Capillus Veneris cur dicta.

Pharmacopolarum error.

autem herbæ sint, Polytrichum, & Gallitricũ illis nominatæ, suis locis ostendemus.

FORMA.

Folia albicantia Coriandor similia habet, in summo incisuris diuisa. Caules ex quibus nascuntur prodeũtiũe, nigros admodum tenues, dodrantales, nitentesq;. Neque florem, neque semen creat. Folijs verò Coriandri iam quidem erumpentis, vel paulò antea enati, necdum cauleſcentis, quæ quidem in infima eius parte quodammodo lata sunt, & in extremitatibus incisa, constare Adiantum sciendum erit. Ex qua nimirum descriptione manifestissimum est, eam herbam qua fœminæ Officinæ pro capillo Veneris vtuntur, & quam nos à muris in quibus prouenit, Germanicè Mauratten & Steinrauten vocamus, non esse verum capillum Veneris, aut Adiantũ: caules siquidem eius non sunt nigri, sed virides: neque admodum tenues, sed pro herbæ quantitate crassi: neque splendentes. In summa, neque figura, neque magnitudo, neque color, nec natales etiam respondet, quia in siccis & soli expositis muris nascitur, in humidis contrà Adiantum.

Ruta muraria non est Adiãtum.

LOCVS.

Locis opacis, paluſtribusq; & humẽtibus muris. & prope fontes nascitur. In Germania tamẽ nostra, quod sciam, non prouenit: copioſè autem in Narbonensi Gallia & Italia. TEMPVS.

Aestate viret, bruma non marceſcit.

TEM

TEMPERAMENTVM.

Adiantum in caliditate quidem & frigiditate symmetrum est, verùm desiccat.

VIRES EX DIOSCORIDE

Decoctum eius herbæ potum, asthmaticis, difficultate spirandi laborantibus, ictericis, lienosis, & vrinæ Difficultatibus auxiliatur. Calculos conterit, & aluum cohibet. Venenatorum morsibus, & stomachi fluxionibus cum vino potum prodest. Menses cit & secundas. Sanguinis reiectionem sistit. Cruda herba ad venenatorum morsus illinitur. Alopecias capillis explet. Strumas discutit, Furfures & achores cũ lixiuio exterit: Cum ladano, myrthino & susino, aut hyssopo et vino, capillos defluentes continet. Decoctum eius cum lixiuio & vino abstergit. Gallinaceos & coturnices cibis eorum additum pugnaciores facit. Seritur & magna vtilitate circa ouilia.

EX GALENO.

Extenuat Adiantum & discutit. Alopecias capillis vestit, strumas & abscessus digerit, lapidesque frangit epotum. Viscosorum crassorúmque ex thorace pulmonéque excreationibus non mediocriter confert, & ventris fluxiones sistit.

EX PLINIO.

Vide infrà caput de Tricomane.

DE VITE VINIFERA.

CAPVT XXIX.

NOMINA.

Vitis vnde dicta.

AMπελος οἰνοφόρος καὶ ἥμερος Græcè, Vitis vinifera & satiua, seu culta Latinè appellatur. Germanicè Vueinreb (Gallicè Vne vigne cultiuée.) Vitis autem, quòd imitetur ad vuas pariendas dicta esse primò videtur.

GENERA.

Innumera vitium reperiuntur genera, quæ singula persequi superuacaneum esse videtur. Si quis tamen illa disquirere desiderat, rei rusticæ scriptores, Pliniumq; libro. xiiij. naturalis historiæ, qui diligentissimè de ijs scripsit, legat.

FORMA.

Vitis caduca est, & nisi sit fulta, fertur ad terram. A radice eius caudex vnus cõtortus exit, qui in ramos frequentes scinditur. Multiplici cortice cingitur, rimoso, flagellis lõgè lateq; vagãtibus, quibus se quasi suis manibus erigit, & quicquid nacta est complectitur. Sarmentis, foliis latis, & in extremitatibus incisis, lasciuientibus. Floribus fructum ambientibus lanugineis. Vua compluribus acinis aceruata, qui interdum purpureo, non nunquam roseo, aliquando virido colore fulgent. Seminibus tunica clausis.

LOCVS.

Passim & in multis Germaniæ nostræ regionibus nascitur. & vix hortum inuenies in quo non proueniat.

TEM

TEMPVS.

Floret solstitio vitis: autumno autem vuas maturas profert.

TEMPERAMENTVM.

Omnium partium vitis temperamẽtum & facultatum enarratione patefcet. Vuæ tamen immaturæ & acerbæ, frigidæ & ficcæ sunt: maturæ verò calidæ et humidæ ĩ primo gradu, autore quidem Simeone Sethi.

VIRES EX DIOSCORIDE. Folia & capreoli.

Vitis viniferæ folia capreoliq; trita & illita capitis dolores, stomachiq; inflammationes & ardorem cum polenta mitigant. Folia etiã per se imposita, vt pote quæ refrigerant & adstrigũt. Succus ex ipsis potus dysentericis, sanguinem expuentibus, stomachicis & cita laborantibus mulieribus prodest. Madefacti in aqua capreoli & poti eadẽ efficiũt. Lachrima verò eius q̃ veluti gũmi in caudicibus concrescit, pota cum vino calculos pellit. Illita lichenas, scabies & lepras sanat. Oportet tamẽ locũ antea nitro confricasse Eadẽ cũ oleo frequẽter inũcta, pilos denudat: potissimũ ichor, aquosus ve humor, qui ex incensis viridibus sarmẽtis exudat. Hic etiã myrmecias inũctus ejicit. Cinis sarmẽtorũ & vinaceorũ circa sedẽ q̃ antea ablata ãputata ve sũt cõdylomata et tymia cũ aceto illitus sanat. Cõfert luxatis et viperarũ morsibus. Lienis inflãmatiõibus cũ rosaceo & Ruta & aceto illitus. Vua recẽs q̃is aluũ turbat & Lachryma. Vua.

stomachũ inflat. Minus horum particeps quæ aliquandiu decerpta pependit, quod in eo copia humoris exaruerit. Stomacho accommodata est, appetentiamq; cibi excitat. & imbecillis conuenit.

Vide Galenũ lib. 2 de alimẽtorũ facultatibus. triplicẽ hũc seruandarũ vuarũ modũ explicãtẽ

Quæ autem in vinaceis, aut è vinario vase seruatæ sunt ori & stomacho gratæ sunt, Aluũ sistũt, vesicã tamẽ & caput tentant. Prorsum sanguinẽ excreantibus. Similes ijs sunt quæ in mustum cõiectæ sunt. Quæ verò sapa aut musto conditæ, stomachum magis infestant. Reponuntur & cœlesti cum aqua prius passæ factæ, minusq; vinosæ fiunt, siticulosis, ardentibus & longis febribus vtiles. Vinacei earũ recunditi, inflammatis, duris turgentibusq; mammis cum sale illinuntur. Vinaceorũ decoctum dysentericis, cœliacis, & fluxui muliebri infusum confert. Ad insessiones quoque ac clysteres assumitur. Nuclei acinorũ adstringunt, stomacho grati. Tosti autẽ, & triti & pro farina illiti, dysentericis, cœliacis & stomacho resolutis prosunt. Vua autem passa alba magis † extenuat. Caro illarum comesta, arteriæ, tussi, renibus ac vesicæ confert. Estur in dysenteria per se cum nucleis. Admixta milij & hordei farinæ & ouo, ac cum melle frixa, & per se etiam sumpta, atque cum pipere commanducata ad capitis pituitam purgandam valet. Testium inflãmationes sedat, cum fabarum & cumini farina illita. Epinyctidas, carbunculos, fauos, & in articulis pu-

† Serapio legit, ad stringit.

tredines

tredines & gangrænas, sine nucleis trita, & cũ ruta ꝓposita, sanat. Podagræ cũ opopanace illita auxiliatur. Mobiles vngues illita celeriter adimit. Vini facultates tu ipse ex Dioscoride, Galeno, & Plinio pete: superuacaneũ enĩ, imò tædio plenũ esset, eas in vniuersum omnes commemorare.

EX GALENO

Vitis' satiuæ & cultæ adsimilis facultas est sylvestri, sed ad omnia imbecilior. Vitis verò sylvestris racemi, extergendi vim obtinẽt vt ephelas & næuos, & id genus quæcũque in cutis superficie fiunt curare prosint. Habẽt verò & astrictionem quandam ipsi, & extrema germina, quæ et sale condiri assolent. Plura de vuis habet idem Galenus lib. 3. de Aliment. facul. cap. de vuis

EX SIMEONE SETHI.

Vuæ plus nutriũt reliquis oporis, minus tamẽ ficis neque malli succi sunt, si maturæ fuerint ex quisitæ. Tamẽ his nõ robusta, nec dẽsa, sed laxa et flaccida caro gignitur. Maximũ quidẽ harũ bonũ, ait Galenus, quòd celeriter subeũt, atque ideo si retineãtur, lædũt: nec enĩ tũc probè concoquũtur sed crudũ gignũt humorẽ, qui non facilè in sanguinẽ trãsmutetur. Nucleorum natura, sicca & quodãmodo adstringẽs est. Pertrãseũt igitur oã intestina, nõ alterati. Pẽsiles verò vuæ, neque sistũt vẽtrẽ, neque prorit. it, cæteris aũt facilius cõcoquũtur. Neque vuarũ parua est in dulcedine, & austeritate, & aciditate differẽtia. Dulces quidẽ ca

lidiorem habẽt succũ austeræ verò & acidæ frigidũ. Aluũ subducũt dulces, & maximè quãdo humidæ fuerint. Omniũ itaq; tutissimus vsus est, quãdo carnosæ fuerint & maturæ, & mediocriter quis ipsas assumat. Vuæ q̃ albæ sunt, magis subducũt aluũ quã nigræ, Omnes verò ciborũ appetentiã excitãt, & venerẽ. Cõuenit cùm eduntur mẽbranã & nucleos expuere, quòd difficulter cõficiantur. Quæ immaturæ sunt, ventrẽ sistunt, & stomacho bonæ Caliditatẽ a flaua bile ortã sedant. Minus verò nutriunt. Oportet autẽ nõ solũ vuas, sed etiã omnes fructus molli cortice præditos humidos, ante reliquos cibos apponere,

DE ACONITO. CAP. XXX.

Aconitum Pardalianches quadrifoliũ, quod quidam putauerũt Astera rectè pingis in syluis frequens.

NOMINA.

Aconitũ vnde dictũ

Ἀκόνιτον Græcis, Aconitũ Latinis dicitur. Sic autem Theophrasto li. ix. de Plãtarũ historia teste, non ἀπὸ τῶν ἀκονῶν, id est, a cautibus, sed ab Aconis Periãdinorum pago, ad Heraclũ Ponti sito, vocatũ est. Aliꝰ quòd vis eadẽ in mortẽ esset, quæ cotibus ad ferri aciem detrahẽdã statimq; admota velocitas sentiretur. Sunt qui aliam ob causam, quã referre minimè necessariũ duco, sic nominatum fuisse existiment.

GENERA.

Pardaliã ches.

Duo Aconiti sunt genera: vnũ Græcis Pardalianches dictum, quod pardi eo necẽtur. Vocatur etiã

etiam Scorpium, quòd radicem Scorpioni similem habeat. Vulgus herbariorum Vuam versam, & vulpinam, Germani Vuolffsbeer, & Doluurtz nominant. Alterum Lycoctonon Græcis dicitur, quoniam deuoratum lupos confestim interficit. Vulgus Lupariam, Germani Vuolffsuurtz appellant. Scorpium. Vua versa.

FORMA.

Pardalianches folia habet tria aut quatuor Cyclamino vel syluestri Cucumeri similia, minora tamen, & subaspera. Caulem dodrantalem. Radicem scorpionis caudæ similem, alabastri modo nitentem. Ex hac descriptione omnibus liquidò apparet, herbam eam quam Vuam versam aliqui nominant, cuiusq; hic picturam exhibemus, primum esse Aconiti genus: habet enim tria aut quatuor folia, eáque Cyclamini specie. Caulem palmi altitudine, & radicem incuruam, scorpionum caudæ similem, alabastriq; modo splendentem. Quibus etiam accedit quòd manuscriptus & vetustissimus herbarius planissimè eam herbam quàm hic damus pro Aconito pingat. Germanica etiam nomenclatura satis indicat hanc herbam ob suam facultatem perniciosam esse Aconiti speciem. Lycoctonon Platani folia habet, magis tamẽ incisa diuisaue, longiora & nigriora. Caulem veluti Filix, cubiti altitudine, aut maiorem pediculum glabrum. Semen in siliquis aliquatenus longis. Radices cirris marinarum squillæ Lycoctonũ Luparia. Pardalianches descriptio. Lycoctonõ

squillarum similes, nigras. Vnde iterum constat Lupariam vulgò appellatam, esse alteram Aconiti speciem: ea enim folia Platani, quæ Cici aut vitis foliis similia sunt, multas habentia diuisuras, obtinet. Caulem Filici similem, pediculũ glabrũ. Florem oblongum luteum, post quem longæ proueniunt siliquæ, in quibus est semen. Radices etiam nigras, vt nemo subinde quin verum sit Aconitum, dubitare possit.

Luparia

LOCVS.

Primum Aconiti genus passim in nemoribus & collibus quibusdam nascitur: alterum autem in montium vallibus altissimis. Magna autem illius copia est circa montem haud vltra vnum lapidem à Tubinga situm, quem Germanica voce Farrenberg nominant.

TEMPVS.

Aconiti primum genus Maio mense potissimũ erumpit. Alterum autem æstate, Iunio & Iulio mensibus floret.

TEMPERAMENTVM.

Erosione & putrefactione enecant aconita, ideo toto genere letalia sunt.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Ferunt Aconiti primi radicem scorpioni admotam eũ resoluere, & è diuerso admoto elleboro excitari. Ocularibus medicamentis dolorẽ tollentibus miscetur. Enecat pardos, sues, lupos, & feras omnes

uĕs, canibus impositũ & obiectum. Alterius radice ad luporum venationes vtuntur. Insertæ carnibus crudis, & à lupis deuoratæ, eos enecant.

EX GALENO.

Aconitum Pardalienches putrefaciendi facultatĕ obtinet & letale est, itaque in cibo potuq; fugiendum: attamen ad putrefaciendum colliquandúmve quædam extra corpus, aut circa sedem, idoneum est. Herbæ verò radix ad hæc vtilis est. Alterũ similem priori facultatem habet, sed peculiariter lupos sicut illud pardos interficere cõsueuit.

Legĕdum enim τινὲς τῶν ἰκτίδων σώματος & non τι νὰ τὸ σόμα τῶν, vt habet exemplar Aldinũ, astipulantibus huiclectiõi Aetio, paulo, & antiquo interprete Latino.

EX PLINIO.

Constat omnium venenorum ocyssimum esse Aconitum, & tactis quoque genitalibus fœminini sexus animaliũ eodem die inferre mortẽ. Hoc tamen in vsus humanæ salutis vertere, scorpionũ ictibus aduersari experiendo aconitum datum in vino calido. Ea est natura vt hominẽ occidat, ni si inuenerit quod in homine perimat: cum eo solo colluctatur, velut pari intus inuento. Sola hæc pugna est cùm venenum in visceribus repererit: mirumq; exitialia per se ambo cùm fuerint duo venena in homine commoriuntur, vt homo susperstit. Imò verò etiam ferarũ remedia antiqui prodiderunt, demonstrando quomodo venenata quoque ipsa sanarentur. Torpescunt scorpiones Aconiti tactu stupentq; pallentes, & vinci se confitẽtur. Auxiliatur eis elleborum album, tactu resoluente: ceditq; aconitum duobus malis, suo & omnium

mnium. Tangunt carnes aconito, necántque, gu statu earum pantheras, ob id quidam Pardalian ches appellauere.

DE ARISTOLOCIA.

CAP. XXXI.

Aristolochia longa videtur quam pro rotunda pingis, quòd folio sit rotundo, sed radice etiã rotunda esse debet Dioscoridi. Pistolochia autẽ tua radice rotunda est, foliis autem altè incisis.

NOMINA.

Aristolochia vnde dicta.

APIσολοχία Græcis, *Aristolochia* Latinis, barbaris & officinis corrupta voce *Aristologia. quemadmodum etiam Germanis* Holuurtz. & Oster lucey. (*Gallicè* de La saraſine) *nominatur. Dicta autem est Aristolochia, quòd* ἀριστα τοκοις λοχεῖς, *id est, optima puerperis sit, vtpote quæ remoratos menses, hærentes secũdas, & reliquias omnes à partu expellat.*

GENERA.

Germaniæ officinæ solã lõgã Aristolochiã agnoscunt. Pistolochia quæ.

Aristolochiæ Dioscorides & alij Græci tria esse genera statuunt. Vna est quæ rotunda & fœmina dicitur. Altera longa & masc ula. Tertia Clematitis, quasi dicas sarmẽtaria, appellatur. Harum certè millã præter longam officinæ Germaniæ nostræ agnoscunt. Nam qua sub Aristolochiæ rotundæ nomine vtuntur herba, minimè genuina est, vt paulopost euidentissimis argumentis ostendemus. Plinius tribus ijs generibus addit quartum, ac pistolochiam vocat, quæ certè ea est

quã

quam nostræ officinæ Aristolochiam rotundam & Germani Runde Holuurtz falso appellant vt in eius descriptione fusius docebimus.

FORMA.

Aristolochia rotunda folia Hederæ similia habet, cum acrimonia odorata, subrotunda, tenera, cum multis in vna radice germinibus: sarmenta illi sunt oblunga, flores candidi, pileolis similis, in quibus quod rubet grauiter odoratum est. Radix illius rotunda, rapo similis. Ex ijs quidem verbis sole clarius fit, Aristolochiã rotũdã officinarũ & qua cõmuniter oẽs vtũtur, nõ esse eã quã Dioscorides atque alij veteres pingunt. Hæc enim non Hedere folia, sed Rutæ potius, maiora tamẽ habere deprehenditur. Neque etiam odera, neq; subrotonda sunt. Grauis etiãqui ex floribus exhalat odor, in nostræ Aristolochiæ floribus nusquam apparet, Radix denique etsi rotunda sit, tamen quia concaua est, globiq; formam obtinet rapo. quod solidum est & oblungum, similis dici non potest. Non latet tamen interdum etiam rperiri huius generis radices prorsus rotõdas ac solidas, vt altera pictura monstrat: verùm cùm reliquæ Dioscoridis notæ absint, legitima Aristolochia esse haud potest. His accedit, quòd manuscripti herbarij pictura planè hãc Aristolochiã Hederæ folia habere doceat, vt hinc etiã euidentissimum sinostram non esse genuinam. Aristolochia rotũda.

Aristolochia longa, folia quàm rotunda longiora habet Aristolochia lõga

ra habet. Ramulos tenues, altitudine dodrantales. Florem purpureum, grauiter odoratum, qui cũ defloruerit pyro similis fit. Radicẽ digiti crassitudine dodrantalem, aut longiorem. Tam huius verò quàm prioris radix colore buxeo, gustu amara, & odore viroso est. Hæc sanè descriptio nõ abhorret à nostra Aristolochia, quæ Hederæ etiam foliis constat, ramulisq; tenuibus. Neque obstat quòd hæc non purpureos, sed luteos potius flores habeat: nam vt in Symphyto magno vberius diximus, non vbique terrarum, eorundem etiam herbarum flores similes esse, euidentissimum fit in Boragine, & consolida maiore hodie nominatis herbis. Quamuis autem lutei sint, grauiter tamen odoratos esse constat. Dein vbi flos nostræ etiam Aristolochiæ defloruerit, tũ pyro similis fit, vt pictura etiam pulchrè monstrat. Sed hic obtrudet nobis quispiam Dioscoridem, qui Gentianæ radicem Aristolochiæ longæ similem, crassamque esse scribit: huius autem nostræ nedum digiti crassitudinem obtinet, tantum abest, vt quantitate Gentianæ radici similis esse queat. Respõdeo, hæc quidem veræ esse, sed nihil mirũ esse si apud nos minor reperiatur: variatur enim in vná etiam & eadẽ herba iuxta regiones diuersas radicũ magnitudo. Sic visa est nobis radix Aristolochiæ rotundæ multò, quàm sit maximus digitus maior & crassior. Hæc tamen in Italia prouenerat. Neque dubiũ est quin nostræ etiã radix maior futu-

Aristolochia lõga.

Obiectiõis dissolutio.

Earũdẽ etiam herbarũ flores nõ vbique terrarũ esse similes.

Obiectiõis dissolutio.

rasit.

ra sit vbi cultus, & terra apta admodũ accesserit. Nã vt Theophrastus li. 1. de histo. plant. ca. 5. autor est, quædã ob culturam diuersa efficiuntur atque à sua natura discedũt. Sic Malua in altũ se attollit, & arboreſcit, atque in longitudine & crassitudine instar hastæ grandescit. Quid multa? cùm nostra maxima etiã prædita sit amaritudine, tutò illa pro vera & genuina, nihil obstantibus floribus luteis, & radice minima vti licebit, Clematitis ramulos habet tenues, foljs subrotundis, minori Semperuiuo similibus, plenos flores Rutæ haud dissimiles. Radices longiores, tenues, corticem crassum habentes, & odoratum. Clematitis

Pistolochia à Plinio lib. xxv. cap. viij. ijs pingitur vebis: Est & quæ Pistolochia vocatur, quarti generis, tenuior quàm tertia, densis radicis capillamentis, unci plenioris crassitudine. Hãc quidam Polyrhizon cognominant, Ex ijs autẽ verbis nemo non intelligit, Aristolochiam rotundã vulgò vocatam esse Pistolochiam, hæc enim supra modum tenuis, vel vt apertius dicam, tenera herba est. Radix etiam multis capillamentis vestita, crassioris etiam iunci magnitudine, atque adeò concaua vt pictura monstrat. His accedit, quod hæc quæ rotũda vocatur, canis vlceribus prosit, quã etiã facultatẽ Pistolochiæ vt paulo pòst patebit, Plinius tribuit. Et quid multis opus est verbis? nomẽ ipsum habũde docet esse Pistolochiã creditur enim, quãuis reuera non sit esse Aristolochia Pistolochiæ

Aristolochia rotunda, est piolachia.

chia hodie quoque, haud secus quàm Plinij temporibus. Hæc, vt totam eius faciem teneas, caulẽ habet rotundũ, leuẽ, folia Rutæ hortensis, latiora tamen, flores ferè Eranthemi, purpureos: illa cãdidos, vt pictura quæ vtriusque vnà complectitur, pulchrè mõstrat. quibus abeuntibus, siliquas profert refertas semine atro, lẽtibus haud dissimili: raduces vt ostensum est, hæc rotundã & cauã, illa verò rotundam, at omni tempore solidã obtinet colore subcroceã. LOCVS.

Vera rotunda quòd sciã nusquã in Germania nostra nascitur, Longa passim in vineis ac hortis alijs prouenit. Pistolochia in syluis & locis vmbrosis. TEMPVS.

Lõga Iunio & Iulio mẽsibus floret. Pistolochia in Martio & Aprili quo pterito statim et disperit. TEMPERAMENTVM.

Cũ supra modũ amaræ & subacres sint Aristolochiæ, calidas et siccas esse in secũdo, vel quòd magis credibile est, in iij ordine rectè statuemus. VIRES EX DIOSCORIDE.

Rotũda cõtra alia venena valet. Longa verò drachmæ vnius pondere cũ vino pota & illita, aduersus serpentes & letalia. Mẽses secundas & fœtus omnes in vtero consistẽtes cũ myrrha & pipere pota pellit. In pesso subdita eadẽ potest. Rotunda ad eadẽ omnia ad quæ prædicta cõducit: ampliusq; asthmati, singultui, rigori lieni ruptis, cõuulsis, lateriq; doloribus ex frigida aqua pota, auxilia-

auxiliatur. surculos & spicula extrahit. Squamas ossiũ illita educit. Putrescentia excarificat, & sordida vlcera expurgat. Cauacũ Iride & melle explet. Exterit gingiuas & dentes. Creditur & Clematitis ad eadẽ prodesse, efficatiatamẽ prædictis minor inferiorq; est. EX GALENO.

Aristolochiæ radix ad medicatiões vtilissima est amara & subacris. Sed ex illis tenuissima est rotunda, & in omnibus efficatior. Aliarum verò duarũ Clematitis vocata magis odorata est, itaq; ea ad vngueta vtũtur vnguẽtarij: sed ad sanationes infirmior. Lõga verò minus quidẽ tenuis est quã rotũda, sed nec ipsa inefficax, verũ abstergẽdi & calefaciẽdi facultatẽ possidet, minus tamẽ quã rotũda abstergit atque digerit: sed nõ minus calefacit, imo fortassis etiã plus. Itaq; in quibus vsus est mediocriter abstergere, cõmodior est lõga quẽadmodũ in carnis exulcerationibus, & in veteri fomẽtationibus. In quibus aũt crassiũ humorẽ validius extenuare oportet illic, vsus est rotundæ. Quapter dolores ab obstructiõe aut crassitie crudorũ flatuũ natos, magis curat rotũda, & surculos extrahit, & putredines sanat, & sordida vlcera repurgat, ac dẽtes gingiuasq; cãdidas efficit. Auxilio est asthmaticis singultiẽtibus, comitialibus, podagricis cũ aqua frigida pota, Ruptis etiam conuulsisq;, vt si quod aliud medicamẽtum idonea est. EX PLINIO.

Valẽt radicæ tãtũ. Rotũda cõtra serpẽtes. Ob

longa in ſumma tamen gloria eſt etiam modò. A conceptu admota vuluis in carne bubula, mares figurat, vt traditur. Quæ Piſtolochi & Polyrrix os cognominatur, conuulſis, contuſis, ex altoprœcipitatis, radice pota ex aqua, vtiliſſima eſſe traditur. Semine pluriticos & neruos cõfirmare, excalfacere. Putrida vlcera exeſt, ſordida expurgat, vermeſq; extrahit Ariſtolochia. Clauos in vlceribus natos, & inſixa corporis cũa præcipuè ſagitas, & oſſa fracta, cũ reſina Caua vlcera explet per ſe, & cũ Iride recentia vulnera ex aceto.

APPENDIX.

Etſi noſtram Ariſtolochiam rotundam nõ genuinam eſſe dixerimus, tamen ob id in medico vſu non repudianda erit. Quum enim habeat & in foliis & in radice acrimoniam, eamq; non leuẽ quidem ſi genuina deſit, ſine omni diſcrimine illa vti licebit ad omnia ea ad q̃ vera vſurpatur.

DE AMPELO LEVCE CAPVT XXXII.

Bryonia nobis colubrina, quod ſub huius vmbra dẽſtori ſtabulare amẽt colubri, aliis Ignis ardens dicitur à cauſtica vi baccarum rubentium.

NOMINA.

Bryonya

Ἄμπελος λευκή, ἡ βρυωνία, ἡ Ἑλλωβορος. Græcè: Vitis alba, Piſtolochrum Latinè appellatur. Officinis & herbarijs Bryonia. Vulgus Viticellã nomiat. Germ. Stickuurtz, Schicſzuurtz, Raſzuurtzel, Hũds Kurbſz, Romiſchrnb, Vuilder zituuan, Teufels Kirſz

Galli

Gallicè De la Couleurée, *alijs* du Feu ardãt.) *vocatur. Vitis alba verò dicta, nõ quòd vitis sit, sed quòd viti similis existat. Sic etiã Viticella. Psilothrũ, quod ex eius acinis coria depilari ac cõfici possint. Bryonia verò à βρυω fortè, quod est pullulo atq; adeo ex tollo, & exalto, eò quod in adiacentes sibi frutices scandẽs se exaltet atq; latè pullulet.*

Vitis albæ cur dicta.

Psilothrũ vnde.

Bryonia.

FORMA.

Sermenta, folia, capreoli, satinæ viti similia sunt, hirsutiora tamen omnia. Propinquis frutici bus se implicat capreolis apprehendens Fructum habet recemosum, rubentem, quo coria depilant. Radix alba, crassa & magna.

LOCVS.

Passim in sepibus & senticetis nascitur. eosq; quos prope se nanciscitur frutices scandit, vt eleganter in carmine suo Columella cecinit, dicens:

Quæq; tuas audax imitatur Nysie viteis,
Nec metuit senteis: nã vepribus improba surgẽs
Achrados, indomitas bryonias alligat vlmos.

TEMPVS.

Floret tota æstate in bonam vsque partem autumni, in quo fructum producit, qui primùm viridis est, dein vbi maturitatem consecutus fuerit, rufus esse incipit.

TEMPERAMENTVM.

Prima germina subamara & modicè acrẽ adstrictionem habent. Radix autem desiccat & moderatè calefacit.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Bryoniæ in prima germinatione aſparagi elixi manduntur, vrinã & aluum cientes. Folia, fructus & radix. acrem vim habẽt: eapropter chironijs, gangrænicis, phagedænicis, & tibias putrefaciẽtibus vlceribus cum ſale illita auxiliãtur. Radix abſtergit corpus & erugat. Vitia faciei, varos, lentigines, & cicatrices nigras, cũ eruo, terra chia, & fœnogræco emẽdat. Ad eadẽ prodeſt decocta in oleo vſquedũ liqueſcat. Sugillata tollit & digitorũ pterygia cõpeſcit. Cum vino illita inflammationes diſcutit, & abſceſſus rũpit. Oſſa extrahit, trita & illita. Miſcetur aptè medicamentis quæ exedendo ſunt. Bibitur cõmitialibus drachmæ pondere quotidie per annum. Attonitis & vertigine laborãtibus cõſimiliter aſſumpta prodeſt. Contra viperarum ictus pota drachmus duabus prodeſt. Fœtus necat. Mentem aliquando ſubturbat. Cit vrinam pota. Eclegma ex ea ſit cum melle, quod præfocatiõe oppreſsis, tuſsiẽtibus, latera dolẽtibus, & ruptis datur. Apposita vtero, fœtus & ſecũdas trahit. Lienẽ triũ obolorũ pondere ex aceto triginta diebus pota cõſumit. Illinitur vtiliter cũ fico ad eadẽ. Ad inceſſus decoquitur: vuluas ſiquidẽ purgat, & abortũ facit. Verè ex radice eius exprimitur ſuccus, bibiturq; cũ aqua mulſa ad eadẽ, pituitã ducens. Fructus eius ad pſoras & lepras illitus & inunctus facit. Lactis abundantiam efficit ſuccus eius fructus, ſi

cum

tum tritico decocto sorbeatur.

EX GALENO.

Vitis albæ, quam etiam Bryonia vocant, prima quidem germina ab omnibus pro more per ver eduntur, vtpote eduliũ stomacho eò quòd adstringat gratum. Habẽt etiã amarũ & modicè acrem adstrictionẽ, quare vrinam moderatè mouent. Radix autem abstergentem nonnullã, desiccantem, & tenuium partium, ac moderatè calidã vim obtinet. quãobrem & lienes induratos liquefacit, tum epota, tum foris cũ ficubus imposita. Psorã etiã ac leprã sanat. Racemo sus eius fructus pelles tingentibus vtilis est.

EX PLINIO.

Bryoniæ asparagi decocti in cibo aluum & vrinam cient. Folia & caules exulcerant corpus: vtique vlcerum phagedænis, & gãgræna, tibiarumq; tædio cum sale illinuntur. Semen in vua ræris acinis dependet, succo rubente postea croci. Nouere id qui coria perficiunt: illo enim vtũtur. Psoras & lepras illinitur. Lactis abundantiam facit coctũ cũ tritico, potumque. Radix numerosis vtilitatibus nobilis, cõtra serpentiũ ictus trita drachmis duabus bibitur. Vitia cutis in facie, varosq; & lentigines, & sugillata emẽdat, & cicatrices. Eadẽq; præstat decocta in oleo. Datur & comitialibus, potus. Itẽ mẽte cõmotis, & vertigine laborãtibus, drachmæ põdere quotidie ãno toto. Et ipsa aũt largior aliquãto, purgat sẽsus. Illa vis præ

clara, quòd ossa infracta extrahit in aqua impositа, vt Bryonia: quare quidam hanc albā Bryoniam vocant. Suppurationes incipientes discutit, veteres maturat & purgat. Cit mēses & vrinā. Eclegma ex ea fit suspirijosis, & contra lateris dolores, vulsis, ruptis. Splenē ternis obolis pota triginta diebus consumit. Illinitur eadem cum fico & pterygijs digitorū. Ex vino secundas fœminarū appositа trahit: & pituitam, drachma pota ex aqua mulsa. Succus radicis colligi debet ante seminis maturitatem: qui illitus per se & cū eruo, lætiore quodam colore & cutis teneritate mango nizat corpora: serpentes fugat. Tunditur ipsa radix cū pinguifico, erugatq; corpus, si statim bina stadia ābulētur. Alias vrit, nisi frigida abluatur.

DE AMPELOMELAENA.

CAP. XXXIII.

Tua vitis nigra videtur esse viburnum, etiam vulgo Gallorum cum Virgilio dictum.

NOMINA.

Ampelos μέλαινα Græcis, Vitis nigra Latinis nominatur. Officinis incognita. Germanis Vualdreben. oder Lynen, oder Lenē. (Gallicè Espece de Couleuree, ayāt les racines & sementz noirs.) vocatur. Nigra verò vitis dicta est à radice nigra, & quòd vitis similitudinem obtineat.

Vitis nigra vnde dicta.

FORMA.

Folia Hederæ similia habet, magis tamen ad

Smilacis folia accedentia, cui & caules similes obtinet: maiora tamẽ eius folia quàm illius sũt. Clauiculis hæc etiã arbores ãplectitur. Semẽ racemosum, initio herbaceũ, cũ maturuit deinde nigrũ, Radicẽ foris nigrã, intus buxei coloris. Ex qua delineatione omnibus cõstat herbã hãc cuius picturã exibemus, esse vitem nigram. Folijs enim Hederæ, maioribus tamẽ, Smilaci proximioribus caulibus quoque cognatis. Clauiculis suis arbores perinde atque adminicula comprehendit. Semen racematim cohæret, inter principia virẽs, posti maturitatẽ nigrescens. Radix foris atra, intus buxeo colore nitet. Flores eius, quod omisit Dioscorides, sunt cãdidi, & odorati, quibus decidẽtibus seniẽ subnascitur plumis quasi vestitum, aut barbæ cæ næ effigiem præbens.

LOCVS.

In frutetis & dumetis potissimum nascitur.

TEMPVS.

Floret Iulio mẽse, Augusto verò semẽ profert.

TEMPERAMENTVM.

Idem quod vitis albæ temperamentũ habet.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Huius caules in prima germinatione olerum modo manduntur, vrinæ & mensibus ducendis vtiles. Idem lienes minuunt. Comitialibus, vertiginosis, & resolutis accommodati sunt. Radix eadem præstat quæ vitis albæ, minus efficax tamẽ. Folia cum vino illita ad iumẽtorum ceruices ex-

ulceratas conducunt. Quinetiam luxatis eodem modo imponuntur.

EX GALENO.

Viti albæ ad omnia similis, nisi quòd imbecilior.

EX PLINIO.

Asparagi eius in cibo vrinæ ciendæ lieniq; minuendo vtiles. Radix ossa infracta efficacius extrahit quã supra dicta. Cæterùm eidem peculiare est, quòd iumentorum ceruicibus vnicè medetur. Aiunt si quis eam in villa extruxerit, fugere accipitres. tutasq; fieri aues villaticas. Aliter eadem in iumento hominéq; phlegma, aut sanguinem qui screatur, talos circunligata sanat.

DE AMARANTO. CA. XXXIIII.

Amarãtus luteus in Santonia, & Gallia Narbonensi frequens est, in officinis prope omnibus stœchadij citree noīe, Amarãtus purpureus nobis Passe vellours, ꝙ immortali colore etiã vilutum purpureum vincat.

NOMINA.

Ἀμάραντος Græcis. Amarãtus Latinis dicitur. Medicis & herbarijs nostræ ætatis ex amore & ãthos dictionẽ cõponi credẽtib. Flos amorisvocatur. H.ãc appellationẽ vsurpãtes Germani Floramor nominãt aliàs Samatblũ & Tausentchon. Gallicè Du passeuelours appellatur. Amarãtus aũt nõ alio nomine dici cœpit, quam quòd flos eius nũquã marcescat. Hinc est quòd puellæ hyemales sibi corollas ex eo conficiãt: id quod Erfordiæ, vbi nõ solũ æstate verumetiam hyeme

Amarantus vnde dictus.

hyeme gestant coronas, fieri potissimum solet.

GENERA.

Duplex est Amarãtus: vnus luteus, qui Dioscoridi ἀμάραντος, Galeno Amarãtus, officinis & imperitis Stichas citrina, vel vt ipsi loquũtur, Sticados citrinũ, Germanis Rheinblumen, quòd in regionibus quæ Rheno adiacent, potissimum verò quæ intra Spirã & Vuormaciã sunt, pueniat: oder Mottenblũ, oder Iungling appellatur. Helichryson dictũ, quod ad solis repercussum comãtib. in orbem florũ foliis, fulgorẽ aduri præ se ferat. Alter purpureus, qui hodie Flos amoris vulgò, & Germanis Floramor, oder Samatblum vocatur, vt paulò antè à nobis dictum est. Stichas citrina

Helichryson vnde dictum.

Flos amoris.

FORMA.

Amarantus luteus qui Helichryson alio nomine dicitur, virgam habet tenuem, virẽtem, rectã, solidã; Folia angusta ex interuallis, Abrotono similia. Comam orbicularem, auri modo fulgentem. Vmbellam rotundã, veluti corymbos arescentes. Radicem tenuem. Ex qua descriptiõe planum fit eam herbam quam hodie officinæ solœcismo vtentes, Stichadacitrinam nominant, esse Helichryson. Est enim herba surculosa, exilibus ramulis, folio vt Hyssopus angusto, gustu amaro, & instar Abrotoni albicãte: coma orbiculari, auri modo splẽdẽte: vmbella rotũda veluti corymbos arescentes: radice gracili. Et vt paucis dicam, non est nota quæ illi non aptissimè quadret. Purpureus verò

Amarantus luteus

Amarantus purpureus.

verò pedali altitudine surgit, caule purpurascente, foliis Ocymo similibus, maioribus tamen & longioribus, spica purpurea, verius quàm flore, inodora, qua nihil gratius aspectu cernitur.

LOCVS.

Nascitur in asperis, sabulosis, siccis & conuallibus locis luteus, Alter autem in hortis & fictilibus seritur. TEMPVS.

Helichrysum Iunio & Iulio mensibus floret. Amarantus verò purpureus æstate, potissimum autẽ Augusto mense.

TEMPERAMENTVM.

Luteus calidus & siccus haud dubiè est, id quod amaritudo in gustu & facultates eius abũ dè demonstrant. Purpureus autem recentiorum herbariorum sententia, frigidus est & siccus.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Coma Helichrysi cũ vino pota difficultatibus vrinæ, serpentium ictibus, coxẽdicum doloribus, & ruptis auxiliatur. Menses ducit, & sanguinis grumos in vesica aut aluo cum oxymelite pota liquefacit. Destillationem trium oboloru pondere cum vino diluto albo ieiuno data cõpescit. Reponitur etiã cum vestibus, quas ab erosione integras seruat. Vnde iterũ colligere licebit, herbã quam Rheinblumen vocãt, esse Helichrysum, quòd illã hac facultatevt vestes à tineis tueatur pditã esse, omnibus in cõfesso est. EX GALENO.

Amarãtus, luteus nẽpe, facultatis est incidentis &

tis & extenuatis. Qua propter coma eius cũ vino pota menses educit, & sanguinis grumos liquare creditur, nõ solùm in vẽtre, sed & in vesica. Sed tũc potius illã cum mulso bibere cõuenit. Omnes verò simpliciter fluxiones pota desiccat, stomacho tamen aduersa.

EX PLINIO.

Heliochrysum cict vrinas è vino pota, & mẽses. Duritias & inflamationes discutit. Ambustis cum melle imponitur. Contra serpẽtium ictus & lumborum vitia bibitur. Sanguinẽ cõcretũ ventris ac vesicæ absumit cũ mulso. Folia eius triũ oboloru pondere sistunt profluuia mulierũ in vino albo. Vestes tuetur odore non ineleganti.

APPENDIX.

Recentiores purpureum Amarnatum vehemẽter siccare tradunt, ideoq; cũ vino sumptum alui fluxiones sistere scribunt: sed, vt aiunt, stomacho aduersatur. Lutei floribus in vino decoctis, ad lũbricos educendos vtuntur: & ad pediculos enecãdos in lixiuio coctis.

DE AQVILEGIA CA. XXXV.

Aqlegia alijs angelica ancolie vulgò Gallorũ florum omniũ pulcherrimus præsertim qui duplus est.

NOMINA.

QVAE Aquilegia vulgò ab omnibus appellatur herba, ea Germanis Ackeley, Agley, & Ageley, nominatur. Quo

verò

verò nomine Græcis aut Latinis medicis vocata sit, nobis nondum cõstare potuit. Non esse enim Græcorum Aegilopa, vt non solùm vulgares herbarij, verumetiam magni nominis medici putãt notius est quam vt demonstrari à me debeat. Nam nihil in vniuersa Aegilopis, quæ alterum Auenæ genus est, historia reperitur, quod ad Aquilegiã referri queat. Neq; enim tũ ab anguilla cãcer, Quam Agilops ab Aquilegia dissidet: vt hoc nomine errare toto cœlo euidentissimum sit, qui Aegilopa esse Aquilegiam arbitrantur.

aquilegia nõ est Aegilops.

Aegilops quid

FORMA.

Folia Chelidonij maioris habet, sed paulò rotundiora, ac molliora. Caulem cubitalem, & interdũ procerioré, in cuius summo flores purpurei sunt, ex caudis quibusdã veluti muliebres loculi propẽdentes. His decidentibus capitula subnascũtur, haud secas atque in melanthio, in quibus semen atrum est. Radix eius crassa.

LOCVS.

Nascitur passim in hortis, & pinguibus quibusdã pratis. Inuenitur etiã in mõtibus syluosis, & interdum in petris & muris.

TEMPVS.

Maio & Iunio mensibus floret.

TEMPERAMENTVM.

In gustu dulcedinem quandam præ se ferre videtur, vt hoc nomine mediocriter calidam esse, & modicè digerendi vim habere verisimile sit.

VIRES

VIRES EX RECENTIORIBVS.

Recẽtiores oẽs, tũ herbarij, tũ medici, Aquilegiæ oẽs Aegilopis facultates tribuũt, at quàm recte, ipsi viderint. Neq; enim verisimile est herbæ quæ subacris nõ est: tantũ discutiẽdi ineſſe facultatẽ posse. Quũ verò modicè digerat & exiccet, scabiei & fistulis, potissimũ si illi farina commiſceatur triticea, conferre potest.

DE ALLIARIA. CA. XXXVI.

Alliaria vulgo scordotis ab odore allij herba qua sunt hactenus male vsi Pharmacopœi loco scordij nũc notissimi.

NOMINA.

NOndum cõstat quo nomine veteribus Græcis & Latinis herba hæc appellata sit. Vulgò tamen, eò quòd trita eius folia ingratum ac planè alliaceũ odorem redolent, Alliaris & Alliaria nominatur. Germanicè KNOBLOCH KRAUT, oder Leuchel, oder SAFZ KRAUT. Pandectarũ autor Pedẽ asininũ vocat. Alliaria vnde dicta. Pes asininus.

FORMA.

Folia eius cũ primũ emicant subrotunda sunt, violæ similitudine, aliquãtulũ tamẽ maiora. Adulta aũt in angulos exeunt. Herba ipa biennali proceritate consurgit, caule tereti, foliys Vrticæ, nisi quod leuiora sunt, ptius simbriata, & à pedicu lo latiora. Alij odoratu cũ teruntur, flore lacteo albo, exili in siliquas semine, atro colore, radice oblonga, eiusdẽ cum foliys odoris.

LOCVS.

Paſsim propter sepes & agrorum margines prone

prouenit.

TEMPVS.

Folia statim primo vere, atque adeò Martio ipso erũpunt. Floret autem æstate, atque deinceps semen profert.

TEMPERAMENTVM.

Quum prorsus suboleat Allium, necesse est vt temperamento eodẽ prædita sit. Calefacit igitur haud dubiè & desiccat, non tamẽ perinde atque Allium in excessu quarto.

VIRES

Easdẽ propè Allij facultates habere vel hinc conijci potest, quòd nonnulli in iuribus tortiuis, succis pro Allio substituãt. Proinde corpus calefacere, crassos humores in eo extenuare glutinosos incidere potest. Omnia tamen hæc minori quàm Allium efficacia. Semen eius cum aceto emplastri modo mulieribus strangulatu vteri laborantibus impositũ, & vuluæ admotum prodest, ac eadem excitat. Et summatim, omnia quæ Nasturtij semen, sed minori efficacia, potest.

DE ACALYPHE. CA. XXXVII.

Vrtica Romana nobis mas dicitur, semine in globulis seu lini sed minori. Maior in sepibus hortorũ, minor agria nobis dicit Ortie griace.

NOMINA.

Ἀκαλύφη, ἢ κνίδη Græcis, Vrtica Latinis nuncupatur. Officinæ Latino nomine vtũtur, Germanis Messel (Gallicè Ortie) appellatur. Acalyphe verò dicta est, Athenæo autore,

quod

quòd iniucundo sit tactu, & pruriginem cieat. Acalipe
Cnide autem, quod vellicet, pungat, ac suo morsu vnde di-
sensum lacessat, à verbo κνίζειν, quod pungere cta.
& vellicare significat. Vrtica ab vrendo, quòd Cnide.
prurituũ pustulasq; igni similes excitet. Vrtica.

GENERA.

Dioscorides duo facit genera. Vnam asperam quam hodie Romanã vocant: & est ea quam pictam damus. Huius quidem semine in officinis vtendum, non alterius quæ passim in sepibus ac dumetis nascitur. Germanicè Vuelschnessel (Gallicè Ortie grieschе) appellatur. Alteram minus asperam, quam ob id mollem nominant. Hanc nondum videre potuimus. In Germania nostra præter hæc genera alia duo inueniuntur. Vnum maius, quod Germanicè Heyternessel nominant: alterum minus, Germanicè Brennessel, vel Habernessel, quòd nimirum in auena nascatur, appellari solet. Harum etiam picturas adiecere placuit, quòd non prorsus ineffica-ses esse putemus, quandoquidem aud secus atque Romana pungere videantur. Vrtica romana. Vrtica nostra maior Vrtica minor.

FORMA.

Romana caule est rotundo & aspero, syluestri ore etiã & asperior, latior & nigrior foliis, semine haud dissimili in globulis quibusdam semine limi, sed minore. Altera priori similis est, nisi quod non similiter aspera est, tenuiusq; semen habet.

LOCVS.

Romana apud nos non niſi ſata prouenit, non ſecus atque mollis vocata vrtica. Vulgares paſſim in dumetis ac ſepibus gignuntur.

TEMPVS.

Semen meſſibus colligi oportet.

TEMPERAMENTVM.

Subtilium eſt partiũ, & temperaturæ ſiccæ, nõ tamẽ tantũ habet calliditatis vt iã mordeat.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Vtriuſque folia cum ſale illita canis morſibus gangrænis, malignis vlceribus, cãcris, ſordidiſq; luxatis, tuberculis, parotidibus, phygetlis, & abſceſſib. medentur. Lienoſis cum cerato imponũtur. Proſluuia ſanguinis ex naribus cum ſucco trita & impoſita ſiſtunt. Cum myrra trita & impoſita menſes mouuent. Recentia admota vteri procidentias emendant. Semen cum paſſo potum venerem ſtimulat, & vuluas aperit. Cum melle linctũ orthopnœas, pleuritidas, & peripneumoniã iuuat. Ea quæ in thorace ſunt educit. Miſcetur & exedentibus medicamentis. Folia cũ conchulis decocta aluũ molliũt, vrinasq; mouẽt. Cum ptiſana decocta ea quæ in thorace ſunt educunt. Decoctũ foliorũ cũ exiguo myrrhæ potũ menſes elicit. Succus gargariſſatus, vuam inflãmatã reprimit.

EX GALENO.

Herbæ ſemẽ & folia nũ hæc potiſſimũ in vſu adhibẽtur, digerentis ſunt facultatis, adeò vt tuber

bercula et parotidas sanet. Sed & quidda flatuo
su obtinet, quo & venere extimulat, maxime vbi cu passo seme bibitur. Porro quod no vehemen
ter calefaciat, sed admodu tenuiu sit partiu, testa
tur crassoru viscosoru; humoru ex thorace &
pulmone eductio, tu quod partes quas contigerit,
pruriat. Cæteru flatuosu eius cuius particeps esse
dicta est, du cocoquitur, nascitur: non cni actu fla
tuosa est. sed potetia Vetre autem mediocriter subducit ipsa dutaxat alsertione, ac veluti titillatione, no purgatione. Gangrænosa & cancrosa,
& in totu q exiccari citra mordacitate postulat,
ea conuenienter sanat. EX PLINIO.

Vrtica plurimis scatet remedijs. Seme eius Cicu
tæ cotrariu esse Nicander affirmat. Item fungis,
& argeto viuo. Apollodorus & Salamandris cu
iure decoctæ testudinis. Ite aduersari Hyosciamo
& serpetibus, & scorpionibus. Quin illa ipsa a
maritudo mordax, vuas ore, procidetesq; vuluas
& infantiu sedes tactu resilire cogit. Lethargi
cos expergisci tactis cruribus, magisq; frote. Ea
de canis morsibus addito sale medetur. Sanguine
trita naribus indita sistit, & magis radice. Car
cinomata & sordida vlcera, sale admixto: item
luxata. Sanat & panos, parotidas, carnesq; al
ossibus recedetes. Seme potu cu Sapa, vuluas stra
gulantes aperit, & profluuia nariu sistit impo
situm. Vomitiones in aqua mulsa sumptu à cœ
na, faciles præstat, duobus obolis. Vno autem

in vino poto, laſsitudines recreat. Vuluæ vitijs to ſtum, acetabuli menſura. Potum in ſapa, reſiſtit ſtomachi inflationibus. Orthopnoicis prodeſt cũ melle, & thoracem purgat eodem ecligmate. Et lateri medetur cum ſemine lini: addunt Hyſſopũ & piperis aliquid. Illinitur lieni. Difficilẽ ventrem toſtum cibo emollit. Hippocrates vulũ purgari poto eo pronunciat. Dolore leuari toſto aceta buli menſura dulci poto, & impoſito cũ ſucco mal uæ. Inteſtinorũ animalia pelli cũ hydromelite et ſale. Defluuia capitis, ſemine illito cohoneſtari. Articularibus morbis & podagricis plurimi cũ oleo vetere, aut folia cũ vrſino adipe trita imponunt. Ad eadẽ radix tuſa cũ aceto, non minus vtilis. Item lieni. Et cocta in vino diſcutit panos, cũ axungia vetere ſalſa. Eadem pſilothrum exit cat. Condidit laudes eius Phanias phyſicus, vtiliſsimam cibis coctam conditámue profeſſius arte riæ, tuſsi, ventris deſtillationi, ſtomacho panis, parotidibus, pernionibus: cum oleo ſudorem, coctam eum conchulis ciere aluum, cũ priſana pectus purgare, mulierũmq; menſes cũ ſale, vlcera quæ ſerpunt cohibere. Succus quoque in vſu eſt. Expreſſus illitusq; frontis ſanguinem narium ſiſtit, potus vrinam ciet, calculos rumpit. Vuam gargariſſatus reprimit. Si quadrupedes fœtum non admittant, vrtica naturam fricandam monſtrant.

DE APHACE. CAP. XXXVIII.

Aphace vbique hic frequens.

NOMI

NOMINA.

Ἀφάκη Græcis, Aphace Latinis, vulgò Syluestris vitia, & Os mundi, Germanis Vuilduuickꝛen, oder S. Christoffelꝛkraut (Gallicè Vesse sauuage) vocatur. Alia est ab Aphaca Theophrasti, quæ syluestrium olerũ genus est, de qua suo loco plura dicemus.

FORMA.

Exiguus frutex est, lenticula altior, tenuioribus foliis. Quæ nascuntur in ea siliquæ lante maiores, terna aut quaterna semina nigriora & minora continent.

LOCVS.

In aruis sponte nascitur.

TEMPVS.

Maio mense floret, & subinde semen in siliquis producit.

TEMPERAMENTVM.

Moderati caloris est valentius, autẽ desiccat.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Semina adstringendi vim habent, quapropter stomachi & alui fluxiones tosta, fracta, & decocta lentis instar sistunt.

EX GALENO.

Aphace facultatem obtinet adstrictoriam, sicut & ipsa lenticula. Sed & similiter. vt lenticula edi solet: cæterùm ægrius quàm illa concoquitur. Aluum retinet.

EX PLINIO.

Natura ei ad spissandum efficatior quàm ẽn

ti. Reliquo vsu eosdem effectus habet. Stomachi aluiq; fluxiones sistit semen decoctum.

DE ANDRACHNE.

CAPVT XXXIX.

Portulaca vtraque nobis cum sereno pullæ pes, Poulle pied, corrupte Pourpier dicitur.

NOMINA.

Portulaca

ANδράχνη Græcis, Portulaca latinis & Officinis, Germanis Burtzelkaut (Gallicè Du pourpier, ou de la Pourcelaine) dicitur corrupta tamen voce cùm efferendū esset Portzelkraut, ac si porcellorū herbam diceret. Alias Sauubon ijsdem appellatur.

GENERA.

Portulaca hortensis. Syluestris

Portulaca in duas distribuitur species: vnam hortensem, & alteram syluestrem, quæ non est tertium Αιζοϊ genus, vt aliqui seducti menda sis Dioscoridis exemplaribus credūt. Nam quòd plerique nomina harum duarum plantarum confuderint, factum subinde est vt multa adulterina quæ scilicet tertij generis Αιζοῶ debentur, capiti de Portulaca syluestri inserta sunt, quæ omnia prorsus expungenda veniunt, vt paulò pòst clarius monstrabimus. Hortensem Germani simpliciter Burtzelkaut, syluestrem verò Vuiloder, ac kerburtzel vocant.

FORMA.

Hortēsis caules habet crassos, pingues, teretes, in altū erectos, lētè vergētes in puniceū, folia pin-

guia

guia, à tergo candida flores exiguos luteos, semina nigra in herbaceis calycibus contenta. Syluestris folia oleæ obtinet, minora tamen multò, numerosiora & tenera, rubentes cauliculos ab vna radice multos in terra sessiles, qui commanducati succo habundãt, glutinosiq;, & sapore salsi sunt. Hæc est genuina apud Dioscoridem Portulacæ delineatio, reliqua verò omnia sunt adulterina, & ab imperito aliquo rerum ex capite de tertio Aizoo excerpta, & huic sine omni iudicio inserta.

LOCVS.

Prouenit in hortorum areolis, vineis, & alijs cultis locis, hortensis. Cæterum syluestris in petrosis & incultis etiam nascitur.

TEMPVS.

Iunio & Iulio potissimum mensibus carpenda folia & flores: semen verò sequentibus.

TEMPERAMENTVM.

Refrigerat vtraque quidẽ in tertio ordine à temperatis ac medijs: humectat verò in secundo. Quare viribus etiam nõ distant: hinc quæ in Dioscoride leguntur non sunt propriæ, sed Aizoi tertij generis, & à sciolo aliquo temere Portulacæ syluestri attributæ.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Portulaca vim habet adstrictoriã. Cũ polenta illita, capitis doloribus, oculorũ inflãmationibus, & aliarũ partium, stomachi ardoribus, exysipelatis, & vesicæ doloribus auxiliatur. Commandu-

ducata dentium stuporem, stomachi & intestinorum æstuationem fluxionesq; sedat. Renes erosos & vesicam adiuuat. Veneris impetus exoluit. Vari effectu & succus eius prodest potus. & in febribus etiam valens. Contra rotundos lumbricos, sanguinis excreationẽ, diſenterias, hæmorrhoidas, profluuia sanguinis percocta efficax. Cõtra Sepis morsus. Ocularibus medicamẽtis vtiliter cõmiſcetur. Intestinis fluxõie laborãtibus, aut vulua erosione affecta infunditur. Cõtra dolores capitis exustione cum roſaceo, aut oleo, ex alto deſtillatur. Exanthemata in capite cum vino exterit. Vulneribus ad ſyderationem ſpectantibus ex polenta illinitur.

EX GALENO.

Portulacha frigida & aquea tẽperamento eſt paucæ cuiuſdam auſteritatis particeps. Proinde fluxiones reprimit maximè bilioſas & calidas, cum eo quòd eas mutet, & in qualitate alteret, magnopere refrigerans. Hac ratione & æſtuantes, vt ſi quid aliud, adiuuat, tum ventris oſculo impoſita, tũ totis hypochondriis, potiſſimum in hectícis febribus. Præterea dentiũ ſtuporẽ ſanat, nempe quæ ab acidorum cõtactu aſperè exiccata fuerant, leniens atque replens, vt pote cũ viſco ſam habeat humiditatem. Similiter verò & ſuccus eius. Itaq; non foris modò impoſitus, ſed epotus quoque refrigerat. Hoc ſanè & toti herbæ cũ meſſæ accidit. Quoniam autẽ adſtringit, vtiliter dyſentericis editur, & in mulierũ profluuio

uio, & sanguinis reiectionibus. Sed ad hæc multò quidem efficatior est herbæ succus.

EX PLINIO.

Portulacæ memorabiles vsus traduntur, Sagittarum venena, & serpentium hæmorrhoidũ, & presterum restringit, pro cibo sumpta, & plagis imposita extrahit. Item hyoscyamo poto, è passoque expresso succo. Cum ipsa non est semen eius simili effectu prodest. Resistit & aquarum vitijs, capitis dolori, vlceribusq; in vino tusa & imposita. Reliqua vlcera cũ melle commanducata sanat. Sic & infantium cerebro imponitur, vmbilicoq; prociduo. In epiforis verò omnium, fronte tẽporibusq; cum polenta. Sed ipsis oculis, è lacte & melle. Eadẽ, si procident, prodest. Solijs tritis cum corticibus fabæ. Pustulis cũ polenta & sale, & aceto ac cera. Et vlcera oris tumoremq; gingiuarum commanducata cruda sedat. Item dentium dolores: Tonsillarum vlcera succus decocta. Mobiles dentes stabilit. commanducata Cruditates sedat, vocemq; firmat, & sitim arcet. Ceruicis dolores cum Galla & lini semine pari mensura sedat. Mammarum vitia cũ melle aut cimolia cretа. Salutaris & suspiriosis, semine cum melle hausto. Stomachum in acetarijs sumpta corroborat. Ardentib. febribus imponitur cum polenta. Et alias manducata refrigerat etiam intestina. Vomitiones sistit. Dysenteriæ & vomicis datur ex aceto, vel bibitur cum Cumino. Tenasmis autem

& comitialibus cibo vel potu prodest. Purgationibus mulierũ, acetabuli mensura in sapa. Podagris calidis, cũ sale illita, & sacro igni. Succus eius potus renes iuuat & vesicas. Ventris animalia pellit. Ad vulnerum dolores, ex oleo cumpolenta imponitur. Neruorum duritias emollit. Venerẽ inhibet, Venerisq; somnia. Prætorij viri pater est Hispaniæ princeps, quem scio propter impatibiles vuæ morbos, radicem eius filo suspensam è collo gerere, præterquam in balneis, & ita liberatiũ incommodo omni. Quinetiam inueni apud autores, caput inde litum destillationem toto anno nõ sentire. Oculos tamen hebetare putatur.

DE ASPHODELO. CAP. XL.

Asphodelus mas Dioscoridi scriptus, nobis est frequens folio porraceo, radicibus gladium magnarum effigie multis simul agnatis porcorũ cibus.

NOMINA.

Asphodillus

Ἀσφόδελος Græcis, Asphodelus Latinis, Officinis corrupta voce Affodilius, germanis Golduurtz (Gallicè Haste Royalle) nominatur.

GENERA.

Duo Asphodeli genera.

Duo esse Asphodeli genera, vtcunque vno cõtentus sit Dioscorides, testatur Plinius lib. xxi. c. xvij. matrẽ nimirũ & fœminã. Mas propriè Albucus nominatur, fœmina verò Hastula regia, quod scilicet dum floret, prorsus regij sceptri effigiẽ referat, Germanicè Golduurtz. Marem de

Albucus

pingit

pingit Dioscorides, & radicẽ eius acrẽ atque adeo cibo inutilem esse tradit. Fœminæ Theophrastus libro vij. de historia plãtarũ. cap. xij. & Hesiodus mẽtionem facere videntur, quandoquidẽ eius vsum in cibo quotidianum fuisse scribant. Hesiodus Hoc enim de mare dici haud posse, radicis mirifica acrimonia facit. Galenus etiam lib. ij. de alifœminæ mentionẽ ment. facult. Asphodelon fœminam cognouisse vi feciſſe videtur, dum scribit, Asphodeli radicem Scyllæ radi detur. ci, magnitudine figura & amaritudine, quadãtenus similem esse. Hæc enim de Dioscoridis Asphodelo verè dici non possunt, cuius quidem radix non Scyllæ, sed Pæoniæ potius similis est. Denique non est vt fœminæ amara, sed aeris. Neque obstat quòd nostra Hastula regia tantam amaritudinem quantam ei Galenus tribuit, non habeat. Nam neque ea quã Hesiodus suo carmine tãtopere celebrauit, tanta prædita fuit amaritudine: aliàs enim citra coĉturam multã, cuius tamen ille non meminit, cibo quotidiano idonea esse non potuisset. Et certè vt Aron nõ in omnibus regionib. parẽ acrimoniã obtinet, ita nec Hastula regia parẽ amaritudinẽ oĩbus ĩ locis sortitur. Adeo vt dubiũ nõ sit Hesiodũ de nostra Asphodelo q̃ fœminæ est, loquutũ esse. De fœmina aũt loquutũ esse Hesiodũ cõfirmat quòd alibi tradat ĩ syluis nasci Asphodelũ. Q& certè de ea unã fœminã fecimus, recẽtè dici põt, quãdo raro alibi quã ĩ syluis nasc̃atur Semẽtiã nostrã firmare videtur Apuleius ille qui

in li

in libro suo de herbis inscripto, seorsim & Asphodelum, & hastulam regiam describit.

FORMA.

Asphodelus mas folia habet similia. Caulem leuē in summo florē ferentē. Anthericū vocatū. Radices sublōgas, rotundas glandibus similes, gustu acres. Nos marem hac vice habere non potuimus. Fœmina folia habet oblonga, angusta, leuiter lenta, Plantagini minori nō dissimilia: caulē leuē in summo non vnū, sed plures flores pingues retrorsum icuruos, plenos puniceis maculis, radicem itidē bulbosam, capillis Aēj instar multis sub bulbo enascentibus, comatā, gustuq; glutinosam.

Asphodelus mas

Fœmina.

LOCVS.

Mas non prouenit in Germania, nisi in hortis culta & plantata. Fœmina verò in montibus & syluis sua sponte ac copiosè nascitur.

TEMPVS.

Iunio mense florent

TEMPERAMENTVM.

Maris radix calida & sicca est. Fœminæ folia cùm amara nonnihil sint & acria itidē calida & sicca esse, quemadmodum etiā radicē cōstat.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Radices Albuci vim calefaciendi obtinent, vrinas & mēses potæ mouēt. Lateris doloribus, tussibus, cōuulsionibus, ruptionibus, drachmæ pōdere ex vino potæ medētur. Cōmāducata astragali mē

sura

fura vomitiones aduuat. A serpente demorsis da tur vtiliter trium drachmarum pōdere. Illinire autem oportet morsus folijs, radice, & floribus cū vino. Itē vlcera sordida, & despascentia. Mămarum quoque & testium inflămationes, tuberculă & furūculos, decocta in vini fœce radice: ad recentes autem inflămationes cū polēta. Radicis sucus, adiecto vetere vino dulci, myrrha & croco simul decoctis, per quā vtile fit oculis medicamentum. Ad purulentas aures per se, & cum thure, melle, vino, & myrrha tepefactus prodest. In cōtrariam aurē per se infusus dentium dolorē mitigat. Cinis è radice cremata illitus, alopecias capillis explet. Oleū in excauatis radicibus igni decoctum, illitum exulceratis pernionibus, & ambustis igni conducit. Dolori aurium instillatus auxiliatur. Candidā vitiligīnem linteo antea perfrictam in sole, illita radix emendat. Semen & flores in vino poti, scolopendræ & scorpionum venenis egregiè aduersantur. Aluū quoq; deijciūt.

EX GALENO.

Asphodeli radix vtilis est, perinde atque Ari, Asari & Dracontij. Extergentis si quidem & discutientis facultatis. Vstæ tamen cinis caldior & exiccantior, magis tenuium partium, & ad discutiendum potentior efficitur, propterea & alopecias sanat. Inest itaque ei extenuandi facultas atque obstructa demoliendi veluti etiam Dracontio. Ideóque ipsius cauliculus arquatis tanquā

summum

summum præsidium exhibetur.

EX PLINIO.

Defectis corporib. & phthisicis constat bulbos eius cũ ptisana decoctos aptissimè mederi, panẽq; ex his cũ farina subactũ saluberrimũ esse. Nicander & cõtra serpẽtes & scorpiones, vel caulẽ vel semen, vel bulbos dedit in vino tribus drachmis, substrauitq; sono cõtra hos metus. Datur et cõtra venenata marina, et cõtra scolopẽdras terrestres. Folia quoque illinũtur venenatorũ vulneribus ex vino. Bulbi neruis articulisq; cũ polẽta tusi illinũtur. Prodest et cõcisis ex aceto luchenas sicare. Itẽ vlceribus putrescentib. ex aqua imponere. Mãmarũ quoque & testiũ inflãmationib. Decocti in fece vini, oculorũ epiphoris supposito linteolo medẽtur. Folijs in quocunque morbo decoctis magu medici vtuntur. Item ad tetra tibiarũ vlcera rimasq; corporũ quaciũq; in parte, farina arefactorũ. Succus quoque ex tusis expressus, aut decoctus vtilis sit corporis dolori cũ melle. Idẽ odorẽ corporis iucundum affectantibus, cũ Iri arida & sale exiguo. Folia etiã supradictis medẽtur, & strumis panis, vlceribus in facie decocta cũ vino. Cinis è radice alopecij us emẽdat, & rimas pedũ. Decoctæ radicis in oleo succus, perniones & ambusta. Et ad grauitatẽ auriũ infunditur. A cõtraria aure in dolore dẽtiũ. Prodest & vrinæ pota modicè radix, & mẽstruis, & lateris doloribus. Itẽ ruptis conuulsis, tusibus, drachmæ põdere in vino pota.

Eadẽ

Eadē & vomitiōes adiuuat cōmāducata. Semine
sūpto turbatur vēter. Chrysermus & Parotidas
in vino de cocta radice curauit. Itē strumas admi
xta cachry ex vino. Quidā aiūt, si imposita radi
ce pars eius in fumo suspendatur, & quarta die
soluatur, vnà cū radice arescere strumā. Sopho-
cles ad podagras vtroque modo, cocta crudaq; vsus
est. Ad perniones decoctā eleo dedit, & suffusis fel
le in vino, & hydropicis, Venerē quoque cōcitari
cū vino & melle perūctis, aut bibētibus, tradide
runt. Xenocrates & lichenas & psoras, radice
in aceto cocta tolli dicit. Itē si cocta sit cū hyoscya
mo & pice liquida, alarū quoque & feminū vi
tia. Et capillū crispiorē fieri, raso prius capite, si
radice ea fricetur. Lapides renum in vino decocta
atque pota eximit. Hippocrates semē eius ad im-
petus lienis dari censet. Iumētorū quoque vlcera
ac scabiem, radix illita, aut decoctæ succus ad pi-
lum reducit.

APPENDIX.

Animaduertendū facultates à Dioscoride & Ga
leno cōmemoratas, Albucco seu Asphodelo mari
cōuenire, huius enī radix gustu acris est. Quæ ve
rò à Plinio recēsentur, hæc partī mari partī fœmi
næ debētur. Fœminæ cuius radix & folia glutī-
nosa & amara sunt, vlcera glutinādi, scabiē ri-
masq; corporū, & si q̄ similes sūt facultates cōue-
niūt quas periti methodi simpliciū medicamētorū
facilè discernēt. Experiētia etiā quotidiana testa
tur, huius vsū esse ī vlceribus malignis salutarē.

Quæ

Quæ autẽ mari sint tribẽndæ, ex Dioscoride, Galeno, & gustu quiuis deprehẽdere poterit. Nos in trãscursu tantũ parũ attentos monere voluimus, ne indiscriminatim & promiscuè vtrique generi has facultates inesse putarent.

DE ATRAPHAXI.

CAPVT XLI.

Atriplex nomen retinet, alijs Bõne dame, & Prudefemme dicitur.

NOMINA.

Ἀτράφαξις, ἡ χυσολάχανον. Græcis, Atriplex Latinis & Officinis, Germa. Molté oder Miltẽ (*Gallis* Des Arroches, ou Des bonnes dames) *nominatur. Atraphaxis Attici* d, *literam in* t, *mutare frequenter amantibus dicta est quòd* ἄδρ- ἄυξει, *id est, statim in amplitudinem adolescat. Siquidem octauo à satu die prosilit, confestimq; incremento proficere videtur. Fidem celeris augmenti facit ereptum in cõfinio cæteris herbis alimentum. Acne in hortis quidem iuxta eam nasci quicquã tradunt: nisi languidum. Chrysolachanon verò, id est, aureum olus dixerunt, à luteo quem profert flore.*

Atraphaxis quare dicta.

GENERA.

Chrysolachanon

Duo Atriplicis sunt genera, satiua seu hortensis, & syluestris. Satiuam simpliciter Germani Molten, *syluestrem verò cum adiectione aliqua* Vuild molten oder Ackermolten, oder klein scheiszmilten *nominant.*

FOR

FORMA.

Hortensis caulem fundit quadratum, ramis brachiatum, quibus primùm flores lutei exigui, dein foliatum semen & obductum cortice promitur. Radicem vnam habet in altum descendẽtem, non glabram, sed fibris quibusdam capillatam. Sylvestris tam luxuriosa proceritate prodit vt quaternos sæpe cubitos excedat: caule vt hortensis angulosò, ramosò, & purpurascento: folio hortensi non admodum dissimili, potissimũ quòd ad colorem attinet: flore luteo exiguo, semine racematim congesto, radice simplici in altum descẽdente, ex qua se multæ promunt. Atriplex hortensis. Sylvestris.

LOCVS.

Hortensis non nisi sata prouenit. Sylvestris suæ sponte nascitur. Vtraque autem assiduo humore satiari amat.

TEMPVS.

Vtraque Iunio & Iulio mensibus floret, deinde semen proferunt.

TEMPERAMENTVM.

Atriplex humida in secundo ordine, frigida autem in primo. Hortensis tamen sylvestri humidior frigidiorq; existit.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Estur olerum modo elixum. Aluũ mollit. Crudum vel coctum illitum panos discutit. Semẽ eius potum cum aqua mulsa morbum regium sanat.

EX GALENO.

Atriplex celeriter, ob lubricitatem, ventrē permeat. Parum autem omnino eius est, quòd digerendi obtinet facultatem. Phlegmonis & phygethlis quidē incipientibus, crescentibus, & mollibus adhuc, ac veluti feruentibus, hortensis: vigentibus verò, declinantibus, & indurescentibus cō modior est syluestris. Semen eius abstergentis est facultatis proinde ad morbū regium ex iecoris obstructione prognatum vtilis est.

EX PLINIO.

Coquitur difficillimè. Addidere Dionysius & Diocles, plurimos gigni ex eo morbos. nec nisi mixta sæpius aqua coquendum: stomacho contrarium esse, lentigines & papulas gignere. Hippocrates vuluarum vitijs id infundi cū Beta. Ipsius Neapolitanus contra cantharidas bibendū dedit. Panos furunculos incipientes, duritias omnes, vel cocto vel crudo illini vtiliter putant. Item ignem sacrum, cum melle, aceto, nitroq;. Similiter podagris. Vngues scabros detrahere dicitur sine vlcere. Sunt qui morbo regio dent semen eius cum melle, arterias & tonsillas nitro addito perficient, aluum moueant, cocto aut per se, aut cum malua aut lēricula concitātes vomitiones. Syluestri capillos tingunt, & ad supradicta vtuntur medicina.

EX SIMEONE SETHI.

Ventrē quidem cit, prodest ad caliditatem iecoris, ac ictericis, & calidam temperaturam habē-

bentibus succurrit. Cõmodissima autem biliosis. Cum malua illita inflammationes sedat.

DE ATRACTYLIDE.

CAP. XLII.

Atractylus mitior frequens in vijs flore Cnici, sed pallidiore. Atractylis hirsutior carduus benedictus, nobis hodie duplex.

NOMINA.

Ατρακτυλὶς, ἢ κνικος ἀγρία Græcis: Atractylis, Cnicus syluester Latinis dicitur. Atractylis autem ideo dicta, quòd ea antiquæ mulieres profuso vtebantur: ἄτρακτος enim fusus est Græcis. Syluestris verò Cnicus, quia Cnico vrbano similis est.

Atractylis vndedicta Syluestris Cnicus.

GENERA.

Syluestris Cnici seu Atractylidis Plinio libro xxi. capit. xv. & Theophrasto lib. vi. cap. iiij. autoribus, duæ sunt species. Vna mitior, & Cnico satiuo similior. Hãc propriè Græci Atractylida, Latini verò fusum agrestem, aut colum rusticã, quòd eius caulerigido admodum & exili, veteres mulieres pro colo, vt dictum est, vtebantur nominabant. Sunt qui Cartamum syluestrem appellãt. Germanicè itaque vocetur Vuilder feld saffran (Gallicè Vne espece de Chardon ayant la fleuille iaune, ou du Saffran bastard,) vt hac ratiõe discernatur à Cnico, quẽ alij Cartamũ, et Crocũ hortẽsẽ nominãt. Altera hirsutior, caules & folia Sõcho nõ asperæ similia

Atractylis propriè dicta.

Cartamus syluestris

habens, q̃ Officinis omnibus & vulgò Carduus benedictus nuncupatur. Germanicè Cardobedict, Bornuurtz, oder Gesegneter distel, vocatur.

Carduus benedictus.

FORMA.

Spina est Cnico similis, in summo autem virgularum folia multò longiòra habens, caulẽ magna ex parte nudum, asperumq́; quo etiam mulieres profuso vtuntur. Capitula in carcumine aculeata, florem palidum, radicem tenuem, inutilem. Ex qua sanè descriptione omnibus perspicuum esse putamus, spinam quam pictam exhibemus esse Atractylida, quòd Cnico satiuo similis admodum sit, & in cacumine virgularum folia quàm Cnicus longiora habeat, caulem denique magna ex parte nudum, autumni potissimum tẽpore, quo folia sua sponte decidunt, & minimè leuem, sed asperum striatumq́; obtineat. Idem etiam rigidus & exilis est, vt fusi vsum præbere queat. Summitati quoque eius capitula insident spinosa, flos illi pallidus, radix tenuis: & in summa, nulla est nota, quæ huic non respondeat. Carduum autẽ benedictũ vulgò nominatũ esse alterã Atractilydis speciem, ex Thophrasti & Plinij verbis ostẽdi potest: hirsutus enim est caulibus Sõcheis, humi ferè reptantibus. propter sui enim mollitiẽ veluti sessilis caducusq́; solo procumbit, semine minuto, frequẽti, amaro, & pilis barbato quod molli lanugine operitur. Flos ei pallidus luteus ve

Atractylis Proprie dicta.

Carduus benedictus.

teúsve.

LOCVS.

Mitior Atractylis in aruis & montibus, hirsutior autem in hortis iam paſsim prouenit.

TEMPVS.

Prior Auguſto menſe apparet, eius tamen ſemen ante autumnum non matureſcit. Poſterior citius naſcitur, eius tamen ſemen ſerò etiam ad maturitatem peruenit.

TEMPERAMENTVM.

Guſtu cũ amara ſint ſpinæ hæ, euidẽtiſsimũ eſt calido & ſicco tẽperamẽto eſſe præditas, id quod ex earundem etiam facultatibus colligi poteſt.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Atractylidis folia, coma & ſemen trita cũ pipere vinoq; pota, cõtra ſcorpionum ictus proſunt. Sunt qui dicant à ſcorpionibus percuſſos, quandiu teneant eam herbam, non ſentire dolorẽ, depoſita verò, dolore affici. EX GALENO.

Atractylis aut Cnicus ſyluestris. Hæc planta ex ſpinarum eſt genere. Facultatem habet deſiccãdi, & modicè digerendi.

APPENDIX.

Prima ſpina in ſanandis vlceribus & fiſtulis diuturnis efficaciſsima eſt. Altera quã Carduũ benedictum vocant, obſtructiones internorum viſcerum tollit, vrinam mouet, calculũ frangit, vlcera, potiſsimũ pulmonis, ſanat. Percuſsis à feris venenatis medetur. Necant etiam peſtis experiri cõtagia, qui aut cum cibo, vel potu pſumpſerit. Iam

quoque correptus magno fore remedio sibi vulgus persuasit. Ex quibus etiã omnibus fit perspiscuũ, easdem quas veteres Atractyli tribuerũt, vtranque spinã habere facultates. Item herbam quam Carduũ benedictũ vocant, contra serpentum & scorpionũ morsus valere omnibus in confesso est: quam sanè facultatẽ cum Atractyli etiã assignet Dioscorides, cõsequitur ab eadẽ diuersam nõ esse. Recentiores Carduum benedictum contra capitis vehementissimos dolores, vertiginem, memoriam amissam, in cibo aut potu sumptũ valere tradũt. Item ad putrescentia vlcera, mãmarũ potissimũ, si in puluerem redactus inspergatur.

DE ANGELICA. CA. XLIII.

Angelica satiua Parisijs frequens, syluestris desideratur.

GENERA.

Angelica nõ est Smyrnion neque Silphion.

NVNQVID veteribus cognita fuerit hæc herba, & quo nomine appellata sit, nondũ scire licuit? Neq; enim Smyrnion est quod scilicet vmbellã Anethi & semẽ rotundũ, aliáq; multa, quæ descriptio requirit, nõ habeat. Silphio etiã esse haud poterit, quòd folia Apij habere minimè deprehẽdatur. Recentiores autẽ vno ore omnes Angelicã, & Sancti spiritus radicẽ, à suauissimo eius radicis odore, quẽ spirat, aut ab immẽsa cõtra venena facultate, appellãt. Germanis Angelick oder des Heiligẽ geyst uurtz, oder Brustuurtz. (Gallicè Augelic vocatur.

Sancti spiritus radix cur dicta.

GENE

GENERA.

Duo eius hærbæ inueniuntur genera. Vna eum mitior est, cuius quidem radix valde odorata à Germanis Zam Angelick nominatur. Altera sylvestris, eius radix suaui odore destituitur, & à Germanis vuilde Angelick nominatur. Holtensis silvestris.

FORMA.

Caulem profert duùm cubitorũ, concauum: folia oblonga, per ambitum serrata, subnigra: flores in purpura candidos, semen latum, foliaceum: radicem grassam & multam, foris nigricantem, intus candidam.

LOCVS.

Mitior in hortis plantata prouenit, & in mõtosis etiam nonnullis locis perinde atque sylvestris

TEMPVS.

Iulio & Augusto mensibus floret.

TEMPERAMENTVM.

Calefacientem & desiccatoriam vim in tertio ordine ei assignant herbarij recentiores.

VIRES.

Aperit, extenuat, discutit, vt recẽtiores perhibẽt. Vnicè venenis aduersatur. Pestilentiæ populatim sæuiẽtis arcet contagia. Corpora à lue pestifera vindicat, si tãtùm, vt affirmãt, in ore teneatur. Per hyemẽ ciceris magnitudinem cum vino, per æstatẽ ex stillatitio rosarum liquore sumpsisse satis est. Nec sensurũ eo die cõtagionem pollicentur, quo quis deuorarit: nã vrina & sudore venenum

abigit, lentitiã pituitæ digerit, quapropter tussi, quam frigus attulerit, medetur. Crassa q̃ in thorace coierint, discutit. Herba ipa invino & aqua cocta, vulnera interna glutinat. Concretum sanguinem resoluit, stomachum esu corroborat. Cor recreat. Pituitam ventriculi deijcit. fastidia cibo rum discutit, & elanguescentem inuitat appetentiam. Rabiosi canis morsu, aut serpentis ictu liberat, si contrita cum ruta & melle folia indantur, dein cocta in vino bibãtur. Libidinẽ extinguit ore ieiuno sumpta. Lassitudines reficit, thoracem expurgat. Supra febricitantis caput imposita, fertur ad se feruorem elicere. Valere contra fascinationes adfirmãt, si quis eam secum gestarit.

DE AERA. CA. XLIIII.

Lolium tuum est Githago & Nigella vulgaris, alijs iurea Gallis dicta.

NOMINA.

Officinarũ error.

Αἶρα, ἢ θύαρβος, ἢ ῥιζάνιον Græcis: Lolium Latinis dicitur. Officinæ nonnullæ, non sine magno errore, pro Melanthio seu Nigella vtuntur, vt non temere etiam Pseudomelanthiõ dici queat. Germanis Ratten, oder Kornnegele (Gallicè yuraie, ou Gasle.) appellatur.

FORMA.

Folio constat angusto, Theophrasto lib. viij. de Plantarum historia cap. vij. teste, pingui & pilloso, flore subpurpureo, semine exili in siliqua hispida, vel vt Plinius ait, in cortice aculeato. Ex quæ

qua siquidem descriptione satis perspicuum fit omnibus, Pseudomelāthion hoc esse Lolium: folia nanque Porri habet, oblonga, hirsuta, florem purpureum, semen in pilosa, longa, angulata, ac per interualla striata siliqua. Et vt paucis singula cōplectar, hordeo, cuius vt reliquarum frugum pestis & vitium est, tota effigie non dissimile est. Pseudomelāthion est Lolium.

LOCVS.

Non solùm in triticea & hordeacea, sed in omni fere alia segete per se prouenit. Frugū acerba pestis, ideoq; à Vergilio infœlix appellatum.

TEMPVS.

Iunio mense floret, & subinde semen profert.

TEMPERAMENTVM.

Desiccat & calfacit efficaciter, vt propinquū sit acribus magis quàm Iris: sed non est perinde vt illa tenuium partium, verùm multum abest. Secundum hoc ponat ipsum quispiam in principio tertij ordinis excalefacientium, in fine verò secundi exiccantium.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Lolium molitum nomas, putredines, & gāgræna cum raphanis & sale illitum cōpescit. Feras impetigines, & lepras cū sulphure viuo & aceto sanat. Strumas quoq; cum fimo colūbino & lini semine in vino decoctū discutit. Quæ ægre maturantur rumpit. Decoctum ex aqua mulsa & illitū, ischiadicis prodest. cū polēta, aut myrrha, aut croco, aut thure suffitum, conceptiones adiuuat.

EX PLINIO.

Lolium molitũ ex aceto coctum impositumq́; sanat impetigines, celerius quo sæpius mutatum est. Medetur & podagris, alijsq́; doloribus cum oxymelite. Curatio hæc à cæteris differt. Aceti sextario vno dilui mellis vncias duas iustum est: ita temperatis sextarijs tribus, decocta farina Lolij sextarijs duobus vsque ad crassitudinẽ, calidũque ipsum imponi dolẽtibus mẽbris. Eadẽ farina extrahit ossa fracta. Magus etiã cæteris purgat vlcera vetera, & grangænas. Cum raphano & sale & aceto lichenas. Lepras cũ sulphure viuo. Et capitis dolores cã adipe anserino imposita, fróti. Strumas & panos cõcoquit cum fimo colũbino, & lini semine decocta in vino.

APPENDIX.

Iam cõmemoratas facultates huic etiã hærbæ, quã Germani Ratten *nominãt, recentiores tribuũt. Mirificè enim hanc in sanandis impetiginibus, alijsq́; scabiei generibus cõmendãt. Item in vulneribus glutinãdis, ac fistulis curandis, compescendóque sanguine, eius esse vsum tradunt, vt hinc etiam liqueat hãc ipsam à Lolio non esse diuersam.*

EX SIMEONE SETHI.

Vim æqualem Iridi obtinet.

DE ASCLEPIADE.

CAP. XLV.

Asclepias in syluis frequens.

NOMI

NOMINA.

ΑΣκλᾶπιας Græcis Asclepias Latinis herba rijs Hirũdinaria, Officinis Vincetoxicum, Germanis Schuualbenuurtz appellatur Asclepias aũt ab Aesculapia ãtiquo medicinæ auto req; nommata est. Hirundinaria verò à siliquis quas producit, quæ dehiscẽtes plumosum semẽ ostẽdũt, at q; adeò hirũdinis effigiẽ referũt. Vincetoxicũ, vel rectius ΝΙΚΗΤΟΞΙΚΟΝ haud dubiè dicta est, quòd illi insignis aduersus venena vis sit, vt paulò pòst fusius docebimus.

Asclepias vnde dicta

Hirundinaria.

Vincetoxicum.

FORMA.

Ramulos profert longos, in quibus folia longæ Hederæ similia. Radices numerosas, tenues, odoratas. Flores grauiter olentes. Semen Securidacæ seu Hedysari. Ex qua delineatione nemini non perspicuum sit Vincetoxicum appellatam herbam esse Asclepiada. Fruticosa siquidem herba est, caulẽ obtinẽs rotũdũ, leuem, tenuem, ac ferè iunceum, ramulis longis, folio hederaceo, sed oblongiori, in viridi nigricante, floribus exiguis, candidis aut verius in albo pallescentibus, grauiter odoratis, ex quibus siliquæ oblongæ fiunt, quæ dehiscentes semẽ plumosum Securidacæ simile, hoc est, rufum & latũ ostẽdũt, radicibus multis, exiguis, tenuibus, & odoratis, adeò vt nulla sit prorsus notæ quæ illi nõ respondeat aptissimè. His accedũt locus natalis & facultates, quæ singula cum Asclepiade illi communia sunt, quemadmodum ex ijs

quæ

quæ statim subijcientes manifestissimum fiet.

LOCVS.

Prouenit in mõtibus asperis, altis ac arenosis. Copiosissimè autem nascitur in monte haud procul à Tubinga sito, in quo olim arx posita fuisse fertur.

TEMPVS.

Augusto mẽse floribus abundat, ac subinde semina in folliculis oblongis, formam hirundinis cum dehiscunt referentibus profert.

TEMPERAMENTVM.

Asclepias, Paulo teste, calida, sicca, & tenuis substantiæ est. Quo sanè temperamẽto Hirundinaria etiã ꝑdita existit: amara siquidẽ & parũ glutinosa eius est radix, folia verò aliquam præferunt adstrictionem: vt iterum euidenter appareat, Hirundinariam esse Asclepiada.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Radices cũ vino potæ, torminibus, & venenatorum morsibus subueniunt. Folia verò illita maleficijs in mammis & vtero vitijs opitulantur.

EX PAVLO.

Torminibus in vino pota competit. Illita verò venenatorum morsibus, & malignis mammarũ & vteri vitijs succurrit.

EX PLINIO.

Radices torminibus medentur, & contra serpentium ictus non solum pota, sed etiam illita prosunt.

APP

APPENDIX.

Recentiores radice eius magna efficacia ad mensium prouocationem vtuntur, & ad rabidi canis morsum, venenisq; potẽter resistere affirmãt, vnde etiã haud temerè Victrix toxici ab ijsdem appellata est. Hydropicis etiã radicẽ in vino macerată & subinde coctã, mirificè auxiliari tradũt. Victrix toxici.

Flores pterea foliaq; siccata, mox trita, vulneribus vtiliter inspergi aiũt. Sordida etiã vlcera purgare, & ad cicatricẽ perducere, genitaliũq; vitijs & rupturis egregiè mederi docẽt. Quæ in vniuersum oẽs facultates cum ijs quas Asclepias obtinet pulchrè quadrant, vt eandẽ esse Hirundinariam vocatã herbã, nullus deinceps dubitare debeat.

DE APIO. CA. XLVI.

NOMINA.

Ἄπιος, ἡ ἰσχας, ἡ χαμαιβάλανος Græcis: Apios, Raphanus syluestris Latinis dicitur. Officinis incognita. Germanis Erdnusz, Erckelen, Erdfeigen, & Erdmandel, (Gallicè Vne Raue sauuage, ou vn Rayfort sauuage) appellatur. Apion verò dixerunt Græci, quòd radicis extremum in pyri formam turbinatur. Eadem etiam ratione ischas & chamæbala nos ab ijsdẽ nominata est, quòd in ficus, vel glandis effigiem radicis extremum turbinetur. Quapropter non ineptè Latinus etiam glans aut ficus, seu carica syluestris nominabitur. Apios cur dicta. Ischas. Chamæbalanos.

FOR

FORMA.

Ramulos duos aut tres iunceos tenues, rubentésque profert, qui supra terram parũ se attollũt. Folia rutæ similia, longiora tamen, & virentia. Semen exiguum. Radicem Asphodelo similem, & ad pyri figuram accedentem, rotundiorem tamen, & liquore plenam, intus candidam, foris nigro cortice tectam. Hæc Dioscorides. Alij adjiciũt Apion habere tenues capreolos, florem Piso non dissimilem, sed longè minorem. Quæ singula satis declarant herbam cuius picturam exibemus, esse Apion: ramulos enim magna ex parte duos, vel ternos, imò vt Theophrastus ait, quaternos, & interdũ plures emittit, iunceos, tenuésque, & infima parte rubẽtes, qui supra terram parum se extollunt. Folia quoque Rutæ habet, at longiora & virentia. Semẽ etiam exiguum. Radicem denique Asphodelo mari similem, & ad pyri effigiem accedentem: quod tamen non de tota radice quæ longissima est & tenuis, intelligendũ venit, sed de extremis eiusdem, hoc est, nucibus seu glãdibus ab dependentibus, pyri aut ficus formam habentibus, qualibus etiam pæoniæ fœminæ radix assimilatur. Succosa quoq; radix est, intùsq; candida. Quibus omnibus accedunt flores Pisoni similes, & mirificè odorati, minores tamen: nec non capreoli tenues. Conueniunt etiam vires, vt ex sequentibus patebit, ita vt prorsus nulla sit nota quæ reclamare videatur.

LOCVS

LOCVS.

Prouenit in frumẽtaceis, agris hordeaceis potißimũ, tritici & Zeæ, quos interdum sues, dulcẽdine cupiditate eius radicis, seu rectius nucum ex radice dependentium, prorsus euertunt. Atque hinc est quod panis porcinus à quibusdam nominetur. Panis porcinus cur dictus.

TEMPVS.

Floribus abundat odoratis admodum Iunio mense.

TEMPERAMENTVM.

Apios temperatura calida est & ficca mediocriter, id quod ex gustu facilè deprehenditur.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Pars radicis superior sumpta, vomitione bilẽ pituitámque extrahit. Inferior per aluum. Tota verò vtrinque purgationes mouet. Succus eius sesquioboli pondere haustus, vtraque parte, hoc est, suprà & infrà purgat. Cùm verò liquorem colligere volueris, tundito radices, conectísque in cratera aqua plenum misceto, tum penna collectũ qui supernatabit liquorem siccato.

EX PLINIO.

Succus purgat vtraq; parte sesquioboli in aqua mulsa. Sic & hydropicis datur acetabuli mensura.

APPENDIX.

Experientia testatur nuces has nauseam atque adeo vomitionem ciere, si quis illis vescatur.

DE

DE ASTERE ATTICO

CAP. XLVII.

Aster Atticus tuus hic non cognitus.

NOMINA.

Inguinalis.

Aster vnde dicta.

Inguinalis quare appellata.

Ἀστὴρ ἀττικὸς, βουβώνιον Græcis. Aster Atticus, Inguinalis Latinis dicitur. Officinis ignota herba. Germanis Sternkraut, (Gallicè du petit Muguet) commodè appellari potest. Asteris autẽ nomen, non à foliorũ in caulibus, sed in floribus potius figura & situ, accepit. Siquidẽ foliorũ in huius herbæ flore numerus & forma, stellam præse ferunt, vel vt Plinius ait, capitula per ambitũ diuisa foliis pusillis, stellæ modo radiata sunt. Errãt itaq; qui singula folia in caulibus stellæ formam repræsentare putant. Buboniũ & Inguinalis, quod inguinum præsentaneum sit remedium, dicta est.

FORMA.

Cauliculus lignosus, purpureum & luteum in summo florem habens, veluti Chamæmeli capitulum, vndique per orbem incisuris diuisum, foliolis stellæ similibus. Quæ verò circa caulem sunt folia, oblonga & densa hirsutáve. Ex qua quidem delineatione omnibus perspicuum fit, herbam cuius picturam exhibemus esse Astera atticũ. Nam caulis eius lignosus est, foliis vestitus oblongis & densis, in cacumine flos illi purpureus & luteus, stellæ modo radiatus, qui subinde in pappos abit: radix fibris multis capillata.

LOC

LOCVS.

Nascitur in collibus montibus altis & syluis.

TEMPVS.

Augusto mense vt plurimùm floret, durantq; in magnam autumni partem eius flores.

TEMPERAMENTVM.

Mistæ est potentiæ, vti rosa: refrigerat enim non tamen vehementer, & digerit atque exiccat quod scilicet illi amara insit qualitas.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Aestuanti stomacho illita confert. Succurrit etiam oculorum inflammationibus, bubonibus, et procidenti sedi. Tradunt partem in flore purpuream, si bibatur ex aqua, anguina correptis, & puerorum comitialibus opitulari. Recens inguinum inflammationibus illita prodest. Sicca sinistra manu dolentis decerpta, inguini ad alligata doloribus liberat.

EX GALENO

Non tantùm illitum sed etiam suspensum bubonas sanare creditur. Habet verò quiddam etiã digerens, vt mistæ sit facultatis, verùm id non astringit.

EX PLINIO.

Bibitur aduersus serpentes. Sed ad inguinum medicinam sinistra manu decerpi iubent, & iuxta cinctus alligari. Prodest & coxendicis dolori ad alligata.

DE AGROSTI.

CAPVT XLVIII.

NOMINA.

Ἀγρωστις Græcis, Gramẽ Latinis, Germanis Graſz, (Gallicè Dent de chien) appellatur. Gramen verò dictum eſt, quòd geniculatis internodijs mirificè ſerpat, à gradiendo, vel à gignendi fœcunditate: ſiquidem crebrò ab ijs nouas ſpargit radices.

Gramen vnde dictũ

FORMA.

Geniculatis per terram ſerpit ramulis: & ab ijs dulces geniculatasq; radices ſpargit. Folia eius acuminata, dura, & vt paruæ arundinis lata, quæ iumenta bouesq; paſcunt. Ex quibus verbis planum fit omnibus, plantam hanc, cuius picturam damus, eſſe veri graminis genus: geniculatis enim ramulis per terram ſerpit, & ab ijs dulces geniculatas, & exiguas admodum ac tenues radices ſpargit. Edodrantalibus etiam ramulis circa vnunquenque geniculum bina folia acuminata, dura ac lata emittit. Floribus denique ad gramen Parnaſi accedere videtur. cãdidi enim ſunt & quinis diſtincti foliis, & his ipſis diſſectis: quibus decidentibus folliculi rotundi lini inſtar, ſemine pleni exiguo, vt Parnaſi gramen, prodeũt. Adeò vt nemo ſit qui non videat illi per omnia graminis reſpondere notas. Quare reprehenſione digni ſunt qui Euphraſiam eſſe putant.

Error quorundã ſeplaſiariorum

LOCVS.

Paſſim naſcitur in vmbroſis, locis & dumetis.

TEM

TEMPVS.

In fine ferè aprilis floribus suis candidis & elegantibus ornatur.

TEMPERAMENTVM.

Radix graminis mediocriter frigida & ſicca eſt, mordacitatem quandam exiguam, & partium tenuitatem obtinẽs. Herba verò ipſa in primo quidem exceſſu refrigerat, in humiditate verò & ſiccitate moderata. Semen alibi quidẽ imbecilliũ eſt, in Parnaſo verò deſiccatorium, & tenuium partium & ſubacerbum.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Graminis radix trita & illita vulnera conglutinat. Decoctum eius in potu torminibus medetur, & vrinæ difficultatibus. Calculoſa etiam veſicæ excrementa comminuit.

EX GALENO.

Radix cruenta vlcera glutinat. Cæterũ mordacitas & tenuitas quæ radici ineſt, exigua eſt quidem, ſed interdum tamen frangere lapides aſſolet ſi quis ipſam decoquens bibat. Semen autem alterius quidem imbecillum eſt, eius verò quod in Parnaſo naſcitur, vrinam ciet, & fluxus ventris & ſtomachi reſiccat.

EX PAVLO.

Gramen Parnaſi maximè vtile eſt, ſiccat, modicè refrigerat, tenuium partium, & ſubacerbũ, eoq; vulnera cruenta glutinat, & decoctum eius veſicæ calculos confringit.

EX PLINIO.

Decoctum gramen vulnera cõglutinat, quod & ipsa herba tussa præstat: tueturq́; et ab inflã mationibus placat. Decocto adijcitur vinum ac mel: ab aliquibus & thuris, & piperis, & myrrhæ tertiæ portiones. Rursusq́; coquitur in æreo vase ad dẽtiũ dolores et epiphoras. Radix decocta in vino torminibus medetur, & vrinæ difficultatibus vlceribusq́; vesicæ. Calculos frangit. Semen vehementius vrinam impellit. Aluum vomitionesq́; sistit. Priuatim autẽ draconũ morsibus auxiliatur. Sũt qui genicula nouem vel vnius, velẽ duabus tribũsve herbis, ad hunc articulorum numerum inuolui lana succida nigra iubeant, ad remedia strumæ panorũmve. Ieiunũ debere esse qui colligat. Ita ire in domum absentis cui medeatur superueniẽtique ter dicere, Ieiuno ieiunũ medicamentum dare, atque ita alligare, triduoq́; id facere. Quod è graminum genere septẽ internodia habet efficacissimè capiti cõtra dolores adalligatur. Quidã propter vesicæ cruciatus decoctum ex vino gramen ad dimidias è balneis bibi iubent.

Superstitiosum.

DE ALOE. CAPVT XLIX.

Aloë in domibus frequens. Perroquet vulgo dicitur quod foliorem habitu & colore psittacũ viridem referat.

NOMINA.

Ἀλοὴ Græcis Aloë Latinis appellatur. Officinæ veterem appellationem retinuerunt.

Germa

Germani destituti peculiari nomenclatura, pariter Latinis Aloën vocant. Sunt qui hanc à crassis foljs & similitudine quam cum Semperuiuo habet, Semperuiuum marinum nominent. Sẽperuiuũ marinũ.

FORMA.

Scyllæ folium habet Aloë, crassum, pingue, modicè latum, rotundum, repandumq; Folia vtrinque gerunt ex obliquis aculeos raros, & breues. Caulem profert Antherico similem, florem albũ, semen Asphodelo simile. Graui est tota herba odore, & gustu amarissima. Radice vna, pali in terrã adacti specie. Nostra pictura nõ nisi radicẽ & folia ob oculos ponit, reliqua hoc tẽpore habere nõ potuimus. Dabimus autem operam, modò Deo sic visum fuerit, vt aliquando integræ plantæ picturam studiosis exhibere liceat. LOCVS.

Nascitur copiosissima in India, præpinguisq;, vnde succus quoque defertur. Prouenit etiam in Arabia Asiaq;, & in maritimis aliquot locis & insulis, vt in Andro. Nunc in allquot hortis Germaniæ nostræ plantatur.

TEMPVS.

Neque florem neque semẽ in stirpe nobis videre contigit, quare de jjs quo nimirum proueniant tempore, nihil certi monstrare possumus.

TEMPERAMENTVM.

Aloë calefacientium est primi ordinis intensi, aut secundi remissi, tertij autem exiccantium.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Duo sunt succi cõcreti genera. Vnũ arenosum quod sedimẽtũ purissimæ Aloës videtur (hoc officinis Caballiniũ vocatur.) Alterum iecinoris modo coactiũ (Succotrinum barbari appellant.) Eligito puram quæ nihil doli sensit, sine calculis, splẽdentem subruffam, friabilem, iecinoris modo concretam, facilè liquescentẽ, eximiæ amaritudinis. Reprobato autẽ nigrã, & fractu cõtumacẽ. Est Aloë vis adstrĩgere, somnũ cõciliare, exiccare corpora densare alnum soluere, & stomachũ purgare. Põdere cochleariũ duorũ in aqua frigida, aut tepida pota. sanguinis excreationes sistit. Regiũ morbũ purgat tribus obolis ex aqua aut drachmæ pondere in potu. Deuorata cũ resina, aut cũ aqua, aut cocto melle excepta, aluũ soluit. Triũ drachmarũ põdere perfectè purgat. Mixta aliis purgatorijs medicamentis, stomacho minus noxia ea reddit. Siccata et insparsa, vulnera glutinat, & vlcera ad cicatricem perducit, cõpescitq;. Priuatim autẽ exulceratis genitalibus medetur & rupta infantium præputia agglutinat. Condilomata, rimasq; sedis cũ passo mixta sanat. Sanguinis eruptiones ex hæmorhoidibus factas compescit. Digitorũ reduuias ad cicatricem perducit. Liuores & sugillata cum melle delet. Palpebrarũ scabricies, angulorumq; prurigines lenit. Dolorem capitis sedat temporibus & fronti ex aceto cum rosaceo inuncta. Capillos fluentus cũ

vino

vino cõpescit. Tõsillis gingiuis, & omnibus oris vl ceribus, ex melle & vino prodest. Torretur oculorũ medicamẽtis in testa pura & candente, rudiculaq; subinde versatur donec æqualiter torreatur. Lauatur vt quod est arenosiß imum subsidat tanquã inutile, & leue & pinguiß imũ assumatur.

EX GALENO.

Hac verba non admodũ apud nos prouenit: & q̃ in magna nascitur Syria aquosior est, & facultatis imbecillioris: attamẽ vsq; adeo desiccare põt, vt vulnera cõglutinet. At in regionibus calidioribus, qualis est Cœlesyria et Arabia multò est melior. Optima verò Indica, cuius liquor est id quod ad nos importatur medicamẽtũ cognomi natũ aloẽ, ad plurimas res ꝓpter siccitatẽ mordicatiõis expertẽ vtile. Est autẽ nõ simplicis naturæ sed vt indicio est gustus. adstringit simul & amara est. Adstringit quidẽ mediocriter, sed vehemẽter amara est. Subducit & vẽtrẽ, vt puta ex numero medicamẽtorũ q̃ Græci ab excernẽdo sterco re vocant ἐκκοπρωτικὰ. Verũ & ipsius facultatis mistura attestãtur particularia eius opera: nã & gratũ stomacho est medicamẽ, vt si quid aliud & sinus glutinat. Sanat & vlcera q̃ ægrè ad cicatricẽ duci possunt & maximè quæ in ano sunt et pudẽdo. Iuuat etiam eorũ inflãmationes aqua liquata, & vulnera ad eũdẽ modũ glutinat. Cõgruit similiter vtẽti & ad inflãmatiões ĩ ore, nari b. & oculis. In suma repellere & discutere simul

poteſt, cum hoc vt paulũ extergeat, quantum vi delicet vlceribus puris non ſit moleſtum.

EX PLINIO.

Natura Aloës ſpiſſare denſare, & leuiter calfacere. Vſus in multis & principalis, aluum ſoluere, cum penè ſit ſola medicamentorum quæ per ſe id præſtant. Confirmat etiam ſtomachũ adeò vt non infeſtet vlla vis contraria. Bibitur drachma. Ad ſtomachi verò diſſolutionem, in duobus cyathis aquæ tepidæ vel frigidæ, cochlearis menſura, bis terve in die ex interuallis, vt res exigit. Purgationis etiam cauſa plurimùm tribus drachmis. Efficatior, ſi pota ea ſumatur cibus. Capillũ fluentem continet cum vino auſtero, capite in ſole contra capillum perũcto. Dolorem capitis ſedat temporibus & fronti impoſita, ex aceto & roſaceo. Dilutiorq; infuſa, oculorum vitia omnia ſanari ea conuenit. Priuatim prurigines & ſcabiẽ genarum, item inſignita ac liuida, illitâ cũ melle maximè Pontico: tonſillas, gingiuas, & omnia oris vlcera. Sanguinis excreationes, ſi modicæ ſint drachmæ pondere ex aqua, ſi minus, ex aceto pota. Vulnerum quoque ſanguinem, & vndecunque fluentem ſiſtit per ſe, vel ex aceto. Aliàs etiã eſt vulneribus vtiliſſima, ad cicatricem perducẽs. Eadem inſpergitur exulceratis genitalibus, virorum condilomatis, rimiſq; ſedis, aliàs ex vino, aliàs ex paſſo, aliàs ſicca per ſe, vt exigit mitiganda curatio, aut coercenda. Hemorrhoidum quoq;

abundã

abundantiam leniter sistit. Dysenteriæ infunditur. Et si difficilius concoquantur cibi, bibitur à cœna modico interuallo. Et in regio morbo tribus obolis ex aqua, Deuorantur pilulæ cum mellis decocto, aut resina terebinthina, ad purganda interiora. Digitorum pterygia tollit. Oculorum medicamentis lauatur, vt quòd sit arenosissimum subsidat. Aut torretur in testa, pennáq; subinde versatur, vt possit æqualiter torreri.

DE BECHIO. CAP. L.

Tussilago vngula Caballina & passus asini vulgò dicitur.

NOMINA.

BHxion Græcis, Latinis Tussilago aut Farsaria dicitur. Sic vocata quòd βηχὰς, hoc est, tusses iuuare credita sit. Herbarijs & officinis hodie Vngula caballina appellatur. Germanis Rotzhub, oder Brandtlattich (Gallicè Patte a Cheual) quòd scilicet equinæ vngulæ persimilis sit & ambustis medeatur.

Bechiō vn de dictum Vngula caballina.

FORMA.

Folia hederæ habet, sed maiora, sex aut septē à radice prodeuntia, supernè virentia, inferiore autem sui parte albida, plures angulos habentia. Caulem palmum altum. Florem vere prodeuntē pallidum, quē vnà cum caule confestim abijcit. Inde nonnulli existimauerunt sine caule hanc herbam nasci. Radix illi tenuis est, quæ minimè inutilis esse potest, quādoquidē illius, vt ex sequē

Bechiō nō nascitur se ne flore.

tibus patebit, in rumpendis thoracis abcessibus & ejiciẽdo ex vtero emortuo fœtu vsus sit. Subesse itaque errorẽ in Dioscoride manifestissimũ est, vbi radicem Tussilaginis ἄχρηστον esse inquit quẽ tamẽ nemo interpretum, quòd sciã, animad-

Dioscoridis locus emẽdatus

uertit. Hoc etiã adjiciendũ duxi pro confirmãda Dioscoridis descriptione, & confutanda erronea quorũdã sentẽtia, flores Tussilaginis esse fugacissimos: ijs enim enatis breui vigor vitaq; durat lõgissimaq; mora triduũ aut quatriduũ, post quod illico tempus flaccescentes in pappos euanescunt, & caduci marcẽt, ita vt non nisi vere sese fortefortuna ferãt obuiã, quo potissimũ tẽpore flos & caulis sine folijs videntur. Quapropter qui herbã ipsam hoc tempore non conspexerunt, & tam subitam floris & caulis iacturam haud animaduerterunt, sine vtrisque nasci crediderunt. Nos tamen & florẽ & caulẽ sæpius oculis contemplati sumus, idóque vt vtriusque pictura accederet diligenter curauimus. LOCVS.

Nascitur prope fontes, & in aquosis locis.

TEMPVS.

Flores vere, & in aprili colliguntur: ab hoc enim tempore, vt paulò antè diximus, nusquam apparent Folia & radix tota æstate durant.

TEMPERAMENTVM.

Folia Tussilaginis virentia aqueæ substantiæ admistionem habent, vt hac ratione frigida & mida

humida dici possint. Sicca verò acriora sunt ideo q; calida. VIRES EX DIOSCORIDE.

Tussilaginis folia trita cum melle illita, ignibus sacris, & inflammationibus cunctis medentur. Eadē sicca incensa, eos qui sicca tussi et orthopnœa infestantur, quum fumum per infundibulum hianti suscipiunt ore, sanant. Abcessus thoracis rūpunt. Eadem radix suffita potest fœtū; emortuum in aqua mulsa cocta & pota ejcit.

EX GALENO.

Bechium ideo nuncupatum est quòd βῆχας, id est, tussēs orthopnœas iuuare creditum sit, si quis videlicet folia arida aut radicem in prunis accēdens, ascendentem inde fuliginem in spiratu attrahat. Est autem modicè acris, vt sine molestia noxáue omnes thoracis abscessus credita sit rumpere. Sanè folia viridia partes cruda inflāmatione obsessas illitu extrinsecus adiuuant, propter aqueæ humiditatis admistionem, qua omnia virentia tenera, alia plus, alia minus participant, Nā sicca Bechij folia acriora sunt, quàm vt inflammatione laborantibus partibus conueniāt.

EX PLINIO.

Tussilaginis aridæ cū radice fumus per arundinē haustus aut deuoratus veterē sanare dicitur tussi: sed et in singulos haustus passū gustādū est.

DE BVGLOSSO. CAP. LI

Bugloſsum Borrago. NOMINA.

Βούγλωσσον Græcis: Bugloſsum, Bubula lingua

gua, Bouis lingua Latinis, quòd scilicet eius folia bubulæ linguæ similia sint: officinis & herbarijs Borrago. Borrago, Germanis Burretsch (Gallicè Bourrache, ou Bourroche) dicitur. Alia verò herba est quæ hodie Buglossa vulgò nominatur, (Buglose) vt suo loco indicabimus.

FORMA.

Buglossum Verbasco simile est, foliũ habẽs in terram depressum, asperum, nigrius, bubulæ linguæ nõ dissimile Florẽ cœruleũ, speciosum, Quæ nimirũ descriptio ita hodie vocatæ Borragini herbæ quadrat, vt nemo nõ nisi talpa cæcior sit veterũ esse Buglossũ videat. Quitamẽ eius rei plura argumenta desiderat, ea quæ libro primo, capit. xxxiij. nostrorũ Paradoxorũ produximus, legat & nihil puto deinceps dubitabit.

LOCVS.

Nascitur in plantis & sabulosis locis. Passim etiam hodie in hortis seritur, ob id olitoribus optimè cognitum.

TEMPVS.

Carpitur Iulio mense.

TEMPERAMENTVM.

Buglosum calidi humidiq; temperamẽti est.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Folium Buglossi in vinum deiectum animi lætitiam efficere creditur. Aiunt, quæ tres caules emittat si cum radicibus & semine tota teratur, & in potu detur contra tertianos rigores prodesse

se: ad quartanas verò quæ quatuor. Horum autem decoctio in vino fiat. Herbam abscessibus etiam vtilem esse ferunt. EX GALENO.

Buglossum vinis iniectum lætitiæ & hilaritatis causa esse creditum est. Sed ijs qui ob fauciũ asperitatem tussiunt, in melicrato coctũ cõuenit.

EX PLINIO.

Buglosso præcipuũ quòd in vinũ deiecta animi voluptates auget, & vocatur Euphrosynum. Buglosso inarescente, si quis medullam è caule eximat, dicatq; ad quẽ liberãdũ febre id faciat, & alligetei septem folia ante accessionem, aiunt à febre liberari.

EX SIMEONE SETHI.

Buglossum vrinã cit, & sitim sedat. Caules eius cocti & crudi comesti iecoris affectibus prosunt. A viatoribus ex eo conficitur xulapion, & est vtile.

DE BVPHTHALMO.

CAPVT LII.

NOMINA.

Βουφθαλμος Græcè, Bupthalmum Latinè hodiè oculus bouis aut vaccæ, et Cottula nõ fœtida herbarijs vocatur. Germanis Rindsaug. oder kuecaug (Gallicè Oeil de Beuf ou pisse en lict) Bupthalmum autem non alia ratione dixerũt veteres quã quòd eius flores oculi imitẽtur formam, & Bouum potissimum oculis simi les sunt. Germanicè etiam Rudill, hoc est, vaccinum

Cotula nõ fœtida.

Bupthalmum cur dictum.

num anethũ dicitur, quòd scilicet verũ Anethũ eius folia referre videatur. FORMA.

Anethum vaccinum

Buphthalmum caulem tenerum emittit, folia fœniculo similia, flores luteos Antemide maiores, oculorum figura, vnde & nomen traxit. Hæc quidem notæ adamussim conueniunt herbæ quã vulgus herbariorũ Cotulam non fœtidã vocant: caules siquidẽ eius teneri, folia fœniculo similia.

Obiectiõis solutio.

Nec te moueat quòd à Dioscoride Buphthalmo lutei flores tribuuntur. Cotulæ autẽ nõ fœtidæ albi sint: ad discũ enim mediúmue Dioscorides respexit, quod luteum est, nõ ad ambitũ, in quo folia radiata cãdida, vt in Chamæmelo. existũt. Quã dicimus, confirmant quæ Galenus li. vi. de simp. medic. facult. in hunc modũ scribit: Buphthalmi ẽquiẽs, flores colore Anthemidis floribus similimi sunt, sed multò maiores. Serapion quoq; florẽ eius magis luteum flore Chamæmeli esse ait. Si itaq; Anthemidis floribus similimi sũt nec nisi sola magnitudine differunt, & Anthemidis propriè dicti flores in medio lutei, & per ambitũ cãdidi existũt, necesse est, vt Buphthalmi etiã flores tales sint, vt scilicet cãdida illorũ folia, luteũ mediũ cingant. Quid multa? Buphthalmi flores ab Antemidis floribus non nisi sola magnitudine differũt grãdiores enim Buphtalmi flores, quàm Antemidis conspiciũtur, reliqua facie quã similimi. Quòd igitur ad colorem attinet in nullo variãt. Iã dictis accedit, quòd Serapionis interpres sub

Co

Cotulæ nomine Buphthalmũ delineat. Denique cõgenerẽ esse planè herbã Buphthalmũ cũ Antemide Dioscoridis tractand: ordo abundè docet, quũ constet illum tres herbas sibi admodũ similes Chamæmelũ nempe, Partheniũ, & Buphthalmũ, vno in loco describere. Vnde iterũ planũ fit Buphthalmum esse cotulam non fœtidam, quòd scilicet Chamæmelo prorsus similis sit excepto dũtaxat flore, qui in illa maior est.

LOCVS.

In campis & circa oppida nascitur.

TEMPVS.

Capitur Iulio Augustoq; mensibus, & durat etiam vsque ad Autumni medium.

TEMPERAMENTVM.

Flores Buphthalmi acriores sunt Chamæmeli floribus, ob id illis sunt calidiores.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Buphthalmi flores cũ cerato triti, œdemata et durities discutiunt. Ferũt post exitũ abalneo potã regio morbo correptis coloris bonitatem tractu tẽporis reddere. EX GALENO.

Buphthalmi flores Anthemidis floribus vehementius discutiũt, adeo vt & durities ex cerato mixti sanent. EX PLINIO.

Buphthalmos cum cera scirrhomata discutit.

DE BELLIDE. CAPVT LIII.

Bellides nobis Margarite & Pasquettes, quòd ad pascha ferè flores hi incipiant bellis maior cõsolida media vulgõ.

NOM

NOMINA.

BELLIS neque à Dioscoride, neque à Galeno nec alijs etiam græcis, quòd sciam, descripta est, ideoq; Græco nomine destituitur. Latinam itaque duntaxat appellationem habet & bellis siue Bellius, autore Plinio, nominatur.

GENERA.

Consolida minor.

Duorum est generum maioris & minoris discrimine insignis. Minor Bellis est ea quam officinæ Consolidam minorẽ appellant. Hæc iterũ duũ est generum. Quædã enim hortensis & domestica est Bellis, hanc Germani Monatblumle, oder rote blumle (Gallicè Des margerites, ou des Pasquettes) nominant altera sylvestris quam vulgus herbariorũ Primulam veris, quòd scilicet vere in choante mox erũpat, Germani autem Masslieble, et Kleinzeitlosse (Gallicè Petite consyre) nuncupant. Maiorẽ officinæ nõmullæ Consolidã mediã quòd credatur vulnera glutinare, Germani Gensblum (Gallicè De la consyre) vocant. Nos aliam Consolidam mediã insita describemus.

Primula veris.

Consolida media.

FORMA.

Minor.

Minor hortensis, sylvestri, præter florem qui rubicũdus est, per oĩa similis est. Cõstãt verò flores ÿ interdũ simplici interdũ multiplici foliotũ cõtextu vt pictura affabre ostẽdit. Sylvestris Plinio li. xxvi. cap. v. teste flore cõstat albo aliquatenus rubẽte quinquagenisternis, interdũ etiã quinquageni squ

Plinÿ locus explicatur.

nis

nis barbulis circinato folio pingui, in terra iacẽte, in rotundum oblongo, lẽuissimè serrato. Neque obstat quòd Plinius lib. xxi. cap. vij. Bellio luteũ esse florem tradat, quia non ad ambitum, sed ad discum mediúmue floris, quòd senè luteum est, respexit. Hinc est quòd à quibusdam Plinij locus ita legatur: Luteum & Bellio, vt subaudiatur semen Maior Bellis procerior assurgit, folio non admodum diuerso, altioribus duntaxat crenaturis laciniato, cauliculis tenuibus, surculosis, cubitũ altis, flore priori non dissimili, maiore, pauciori- Maior
bus tantùm barbulis & in vniuersum candidis, mediũ luteũ in orbem concinnè cingentibus.

LOCVS.

Passim in pratis vterque nascitur Bellius. Là & in hortis seritur, sed flore multiplici, barbularum stipatu densiore.

TEMPVS. Minor.

Minor primo statim vere apparet, & tota ferè æstate durat. Maior autem in Maio mense floret, quo etiam tempore carpi debet.

TEMPERAMENTVM.

Bellius vterque calidus et siccus est, id quod ex Plinio colligi potest, qui illorum ad discutiendas strumas vsum esse scribit. Acetosus tamen sapor quem in gustu minor præ se fert, aliquam frigiditatis in ea portionem esse monstrat. Quicquid tamen sit, exiccare Bellios euidentissimum est.

VIRES.

Quotquot hodie viuunt vulnerariam herbã

Bellū esse nouerunt, valetq; potissimū in capitis fractura admota. Succus etiã herbæ vtiliter vulneratis bibitur. Laudatur etiam herba ad membrorum resolutionem, quã Græci paralysin vocãt: itẽq; ad podagras, ischiada, et aduersus strumas.

DE BRATHY. CAP. LIIII.

NOMINA.

Βράθυς καὶ βάρυθρον Græcis, Sabina vel Sabina Romanis, Seuenbaum Germanis (Gallicè Sauinier) dicitur. Officinæ nomen vetus retinuerunt.

GENERA.

Duùm est genervm Sabina. Vnũ quod hic pictũ exhibemus: alterum Tamaricis folia habẽs.

FORMA.

Primi generis Sabina foljs Cupressõ similis est spinosior tamen, grani odore, acris & feruẽs. Arbor breuis & in latitudinem magis se fundẽs & explicans. Topiarius itaque frutex est, immortali coma virẽs, patulo fastigio, iuniperi similitudine.

LOCVS.

Passim in hortis nascitur.

TEMPVS.

Quonis tempore colligi potest, potissimum autem autumno, dum semine prægnans est.

TEMPERAMENTVM.

Tertij est ordinis excalfacientium & desiccãtium & ex numero eorum quæ vel maximè tenuiũ

unium sunt partium.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Prioris foliys nonnulli pro suffitu vtuntur. Vtriusque folia nomas sistunt. Inflamationes illita mitigat. Cum melle illita nigritias repurgat, itemq; sordes & carbunculos abstergunt. Cum vino pota sanguinem per vrinam ducunt, fœtumq; excutiunt. Idem apposita & fussita præstant. Miscetur vnguentis excalefacientibus, priuatim Gleucino.

EX GALENO.

Sabina ex numero est fortiter exiccantium, idq; secundum tres qualitates quas in gustu præ se fert similiter Cupresso, nisi quòd ea acrior est, & vt sic dicã magis aromatica seu odoratior. Igitur huius quã modò dixi qualitatis est particeps, nempe acrimoniæ consistentis in calido temperamento, preterea amaritudinis & adstrictionis obscurioris, quã in Cupresso. Siquidem quãto magis acrimonia supat, tãto et potentius digerit. Itaq; glutinare nequit ob siccitatis et caliditatis robur. Nã vtriusq; illi tãtũ est, vt et tendat, et inflamationẽ afferat. At putredinibus similiter Cupresso accõmodari pot maximè ijs q malignores fuerit et diuturniores. Nã hæc citra noxã medicamenti vehementiũ perferũt. Quin & q atra sunt reddita, & admodum sordida, ea cũ melle expurgat, Carbũculos item sollicit. Porrò ob essentiæ partiũue tenuitatem mẽses quoque prouocat, vt si quid aliud. Et sanguinem p vrinas mouet. Fœtũ et viuentem interficit & mortuũ eijcit.

Vnguentis inditur, & potissimum Gleucino & in multas antidotos mittitur. Quidã verò etiam Cinnamomi vice duplũ eius adiicitur: est enĩ extenuãdi et digerẽdi facultatis, si potasuerit.

EX PLINIO.

Sabina à multis in suffitus pro thure assumitur. In medicamentis verò duplicato pondere eosdem effectus habere quos cinnamomũ traditur. Collectiones minuit, & nomas compescit. Illita vlcera purgat. Partus emortuos appositа extrahit & suffitu. Illinitur igni sacro & carbunculis. Cum melle & vino pota, regio morbo medetur. Gallinacei generis pituitas fumo eius herbæ sanari tradunt.

DE BATO. CAP. LV.

Rubus ronce

NOMINA.

Βάτος Græcis, Rubus aut sentes Latinis vocatur. Aliquibus Mora vaticana, corrupta voce, eius fructus dicũtur, cũ dicẽdũ esset mora vacinia. Nã in hodiernũ vsque diẽ Græci mora illa à Βάτου, βάτινα καὶ βατίνια cognominant. testis Galenus lib. sexto. de compos. medica. secundum locos: cap. primo. Vergilius in Bucolicis vnius literæ immutatione vacinia vocauit in quiens: Alba ligustra cadũt, vacinia nigra leguntur. Eclog. ij. A nostræ ætatis medicis barbaris & Herbarijs mora bacci appellantur, cum illis dicẽdũ esset mora bati. Theophrasto li. iij. de plãt. hist. c. xvij.

Chamæ

Chamæbatos, quasi dicas humilis rubus, appellatur. Germanicè Bromber (Gallicè ronce.)

FORMA.

Rubum omnes nouerunt, vbique enim vestibus prætereuntium sese affigit, remorámq; viatoribus injicit. Caulem habet minacibus ac pungẽtibus spinis & aculeis vestitum. Folia incisuris diuisa, nigricantia ab vno latere, altero cãdentia. Florem initio rubescentẽ, dein candidum profert, quo abeunte fructus exit, qui cùm maturuerit moro persimilis fit nigrescens, auibus gratus, nec hominibus instauis cibus. Inest illi succus sanguineus, & veluti cruore atro manus inficiens.

LOCVS.

Passim in dumis prouenit Rubus, qui protinus quàm paulò accreuit, retro vergit in terram, atq; ita radicatur, iterumq; ex se nascitur.

TEMPVS.

Diuersis temporibus folia, flores & fructus Rubi colliguntur. Folia nanque in vere: flores æstatis initio, Iunio nimirum & Iulio mensibus: fructus autem vbi iam maturuerit per messes & extrema æstate decerpitur.

TEMPERAMENTVM.

Rubi folia, germina, flores, fructus & radix qualitate adstringente participant, eaq; nõ obscura. Sed hoc inter se differũt, quòd folia potissimũ & recẽs nata plurimũ in se habeãt aqueæ substãtiæ, parũ vero abstringãt. Eadem ratione & ger-

mina. Est itaq; eorum tẽperies ex terrea frigidæ essentia, & aquea tepida. Fructus autẽ, si quidẽ maturus fuerit, nõ parum habet succi temperati caldi. qui dulcis est. Proinde eam ob rem, & propter modicũ adstrictionem, esui non insuauis est. At immaturus à frigida terrea substantia vincitur, ac pinde acerbus est, & exiccatorius. Vterq; autem siccatus recõditur, validius quàm recens desiccans.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Rubus adstringit & disiccat. Capillos tingit, Ramorum eius decoctum potum aluum sistit, & fœminarũ profluuia cohibet. Prestleris morsui vtile. Gingiuas firmat. Oris vlceribus folia cõmãducata medẽtur. Cohibẽt herpetas, & in capite achoras, oculosq; procidẽtes, condylomata & hæmorrhoidas, illita folia sanãt. Cardiacis & stomachi doloribus trita & imposita subuenunt. Succus ex caulibus, foliisq; eius expressus, & in sole coactus, efficacius omnibus iã dictũ edetur. Fructus eius optimè maturi succus, ad oris medicamẽta cõuenit. Sistit & aluũ in media maturitate comestus, Flos quoq; eius in vino potus aluum sistit.

EX GALENO.

Folia & germina Rubi si mãdantur, aphthas & alia oris vlcera sanant. Quin & alia vulnera glutinare valẽt. Flos eius eãdẽ fructui immaturo facultatẽ posidet: vtraq; ad dysenterias, & ventris profluuia, eiusq; robur deperditũ, & sangui-

nis

vis expuitiones, idonea remedia. Radix præter adstrictionem non paucam in se habet substantiæ tenuem, propter quam etiam in renibus lapides comminuit.

EX PLINIO.

Nec rubos ad maleficia tãtùm genuit natura, ideóq; ex eis mora vel hominibus cibos dedit. Vim habẽt siccandi, adstringendiq;, gingiuis, tonsillis, genitalibus accommodatissimi. Aduersantur serpẽtiũ sceleratissmis: hæmorrhoidi & presteri, flos & mora. Scorpionum vulnera sine collectionũ periculo iungunt. Vrinam ciunt. Caules eorũ tum dũtur teneri, exprimiturq; succus, mox sole cogitur in crassitudinem mellis, singulari remedio contra mala oris, oculorumq; sanguinem excreantes, anginas, vuluas, sedes, cœliacos, potus aut illitus. Oris quidem vitijs etiam folia commanducata prosunt, & vlceribus manantibus, aut quibuscunque in capite illinuntur. Cardiacis vel sic per se imponũtur à mamma sinistra. Item stomachi doloribus, oculisq; procidentibus. Instillatur succus eorum & auribus. Sanat condylomata cũ rosaceo cerato. Calculorum ex vino decoctũ præsentaneũ est remediũ. Item per se in cibo sumpti cymæ modo, aut decocti in vino austero, labantes dentes firmãt. Aluum sistũt & profluuia sanguinis. Dysentericis prosunt. Siccantur in vmbra, vt cinis crematorũ vuam reprimat. Folia quoq; arefacta & contussa, tumentorum vlceribus vtilia traduntur. Mora quæ in ijs nascũtur, vel efficacio-

ciorem stomaticen præbuere quàm satiua morus. Eademq; compositione, vel cum hypocistlide tantùm & melle bibuntur in cholera, & à cardiacis, & contra araneos. Inter medicamẽta quæ styptica vocant, nihil efficacius Rubi mora ferentis radice decocta in vino ad tertias partes, vt colluãtur eo oris vlcera, & sedis foueãtur. tantáque vis est vt spongiæ lapidescant.

DE BALLOTE. CAP. LVI.

Ballote marrubium fœtidum.

NOMINA.

Marrubiũ nigrũ cur dictum.

Βαλλωτη, ἢ μιλαν πρασιον Græcis, ballote Latinis, Officinis Marrubium nigrum, aut Marrubiastrum, aut Præsium fœtidum dicitur. Germanis schuuartz Andorn, oder Andorn Vueible (Gallicè du marrubin noir. Marrubium à similitudine foliorum, nigrum a caulis colore, qui niger est Marrubij respectu, dicta Ballote est.

FORMA.

Caules ex se mittit Ballote quadrangulos, nigricantes, subhirsutas, ab vna radice cõplures. Folia Marrubio similia, maiora tamen, subrotũda, pilosa, per internalla in caule disposita, Apiastro similia, graueolentia, vnde aliqui Apiastrũ eam vocarũt. Flores in rotæ speciẽ caules circumiacẽt. Theophrastus etiã lib. vi. cap. ij. de historia plantarum, Ballotem folio herbido, serratiori, incisuruq; profundioribus & conspectioribus discreto constare scribit. Vnde liquidò cõstat hãc quam pi

Etam damus esse veram Ballotẽ, quòd illa sit herba fruticosa, quadrangulis caulibus assurgens, nigris, hirsutis ferè, folio Marrubij, sed maiore, piloso, cingente per intercapedines caulem, odore graui, orbiculato florum purpureorũ ambitu, qui scapos verticillatim obducunt.

LOCVS.

Nascitur propter vias, domos, sepes, cœmiteria, & alijs vmbrosis in locis.

TEMPVS.

Floret in fine Iunij mensis, & initio Iulij, quo sanè tempore carpi commode potest.

TEMPERAMENTVM.

Amara & acris est, ideóque calefacit in secũdo ordine iam cõpleto, aut tertio remisso: desiccat autem in tertio.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Huius folia cum sale illita, canis morsibus medentur. Feruẽti cinere flacce scẽtia, cõdylomata reprimunt, sordidáque vlcera cum melle purgant.

EX PAVLO.

Ballote, quod alij Marrubium nigrum dicũt, acris est & absterforiæ facultatis. Illitum cum sale canis morsibus medetur.

EX PLINIO.

Vis eius efficax aduersus canis morsus, ex sale foljs tritis imposita. Item ad condylomata, coctus cinere, in folio oleris. Purgat & sordida vlcera cum melle.

DE BATRACHIO. CA. LVII.

Ranunculi omnia hæc genera Gallis sunt frequentissima in vineis, syluis, paludosis locis.

NOMINA.

Sceleratа. Βατράχιον Græcis. Batrachium & Ranunculus Latinis dicitur. Apuleius Sceleratam nominat. Vulgus medicorum perperàm Pedem corui vocat. Sunt etiam qui Flămulam, ab vrendi facultate, appellant. Germani Hanenfusz. Batrachion autẽ siue Ranunculus dicta est haud dubiè, quòd limitibus humidis opacisq; marginibus ranarum more lætetur: aut quòd aquis vbi ranæ degunt potissimum, gaudeat, aut quia inter eius frutices ranæ frequenter inuenitur. Agreste verò Apiũ seu Apiastrum, quòd folys apium æmuletur. Scelerata, eo quòd comesta noxia sit, vel, quòd magis arridet, quia validi sceleratiq; mendicantes sibi crura & lacertos hac ipsa dilamãt, quò possint impudẽtius stipem extorquere, atq; hac impostura pecuniolam aucupari.

Flămula. Ranunculus vnde dictus.

Agreste apium, Scelerata

GENERA.

Plura sunt Ranunculi genera. Dioscorides verò & Galenus quatuor potissimum esse tradunt. Primum duplex est: huius enim generis Ranunculus quidam syluestris est: & hic iterum duabus discriminatur differentijs. Vnus enim luteos flores profert, & Germanis Vueisser Hanenfusz dicitur. Alter verò purpureos, qui mihi, quòd sciam, nondum visus est. Quidam autẽ hor-

Syluestris ranunculus.

tensis

tensis, qui nisi cultura accedat, prouenire haud solet. Hic itidem duplex est. Vnus qui simplici florum textura constat, Germanicè Vnge fulter garten hanenfusz. Alter multiplicem foliorũ in floribus compagem obtinet, ideóque Germanis gefulter garten hanenfusz dictus est. Alterum quod à foliorum similitudine quam cũ Apij folijs obtinet, à nonnullis σελινον ἄγριον, id est, Apium syluestre, vel Apium risus cognominatur, Germani Vuasserhanenfusz vocant. Tertium genus exiguum est, ob id etiam Germanis Kleiner Hanenfusz nominatur. Quartum etiam minimum, germanicè Vualdthenle appositissima voce appellatur: est enim inter reliquas herbas quæ germanicè Pedes galli vocantur, & minima, & non nisi in syluis vt plurimùm prouenit, adeoq; composita voce rectissimè Vualdhenle nominatur, quasi dicas minima inter pedes Galli, & in syluis prognata. Estq; duùm generum: vnum quidem lacteo flore, alterum luteo, vt pictura docet. Primum autem quod lacteo flore ornatur, est id quod à Dioscoride pingitur, germanicé vocatur Vueisz Vualdhenle. Alterũ, das gelb Vualdhenle. FORMA.

Hortensis

Apiũ syluestre.

Primum Ranunculi genus folia Ceriandro similia habet, latiora, velut Plinius ait, ad maluæ latitudinẽ accedẽtia, subalbida & pinguia. Florẽ luteum, interdum purpureum. Caulem non crassum, cubitali altitudine. Radicem paruam, albã,

Primum genus.

ama

amaram, adnascentiæ Ellebori modo habẽtem. Cæterùm effecit cultura, vt qui in limitibus simplici foliorum compage flores oriantur, gemino quodam densóque ac multiplici foliorum stipatu nunc in hortis colluescant, quemadmodum piĉlura affabrè mõstrat. Alterũ genus lanuginosius, velut Plinius inquit folioſius, altiore caule, pluribus foliorum incisuris, copioſiſsimum in Sardinia, acerrimumq; , quod iam Apium syluestre nominant. Tertium genus valde paruum, graui odore flore qui auri speciẽ refert. Quartum huic simile, flore autem lacteo aut luteo, radice longiore, & modo quodam nodosa, gustu acri.

Alterum

Tertium.

Quartum

LOCVS.

Primum genus Ranunculi syluestris lutei sine cultura circa fluenta, & in limitibus pratisq; humidis & vlginosis prouenit. Hortensis verò adhibita cultura in hortis nascitur. Alterũ genus secus aquas & fontes gignitur, & apud Sardos copioſiſsimũ. Ea si comedatur, vescentibus neruos cõtrahit, riĉlnq; ora diducit, vt qui mortem oppetunt, velut ridentiũ facie intereant. Ob id Sardonius risus in prouerbium cesſit. Etsi autem nostra non perinde efficax sit atque ea quæ in Sardinia nascitur, tamen hanc vehementiſsima etiam erodendi facultate esſe præditã, gustus ostendit. Tertium genus in pratis & campestribus paſsim prouenit. Quartũ, vt Germanicũ nomen palam demonstrat, syluis familiare est. Luteũ vero in valle

Sardonius risus.

supra

supra & infra Bebẽhusum monasterium iuxta aquas copiosissimè nascitur. TEMPVS.

Primum genus hortensis Ranunculi lutei, statim inter initia Aprilis floret: Maio aũt mẽse disperit, & nusquam subinde cõspicitur. Secundum & tertiũ genus itidem tota æstate inueniri possunt. Quartum invere. Aprili nimirũ mense, tantùm apparet, quo sanè tempore hoc ipso syluæ, luci & nemora scatent, floribusq; eius candicant.

TEMPERAMENTVM.

Omnium tum radix, tum vniuersa herba vehementer calida & sicca est. Primi tamen generis syluestris lutei, non perinde ac reliquorum acris admodum est facultas.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Omnium folia & caules teneri si illinantur, exulcerãdi, & crustas cũ dolore creandi vim habent. Proinde scabros vngues & scabiẽ tollũt, & stigmata delẽt, myrmecias, acrochordonas & alopecias modico tempore illitu sanant. Tepido eorundem decoctо perniones fouentur. Radix sicca tritáque. sternutamẽta naribus admota ciet. Dẽtium dolores adhibita lenit, eos tamen conterit.

EX GALENO.

Quatuor habet speciatim Ranunculus differentias. Omnes verò vehementer acrem facultatẽ possident, adeò vt cũ dolore exulcerẽt. Hac itaque ratione si moderatè vtare, psoras & lepras excoriãt, & vngues leprosos diuellunt, ac stigmata di-

ta discutiunt, & acrochordonas & myrmecias detrahũt. Quin & alopecias iuuãt pauco tempore admota. Nam si diutius inhæreant, non excoriatur solũ cutis, sed & in crustam vritur. Atque igitur hæc omnia caulis & foliorũ sunt opera, si illinantur viridia. Porrò radix arefacta, sternutatorium est medicamentum similiter alijs quæ valẽter desiccãt. Sed & dentiũ dolores iuuat, vt & eos, vehemẽter scilicet exciccando, frangat.

EX PLINIO.

Omnibus vis caustica, si cruda folia imponantur, pustulasq; vt ignis faciũt. Ideo ad lepras & psoras vtũtur, & ad tollẽda stigmata, causticisq; omnibus miscent. Alopecijs imponũt, celeriter remouẽtes. Radix in dolore commãducata diutius, rũpit dentes. Eadem sicca concisa, sternutamentũ facit. Nostri herbarij strumeã vocãt, quoniã medetur strumis, & panis, parte in fumo suspensa.

DE BRYO. CAP. LVIII.

NOMINA.

Lupulus. Humulus

Βρύον Græcis recentioribus, Lupus salictarius Latinis, Lupulus officinis, vulgò Humulus vocatur. A liquot Italiæ rura, ad Græcam appellationem alludentes, Bruscandulam, quasi Bryon scansile nominant. Germani Hopffen, (Gallicè Du houblon.) Græci aũt Bryõ à Bryoniæ similitudine haud dubiè nominarũt. Lupus verò salictarius, quia subit scandũtq; salices, & arbusta omnia circumuoluendo se circũplectitur,

Bryon.

Lupus salictarius.

app

appellatus est. Hinc quoque Lupus reptitius non nullis nominatur. Lupus reptitius.

FORMA.

Caules habet aculeatos, longissimosq;. Foliavitis albæ, hispida, & nigriora. Flores cinereos seu candicantes, ac multis exilibus folliculis squamatim compactiles. Radicem subnigram, longam.

LOCVS.

Passim & copiose in Germania nostra iuxtæ vepres & salicta prouenit, ex eaq; ceruisiam potum, quo vini vice vtuntur, Germani conficiunt. Ideoq; in hunc vsum in hortis plantatur.

TEMPVS.

Augusto mense floret & Septembri.

TEMPERAMENTVM.

Sunt qui refrigerare Lupulum dicant, alij temperamento medium esse putant. At vtriq;, mea quidem sententia, falluntur: flores enim quorum potissimum vsus est, calidos & siccos esse, odoris et grauitas, & immodica amaritudo testantur. Antiquus etiã herbarius calidum & siccum in secũdo ordine esse tradit. Denique constat radices quoque eius calidas esse.

VIRES EX RECENTIORIBVS.

Bilem vtranque detrahit. Abscessus discutit. Pituitam in aqua inter cutem per alvum ducit. Succus eius crudus haustus ventrẽ magis subducit, minus verò obstructiones aufert. Coctus verò magis ab obstructionibus liberat, minusq; vẽtrẽ subdũ

subducit. Auribus instillatus eas à putredine vindicat, & à fœtore liberat. Radices obstructiones tollunt, lienis potissimum & iecoris.

DE VERONICA. CA. LIX.

Veronica vtraque hic vsu rarissima.

NOMINA.

Veronica

VEteribus Græcis & Latinis cognita fuerit nécne hæc herba, nondũ constat. Vulgus autem herbariorum hodie Veronicam, Germani Erenbreisz oder Grundhevl, ob mirificam sanandi vlcera & vulnera facultatem, nominãt.

GENERA.

Duũ est genera Veronica: vna mas, altera verò fœmina. Discrimina earum ex descriptionibus patebunt.

FORMA.

Veronica mas herba est per terram serpẽs, cauliculo dodrantali & nonnunquam etiã longiore rubescente & lanuginoso, foliis oblongis, nigris, hirsutis & serratis, floribus in cacumine purpureis, semen in vasculũ loculi speciem habentibus, radice tenui. Fœmina itidem per terrã serpit caule lanuginoso, foliis rotundis instar herbæ quæ Centũmorbia & Nũmularia hodie vocatur, minimè in ambitu incisis, paulo quàm maris viridioribus, floribus in luteo purpureis, semine in vasculis rotundis, radice, vt mas, tenui.

LOCVS.

Nascitur incultis & syluestris locis.

TEMP

TEMPVS.

Iunio mense floribus & semine abundat.

TEMPERAMENTVM.

Amaritudinem quandam & vehementem ad strictionem in gustu præ se fert, vt hinc calidam & siccam esse coniũcere liceat.

VIRES.

Mirificè ad cruenta ac vetera vulnera & vlcera sananda confert. Scabiei denique & omnibus cutis vitijs medetur, Ferunt quondam huius herbæ adiumento Regem Galliæ elephantiæ morbo correptum, à quodam venatore sanatum esse, cùm is ceruum à lupo vulneratum eius herbæ comestione, & assidua in illa volutatione, curasse seipsum animadvertisset. Tumores etiã, in qua cunque corporis parte fuerint, potissimùm autem in cervice, discutere potest. Recẽtiores huius vsum vnicè cõmendant in febribus pestilentialibus, ie coris & lienis obstructionibus potissimùm verò pulmonis exulcerationibus.

DE BVLBO SYLVESTRI. CAP. LX

Bulbus sylvestris hinc videtur esse quod leucoium Theophrasto pingitur & nobis iam in hortis frequentius ad natalem Christianum floret.

NOMINA.

BOLBOS ἄγριος Græcis, Bubbus sylvestris Latinis. Sunt quibus Cepa sylvestris appellatur. Germanicè, Feld, Vuild oder acker Luuiberz (gallicè Vng porriõ.) Bulbos autem

Cepæ sylvestris.

Bulbi.

n tem

Bulbi.

tē nominant radices ſuis mēbranis tunicatas, ſiue pluribus capitulis coagmententur, vno folliculo omnes ambiente, ſiue quadantenus diſtincte ſeparentur.

FORMA.

Herba eſt caule dodrātali, cauo, folijs porraceis, floribus lilij ſinuatim emicantibus, ſpecioſis ſex folijs è calatho ſtellatim radiatis, ex viridi in luteum tendentibus, capillo intus croceo, capitulo floribus decidentibus triangulari, ſeminibus pleno, radice bulboſa ceu Allium, citra odorem glutinoſa.

LOCVS.

In locis vmbroſis, circaq; margines quorundā pratorum copioſe prouenit. Quare in vallibus nō procul à Tubinga iuxta monaſterium Bebenhuſenſe ſitis, & radice montis Auſtriaci ad pratum tenue vocatum, Bulbus plurimus naſcitur.

TEMPVS.

Per initia veris, Martio & Aprili menſibus erumpit, ac ſtatim ſubinde euaneſcit. Semen non tantum in caulibus, verūetiā iuxta radicē profert.

TEMPERAMENTVM.

Amara auſteraq; qualitate præditos inueniet non hunc, ſed & alios bulbos, qui guſtum exactè cōſuluerit. Proinde hos abſtergere ſimul & glutinare, & nimirū etiam exiccare poſſe, nemini nō notum eſt.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Omnes bulbi acres ſunt & calefaciunt, venerémque ſtimulant. Linguam & tonſillas ex aſperant

sperant. Multũ nutriunt. Carnes procreant, flatusq; faciunt. Ad luxata, collisa, surculos, articulorumq; dolores illiti conducunt. Grangænis & podagris cum melle, & per se, hydropiquorumq; tumoribus & canum morsibus prosunt. Cũ melle pariter & pipere trito illiti, sudores cohibent, & stomachi dolores sedant. Furfures & achoras cum nitro tosto exterunt. Sugillata & varos per se, aut oui luteo purgant, & lentigines cum melle aut aceto. Fractis auribus cum polenta, & contusis unguibus prosunt. Ficos in calidis cineribus tosti, & cum manarum capitibus crematis appositi, tollunt. Combusti verò & Alcyonio permisti vitia cutis in facie, & nigras cicatrices in sole iliti emendant. Cum aceto elixi & in cibo sumpti ad rupta faciunt. Cauere verò eorum in cibo copiam oportet, quoniam neruosas partes tentant.

EX GALENO.

Bulbi amaram austeramq; vim manifestam obtinent, quamobrem elangvescentis stomachi aliquatenus auiditatem excitant. At verò neque iis inutiles sunt, quibus, è thorace et pulmone pus expuendum erit, quanquam crassiore ac glutino siore sit corporis substantia: etenim amaritudo crassitudini aduersatur, lenta crassaq; nata incidere. Quapropter bis elixi vberius quidem alunt sed excreare volentibus reluctabuntur, vtpote omni amaritudine exuti. Tum verò ex aceto, oleo garóque mistis, esitare satius fuerit:

nam ita magis oblectabunt ac nutrient minusq; inflabunt, & facilius conquoquẽtur. Quidam horum cibo abundè & immoderè vsi, planè seminis auctam copiam, inq; venerem se esse promptiores senserunt. Hos quoque homines variè apparant. Non enim solùm aqua elixos, verumetiam patinas ex ipsis variè conditas instruunt. Alij quidem in sartagine frigunt, multi in craticula assant. Verùm hi multam coctionem haud sustinent, admodum pauca contenti. Sunt qui nihil prorsus præcoquant: delectat nãque eos amaritudo ipsa, ac austeritas integra, quippe qui amplius ab ea ad cibum alliciantur: quanquam ad huiusmodi illecebram duo aut tres plus satisfacient. Si verò liberalius sic apparati sumantur, præsertim vbi, vt mos est, crudiores ingerũtur amplius cruditatem generabunt. Quidam etiam nõ probè, cocti, inflationes & tormina parunt. Qui ad hunc modum esitantur, alimentum minimè boni succi procreant. At plurimùm decoctorum, aut bis etiam, succus crassior quidem ille erit, cætera verò melior ac alibilior reddetur.

EX PLINIO.

Bulbi ex aceto & sulphure vulneribus in facie medentur. per se verò triti neruorum contractionem, & ex vino porrigines. Succum cum melle canum morsibus. Erasistrato placet cum pice. Sanguinem idem eos sistere tradit illitos cũ melle. Alij sternaribus fluat, Coriandrum & farinã adjiciunt

adȳciũt. Theodorus & lichenas ex aceto bulbis curat, & erũpẽtia in capite cum vino austero aut ouo. Et bulbos epiphoris idẽ illinit, & sic lippitudini medetur. Aeque vitia q̃ sunt in facie, eorum rubentes maximè in sole illitis, cum melle & nitro emendant. Lentiginem cũ vino, aut cũ cumino coctis. Vulneribus quoque mirè prosunt per se, aut, vt Damion, ex mulso, si quinto die soluãtur. Iisdem & auriculas fractas curat, & testiũ pituitas. In articulorum doloribus miscent farinã. In vino cocti illiti ventri, duritiem præcordiorum emolliunt. Dysentericis in vino ex aqua cœlesti tẽperato dantur. Ad conuulsa intus cũ Silphio pilulis fabæ magnitudine. Ad sudorẽ tusi illinũtur. Neruis vtiles. Ideo & paralyticis dãtur iuxta in pedibus. Qui sunt ruffi ex his, citissimè sanãt cũ melle & sale. Venerẽ stimulant. Syluestres interaneorum plagas & vitia cũ Silphio pilulis deuoratis sedant. Et satiuorum semẽ contra phalangia bibitur in vino. Ipsi ex aceto illinũtur contra serpentium ictus. Semen antiqui bibendum insaniẽtibus dabãt. Flos bulborum tritus crurũ maculas varietatesq; ingne factas emendat. Elixos assis minus vtiles adȳciunt esse, & difficilè concoqui ex vi vniuscuiusque naturæ.

APPENDIX.

Hic quẽ pictum damus Bulbus, facultatẽ emoliendi & discutiendi duros tumores habet. Humidis denique & depascentibus vlceribus to-

ſtus calido cinere & cum melle tritus atque admotus prodeſt.

DE BICIO, CAP. LXI

NOMINA.

Officinarũ error.

BIKIOΝ Græcè, Vicia Latinè nominatur. Officinæ nõ ſine maximo errore eæ pro Orobo vtuntur. Germani alludentes ad Græcam appellationem, Vuicken ſimpliciter vel cum adiectione zam Vuicken (Gallicè De la veſce) vocant. Vicia autem, vt Varroni placet, dicta eſt à vinciendo, quòd item vt vitis capreolos habeat, quibus ſurſum verſus ſerpit.

Vicia vnde dicta.

FORMA.

Cubitali altitudine ſurgit, foliis Aphaces, anguſtioribus tamen, flore Piſi minutis nigricantibus ſq; in ſiliquis ſeminibus, quorum quidem figura non rotunda eſt, ſed ſimiliter lenti, latiuſcula.

LOCVS.

Sicca loca maximè amat, inter autem ſegetes copioſè prouenit.

TEMPVS.

Iunio menſe floribus & ſemine prægnans eſt.

TEMPERAMENTVM.

Medium tenet caliditatis & ſiccitatis, validius temẽ ſiccat, in ſecundo nimirum ordine.

VIRES EX GALENO

Semina hæc nõ ſolũ inſuauia, ſed concoctu etiã difficilia, & aluũ retinẽtia. Perſpicuũ ergo eſt quũ huiuſmodi naturã obtineãt, alimoniã quoq; q̃ ex ipſis in corpus pmanat, ſprobi craſsiq; ſuccẽ eſſe, idoneã ad humoris melãcholici generationẽ

DE

DE BLITO. CAP. LXII

Blitum iam in hortis frequens, viride, album, frequentius rubrum.

NOMINA.

FAittoν Græcis, Blitum siue Blitus Latinis vocatur. Officinæ hanc herbã cũ Beta cõfũdũt nõ sine magno errore. Germanis Maier (Gallicè De la blete, ou espinars) dicitur. Officinarũ error. Blitũ vnde dictũ.

Blitũ nomen inde traxit quod iners & fatuum olus esset, sine sapore aut acrimonia vlla. Nam Bλittouς stolidos & ignauos Græci dixerunt. Sic hodie græca imitatione socordes, & nullius momenti homines, blitos appellamus. Ita Plautus in Truculẽto bliteam meretricem nominauit.

FORMA.

Blitũ nõ pingitur à Dioscoride, sed ab Hermolao Barbaro, homine non minus docto quàm diligente, in suo Carollario ijs verbis describitur: Blitũ erũpit ocyssimè, foliis betaceis, sine acrimonia fatuis & insipidis, semine vt Beta corticeo, copioso, racemoso, vt Atriplex. radice non vna, nõ in rectũ tẽdẽte, sed multiplici, obliqua, & prolixa. Ex quibus vtique verbis omnibus perspicuũ fit, herbã quã depictã damus esse Blitũ. Hæc siquidẽ ocyssimè erũpit, atque in altũ tollitur, foliáque Betacea prorsus habet. Insipida denique & sine acrimonia. Semen eius vt Betæ corticeum, copiosũ racematim singulis ramis insidens. Radice non vnanititur, sed multiplici ac longa non in

rectum, sed obliquum tendentem. Rectiorem tamẽ & magis descriptioni respondentem si quispiam protulerit, non grauabimur nostram mutare sententiam, vt qui probè perspectum habeamus in ijs herbis quæ à Dioscoride non descriptæ sunt, facilimè aliquem in tanta rerum penè omnium caligine aberrare posse.

LOCVS.

Et si spõte sua interdum herba hæc proueniat tamen vt de Blito etiam tradunt, si culto solo semel nata fuerit, ipsa se per multa secula seminisde iectione reparat, vt etiam si velis vix possit abolere, sic semel nata pluribus annis restibili fertilitate prouenit.

TEMPVS.

Floret æstate & autũno, semineq; prægnãs est.

TEMPERAMENTVM.

Blitũ frigidũ & humidum in secundo ordine.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Blitũ oleris vice in cibum venit. A luo vtile est nullam tamè medicamentosam vim obtinet.

EX GALENO

A quo sum est olus, ac vti quis non absurdè dixerit, qualitatis expers, & insipidũ: quapropter non ex solo oleo garoq; sed addito aceto sæpius meliusq; assumitur. Nonnihil etiã ad leuigandũ aluũ momenti affert, verùm idipsum per quam exiguũ est, quoniam nulla ipsis acris nitrosaue adest qualitas quæ aluum ad excretionem irritare possit. Liquet etiam quòd munima ab ipso alimonia

monia in corpus dimanet EX PLINIO.

Blitum iners videtur ac sine sapore aut acrimonia vlla. Vnde conuitium fœminis apud Menandrum faciunt mariti. Stomacho inutile est. Ventrem adeò turbat, vt choleram faciat aliquibus. Dicitur tamen aduersus scorpiones potũ è vino prodesse, & clauis pedũ illuni. Item lieni & temporum dolori ex oleo. Hippocrates menstrua sisti eo cibo putat.

DE BVNIADE CAP. LXIII.

Napus bunias sattuus nobis Nauet, & eius semen Nauette.

Napus.

NOMINA.

Bunias quare dictus.

Βουνιάς Græcis, Romanis Napus, Germanis Steckrub) Gallicè Nauet, ou Naueau) appellatur. Buniadis autem appellationem à tumẽte figura quã præ se fert, Græci dederunt: Nanque radix Napi buniadis in amplitudinem excrescit, & in rotundum extuberat. Cliuos si quidem, colles verrucosaque loca βουνὸς uominant

Napus Bunias satiuus.

GENERA.

Napi buniadis, quem Galenus & alij veteres in Raporum sensum reponunt, duo sunt genera. Vnum satiuum quod forma proximè ad Brassicã tertiæ speciei accedit, radicémque oblongiorem obtinet. Germani huius generis Napos, Truckxen steckruben nominant: Alterum syluestre quod foliis suis Erucæ non dissimile est, radice Ampliore, & rotundiore. Germanicè Naszstec xruben appellantur eius generis Napi.

Syluestris.

FORMA.

Folia habet Rapi, leuiora, Erucæ modo laciniata, caulem cubitalem, interdum alciorem, rotundum, flores luteos, Brassicæ proximos semen in siliquis radicem oblungam.

LOCVS.

Bunias gaudet frigidis locis.

TEMPERAMENTVM.

Cum eadem quas Rapum vires habeat Bunias, necesse est idem etiam vt obtineat temperamentum. Est itaque Napus bunias in secundo ordine calidus, & in primo humidus.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Radix Buniadis elixa, flatus creat, minus tamen quàm Rapum nutrit. Semen eius potum letalia venena ineffi catia reddit. Miscetur antidotis. Radix etiam eius sale conditur.

EX GALENO.

Eadem quas Rapa vires obtinent. Vide itaque caput de Rapis.

DE BOTRY. CAP. LXIIII

Botrys herba hic frequens, diuersa à frutice quã Piment vocamus. Blattaria & vua crispa nobis ignotæ.

NOMINA.

Botrys vnde dicta.

Βότρυς Græcis, Botrys Latinis appellatur. Officinis & vulgaribus herbarijs incognita. Germa. haud inepte Trauben kraut (Gallicè Du Pyment) nominabitur. Botrys verò dicta est

Ela est à semine, quòd racematim ramulis adnascitur.

FORMA.

Herba tota est lutea, fruticosa, sparsa multáque alarum caua habens. Semen totis ramulis adnascitur. Folia Cichorio similia obtinet, totaq; valde odorata est, ideoq; vestibus apponitur. Ex qua quidem descriptione omnibus manifestum fit herbam cuius picturam exhibemus esse legitimam Botryn: vniuersa enim herba ad luteum colorem vergit, fruticosa est, & multis stolonibus fusa, foliis Cichorij odoratis semine circa ramulos totos in racemos colecto nascente. Quid multa? nulla est prius nota, quæ illi nõ appositissimè quadret.

LOCVS.

Nascitur circa profluentes aquas & torrentes In Germania tamen, quod equidem sciam, non nisi sata prouenit.

TEMPVS.

Augusto & Septembri ad maturitatem maximè peruenit: quibus etiam mensibus vt Ruellius annotauit, venalis herba per Parisientiũ vrbem defertur. Odoris enim gratia Galli vestimẽtis, pannis, & linteis curiosè interponunt. Apud Germanos tamen eius herbæ nulla est gratia, quòd illis hactenus ignota fuerit.

TEMPERAMENTVM.

Calidã et siccã esse Botryn amaritudo eius q̃ gustui occurrit, facilè mõstrat. Itẽ vis eius incidẽdi, quæ

di, quæ illi propter calorem, tenuitatẽq; inest.

VIRES EX DIOSCORIDE.

In vino pota orthopnœas lenit.

EX PAVLO.

Planta est admodum odorata, quæ cum vino pota non nisi recta ceruice spirãtibus auxiliatur.

EX PLINIO.

Medetur orthopnoicis.

DE BARBA CAPRI.

CAP. LXV.

NOMINA.

Hæc herba non est Pycnocomon.

Barba capri cur dicta

QVO nomine veteribus Græcis & Latinis hæc herba vocata sit, nobis nondũ cõpertũ est. Neque enim Pycnocomon est, quòd à descriptione illius prorsus abhorreat. Quare Barbam caprinam interea donec certius nomen nacti fuerimus, nuncupabimus à florum nimirum figura, quæ caprinam barbam referre videtur. Germanicè Vuald geiszbart, vt eã segregaremus ab altera eiusdem nominis, quæ non in syluis, vt hæc ipsa, nascitur, sed in pratis & sẽticetis, appellare Nobis placuit.

FORMA.

Caulem habet tricubitalẽ, angulosum, folia Castaneæ aut Corylo similia in ambitu serrata, flores candidos, exiguos, racematim compactos, instar barbæ canæ dependentes, radicem nigram lignosam, intus cãdidã. Flores eius in iulos abeũt.

LOCVS.

Prouenit in obscuris syluis, & vallibus nonnũquam

quam minus apricis.

TEMPVS.

Floret Iunio mense, ac subinde semen profert.

TEMPERAMENTVM.

Calidam & siccam esse hanc herbam facilè ex gustu deprehenditur: miram enim amaritudinem, in radice potissimum, gustata exibet.

VIRES.

Abstergit haud dubiè expurgatq;, & quæ in venis est crassitiem incidit. Quamobrem menses ducit, educendoq; ex thorace & pulmone, puri auxiliatur. Et in summa, siue crassa in eis pituita, siue pus, siue aliud quippiã continetur eiusmodi, expurgat. Hac vtiq; ratione & morbo comitiali competit. Extrinsecus illita & imposita, tumores ex pituita ortos discutit.

DE BLATTARIA. CAP. LXVI.

NOMINA.

NVM Græcis autoribus cognita hæc herba fuerit nondum compertum habeo. Plinius certè lib. xxij. ca. ix. Blattariam nominat. Inuenit autem nomen hoc Latinum à colligendis in ea blattis. ideóque conuenientissimo nomine Germanis appellabitur Schabenkraut (Gallicè Herbe vermineuse semblable a Bouillon blanc.) Blattaria vnde dicta.

FORMA.

Plinius loco iam citato Blattariam sic pingit: Blattaria est similis Verbasco herba, q̃ sæpe fallit pro ea capta foliis minus candidis, caulicu-

lis

lis pluribus flore luteo. Ex qua pictura satis constat, herbam cuius picturam damus esse Blattariam: sic enim Verbascum mentitur, vt pro eo sæpius ab imperitis decerpatur. Et sunt non pauci herbarij, qui hac similitudine decepti, eam inter Verbasci genera connumerent. Folia tamen quæ minimè sunt hirsuta & candida, sed potius viridia, facilè ab hoc errore paulò attentiores reuocare possunt. Plures denique cauliculos habet flores item luteos, ad Verbasci flores proximè accedentes. Folliculos quoque lini instar, in quibus semen continetur.

LOCVS.

Nascitur iuxta aquas & fluminum ripas.

TEMPVS

Floret Iunio & Iulio mensibus.

TEMPERAMENTVM.

Vehemens amaritudo eius satis docet esse calidam & siccam.

VIRES EX PLINIO.

Hæc abiecta blattas in se contrahit, ideóque Romæ Blattariam vocant.

APPENDIX.

Non plura de huius herbæ facultatib. apud probatos autores inuenio, sed haud dubiè si quis ea vti, voluerit eadem quæ alia amara, in corpore nostro efficere potest. Quæ qualia sint, ex capite præcedente facilè intelliges.

DE BROMO. CAP. LXVII.

NOMI

NOMINA.

Βρῶμος Græcè, Auena Latinis ac Officinis, Germanis Habern (Gallicè Auoyne) dicitur.

FORMA.

Foliis & culmo Tritico similis, geniculis intersecto. In summo verò fructum habet veluti locustas duplici crure diuaricatas, in quo semen includitur. Radicem copiosam.

LOCVS.

Passim in Germaniæ agris nascitur, ac inmẽtorum potius quã hominum pabulum existit.

TEMPVS.

Seritur Martio mense, metitur autẽ Augusto.

TEMPERAMENTVM.

Auena vt medicamentum refrigerat, Galeno autore: vt alimentum verò eodem teste. calefacit sufficienter. Vtroque verò modo exiccat.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Semen eius haud secus quàm hordeum ad cataplasmata vtile. Plus etiam ex ea fit cohibendæ aluo accommodata. Succus eius insorbitione acceptus, tussientibus prodest. GALENO.

Auena vt medicamentum similem hordeo vim obtinet. Nam illitum desiccat, & digerit mediocriter, & sine morsu. Nonnihil etiam adstrictionis obtinet, vt ventris profluuia iuuet,

EX PLINIO. Semen vtile ad cataplasmata atque hordeũ & similia. Prodest tussientibus succus. Auenæ farina in aceto tollit næuos.

DE

DE VVA CRISPA. CAPVT XLVIII.

NOMINA.

VETERIBVS ne Græcis & Latinis frutex ille cognitus fuerit, me ignorare ad huc ingenuè fateor. Quare cùm nomẽ aliud quo hunc appellaremus in promptu non esset, vulgarem & qua omnes hodie herbarij vtuntur nomen clauram vsurpare voluimus. Vuam autẽ crispam fruticem hunc dixerunt ab intortis serẽque in circulum versis (crispa alij vocant) foliis & acinis quos producit. Quò etiam respicientes Germani nostri, Krufzbeer, oder Krufelbeer vocant. Latinius fortè vua intorta nuncupabitur.

Vuacrispa cur dicta.

FORMA.

Frutex est ramulis multis, aculeatus, rectóque spinarum mucrone horridus foliis intortis ac circinatæ rotunditatis, Apij modo dissectis, flore ex herbido purpurascente, acinis candicantibus & splendescentibus, primùm acerbis, à maturitate dulcibus. Ex ijs abundè constare putamus fruticem hunc cuius picturam exhibemus, non esse primam vt nonnulli arbitrantur, Rhamni speciem. Nam etsi cætera respondeant, tamen folia quæ rotunda & minimè oblonga sunt, vt Rhãni, repugnare manifestè videntur. Posset tamen citra aliquod vitæ discrimen Rhamni generibus annumerari, quòd scilicet viribus illi similis admodum sit, quas etiam illi suo loco adscribemus.

LO

LOCVS.

In frutetis & sepibus nascitur, non tamen passim nusquam autem copiosius quàm Tubingæ luxuriat, vbi circa omnes ferè sepes sese profundit.

TEMPVS.

Veris statim initio frutex ille pubet, primùm hoc tempore folia, dein flores, ac non diu pòst acinos seu baccas acerbitate gratas profert.

TEMPERAMENTVM.

Haud dubiè idem quod Rhamnus temperamẽtum obtinet. Vt enim hic astringit & refrigerat sic etiã illa. Refrigerat autem in primo cõpleto, aut secũdo incipiente, desiccat verò in secundo.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Folia ignibus sacris & herpetis illita auxiliãtur. Fertur & ramos eius foribus & fenestris appositos veneficiorum arcere maleficia. E quibus Dioscoridis verbis satis liquet, Vuam intortam non hoc tantùm nomine sepibus apponi vt easdẽ muniat atque adeò alienorum ingressum prohibeat, verum etiam vt veneficia ab hortis propulset. Vt hinc quoque colligere liceat, eiusdem cum Rhamno esse facultatis.

EX GALENO.

Herpetes sanat, & erysipelata non magnopere calida. Porrò ad hæc teneris vtẽdum est folijs.

DE BALSAMINE CAPVT. LXIX.

Balsamine est in hortis religiosorum S. Germani frequens, Gallus Merueille à mirandis e-

ius

ius effectis, quæ in momordica scribit Pandecta rius in fine.

NOMINA.

QVO nomine veteribus tum Græcis cum Latinis appellatæ sint hæ plantæ, me ignorare ingenuè fator. Puto autem illis planè fuisse incognitas, quòd de ijs ne verbum quidem apud eosdē scriptum inueniatur. Hodie Balsamines nomine vocant Causam indicabimus paulò pòst. Germani ad Latinam nomenclationem alludentes, Balsam kraut, haud (arbitror) ineptè appellabunt.

GENERA.

Prima balsamine. Hierosolymitanum pomum. Mirabile pomum. Charātia Altera Balsamine. Balsāinū

Duo Balsamines genera damus. Primā, quā nos certioris discriminis gratia marem fecimus, Ligures Padani Balsaminam vocant. Hierosolymitanum pomum Hetruria, Mirabile Gallia, vulgus Italorum Charantiam, quoniā septimodo in hortis fenestriq; per cancelos opere topiario facilè digeratur. Alteram quam fœminam nominauimus, Itali neutro genere Balsamum appellant, priori quidem quòd ad fructum attinet similis, nisi quod minor est, in alijs dissimilis: neque enim folijs, neque etiam floribus respondet. Vtraque planta visu pulcherrima est, vt hoc saltem nomine pingi meruerint. Et si præstet etiam harum habere picturas, vt de ijs plura inuestigādi posteris occasio aliqua sit.

FORMA.

Primæ. Prima tenuibus prælongisq; flagellis vltro ci

tro

troq; reptantib. enagatur, foly's Vitis albæ seu Bryoniæ, articulatioribus exilibus pampinis ex alarum sinu prodeuntibus, quibus illigantes sese cancellatim vicinis implicant pergulis: flore cucumeris ex albo in luteum languescente, turbinato vtrinque fructu, carnosa cute, & per versus verrucosa ac rigidioribus bullis intumescente, cucumeris sylvestris pusilli similitudine, puniceus maturo color, chartilago intus punicea vel lutea, sanguineusq; succus. Pomum maturitate dissilit. manitasq; confracto patet semina intus pomi formã referentia continens. Altera caulem habet crassissimum, Portulacæ assimilẽ, in herbaceo colore rubescentem. Folia Salicis, in ambitu incisis, flores magnos, purpureos instar Consolidæ hodie regalis vocatæ herbæ caudatos fructum priori non dissimilem, primo herbaceum, dein pallidum luteumve, pilosum, qui maturitate dissilit, inanitasq; cõfracto apparet, semina intus aliquot lenticulæ ferè figura continentẽ. Alterius.

LOCVS.

Non nisi satæ in Germania proueniũt. Sed iã in multorum hortis plantatæ nascuntur.

TEMPVS.

Floribus & fructibus prægnantes sunt Augusto & Septembri mensibus.

TEMPERAMENTVM.

Idẽ quod Telephium temperamentum, potissimum alteram, obtinere arbitror. Quare in secũdo ordine intenso, aut certe principio tertij exiccare

nec insigniter calefacere, primo nimirum ordine est verisimile. VIRES.

Ex primi generis Balsamines seminibus oleũ exprimitur. ad vulnera, quod in Corollario suo annotauit doctissimus Hermolaus, præcipuum. Nonnulli pomum oleo prius imbutum aliquod dies insolant, deinde vel fimo vel terra tantisper obruunt, dum prorsus intabuerit, sic Balsami vires glutinandis vulneribus adiscere pollicentur inde tractum. Balsaminæ vocabulum. Quid multa? in vulneribus sanandis Telephio non inferiores esse conijcio, hinć; Balsaminas appellatas. Nos tamen de ijs peculiarem experientiam nullã habemus. Poterunt itaque alij, si lubet, earundẽ virium facere periculum.

Balsamine vox vnde nata.

DE GLYCYRRHIZA. CAP. LXX.

Glycyrrhiza Gallis partibus transpositis Rhiza glycea, Riglice.

NOMINA.

Liquiritia Glycyrrhiza vnde dicta, Scythica radix.

Γλυκυῤῥίζα Græcis, Dulcis radix latinis, liquiritia officinis, Germanis Suszholtz (Gallicè Erculisse ou rigolisse) dicitur. Nomen tum apud Græcos, tum etiam Latinos à dulcedine, qua radix eius prædita est, inuenisse notius est quàm vt dici debeat. Theophrastus nono de plantarum historia libro. Scythicam nominauit radicem, quòd in Scythia circa Mæotim paludem plurimùm proueniat. Sunt etiam qui ἀδιψοποιὸν vocitent, quòd sitim retenta in ore arceat.

FOR

FORMA.

Breuis frutex est, ramos binùm cubitorum altitudine spargens, in quibus folia densa, Lentisco similia, pinguia, tactuq; glutinosa. Florem fert Hyacintho simile. Fructum pilularũ Platani magnitudine, asperiorẽ tamen, siliquas Lentis modo rubescentes, breuesq; habentem. Radices illi sunt longæ, colore buxeæ vt Gentianæ, subacerbæ, sed dulces, quæ Liciy modo in succũ coguntur & densantur. Hæc delineatio ita Liquiritiæ hodie vocatæ quadrat, vt nulla penitus sit nota quæ in illa non reperiatur. Fruticosa enim est, ramos bicubitales emittens, foliis lentiscinis, densis, pinguibus, tactuq; sequaci lentore glutinosis. Flore Hyacinthi, fructu pilularũ Platani crassamento, sed asperiore, siliquas Lentis figura, & breues habente. Radicibus prælongis, buxeo colore, & dulcibus.

LOCVS.

Plurima & optima in Cappadocia ac Põto nascitur. Multa præterea nec ignaua aliquot Germaniæ nostræ locis, Pabẽbergẽsi præsertim agro, IOACHIMI nostri Camerarij viri doctissimi patria, producitur. Et hodie nusquã ferè nõ seritur in hortis. His quæ semel cõprehenderit, tam pertinaci fertilitate cohæret, vt vix vnquam possit radicitus extirpari, tam rẽstibili fœcunditate regerminat. Pabenbergẽsis ager Glycyrrhiza, fœcundus. Ioach. Camerarius.

TEMPVS.

Carpitur Septẽbre mense, quando semine prægnans est, aut Vergiliarum occasu. Flores suos Iu-

lio mense profert.

TEMPERAMENTVM.

Natura eius nostræ tẽperaturæ familiaris est: nam tale monstratũ est esse id quod dulce est. Sed quum adstrictio quædam adiũcta sit, vniuersum eius temperamentum quantum ex caliditate & adstrictione est, tepidæ potissimum caliditatis fuerit, quam proximè ad symmetrum temperatúmue accedens. Porrò quum etiam dulcis sit, humida quoque sit oportet.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Succus radicis ad arteriæ exasperationes vtilis est. oportet autem vt linguæ subditus eliquescat. Ardori stomachi, & ad iecinoris thoracisq; vitia prodest. Vesicæ scabiem. & renũ vitia cum passo potus emendat. Idem eliquatus sitim restinguit. Vulneribus prodest circũlitus. Commanducatus stomacho succurrit. Radicũ recentiũ decoctũ ad eadẽ conuenit. Radix verò sicca in puluerem trita, pterygyis commodissimè inspargitur.

EX GALENO.

Huius fruticis radicũ succus in primis vtilis est, similiter vt eius radices dulcis, simulq; modicè adstringens. Proinde asperitates lenire potest, nõ solùm in arteria, verũetiam scabra vesica, idq; temperaturæ mediocritate. Quoniam autem tẽperie quoq; humidum est quod modicè dulcè est, iure sanè sitim arcens medicamentum est, nimirum modicè humidũ, simul et natura humana frigidius,

Refert

Refert Dioscorides, radicem siccam ad leuorē redactam pterygiorū illitu idoneū esse remedium.

EX THEOPHRASTO.

Dulcis & Scythica radix vtilis ad suspiria, & tussim siccam, atq; in totum thoracis laborantis medicamēto cōmoda redditur. Quin & ex melle vlceribus mederi potest. Sitim quoq; extinguit, si teneatur in ore. Qua de causa tum ea, tum Hippace, Scythas decem & duodecim dies degere, & vitam prorogare affirmant.

EX PLINIO.

Radicis vsus in subditis decocta ad tertias, cætero ad mellis crassitudinem, aliquando & tusa. E quo genere & vulneribus imponitur, & faucium vitijs omnibus. Itē voci vtilissimo succo, sicut spissatus est linguæ subdito: item thoraci & iecinori. In ore habentes sitim non sentiunt: ob id quidam Adipson appellauerunt eam, & hydropicis dedere ne sitirent. Adipson. Non parum auxilij confert ijs qui perpetua siti excrutiantur: ideo cōmanducata & stomatice est, & vlceribus oris inspergitur, sæpe & pterygijs. Sanat vesicæ scabiem, renum dolore, condylomata, vlcera genitalium. Dedere eam quidam potui in quartanis, drachmarum duarū pondere, & pipere, hemina aquæ. Commanducata sanguinem sistit ex vulnere. Sunt qui & calculos ea pelli tradiderunt.

DE GALEOPSI. CAP. LXXI.

Galeopsis tibi pingitur nostra cataria.

NOMINA.

Γαλεόψις, ἢ γαλεόβδολον Græcè: Galeopsis, Vrtica labeo Latinè, vulgò & officinis Scrophularia maior, Ficaria, Millemorbia & Catrangula dicitur. Germanicè Kraunuuriz, Sauutrz grosx feiguuart zenkrant. Appositè aũt Galeopsis appellatur, nomine ex Græco & Latino cõposito, quod eius flores prorsus galeæ aspectum referãt, Aut si græca cũ Latinis cõponi haud possunt, γαλεόψις cum ψ & non ι, vt habent multa exẽplaria, scribendũ erit, vt idem valeat ac mustelæ aspectum referens: flores enim nõ dissimiles esse capiti illius animalis videntur. Et ita legendũ esse Plinius etiã testatur, qui Galeopsin hanc nominat herbam. Scrophulariam autem à curandis strumis, quas scrophulas vocãt recentiores, dixerunt.

Scrophularia maior.

Galeopsis ut dicta.

FORMA.

Totus cũ suo caule & foliis frutex Vrticæ similis est, læuiora tamen habet folia, & cũ terũtur graueter odorata. Flores illi tenues, & purpurascentes. Huius delineationis notæ in vniuersum omnes, nulla prorsus reclamãte, herbæ quam vulgus Scrophulariam maiorẽ nominat, cõueniunt. Frutex enim est qui ad humani corporis ferè longitudinẽ interdũ assurgit, foliaq; Vrticæ habet, sed læuiora, & quæ trita graueẽ fundunt odorem. Flores tenues, atq; purpurascentes. Respondet etiã locus natalis, vt ex sequẽtibus patebit. Esse autẽ veter-

veterũ Galeopsin vulgi Scrophulariã maiorẽ, præter ea quæ iam diximus, manuscriptus quoq; codex euidẽter ostẽdit, in quo picẽtura ita Scrophulariam refert, vt nemo sit qui eã nõ agnoscat. Huc accedit quod in descriptione, quam ex Dioscoride desumpsit, apertè testatur Scrophulariã maiorem alio nomine dictam esse Galeopsin & Galeobdolon. Neq; facultates discrepãt, sed vtrarũq; similes sunt, adeò vt haud dubiè veterũ Galeopsis, recentiorum herbariorum sit Scrophularia maior.

LOCVS.

Nascitur circa sepes, semitasq;, & in areis ædificiorum passim.

TEMPVS.

Colligitur Iunio & Iulio mensibus, tum enim potissimum floret.

TEMPERAMENTVM.

Desiccat, extenuat, & discutit, adeoq; partiũ est tenuium, id quod amaritudo quam in gustu præ se fert, satis indicat.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Folia, succus, caulis & semen, duritias, carcinomata, struta, strumas, parotidas & panos dissyciunt. Oportet autẽ bidie cum aceto tepidũ cataplasma imponere. Fouentur & decoctio eius vtiliter. Ad nomas, gangrænas, & putrescentia cum sale illita prosunt. EX PAVLO.

Galeopsis, quam alij Galeobdolon appellant, vrticæ similis herba est, maiorem tamen læuorem

habet, & odorem graue. Scirrhosos tumores dissipat & emollit. Item ad nomas cataplasmatis modo illita confert.

EX PLINIO.

Galeopsis folia caulesq; duritias et carcinomata sanat ex aceto trita & imposita. Itē strumas, panos & parotidas discutiunt. Ex vsu est & decocto succo fouere. Putrescentia quoq; & gangrenas sanant.

APPENDIX.

Recentiores etiam Scrophulariæ tribuūt facultatem sanandi vlcera putrescentia, & mariscas. Succum eius mederi deformitati faciei iam ferè elephanticæ tradunt, vt inde satis constet à Galeopsi non diuersam esse. Semen in expellendis & ēnecandis lumbricis esse efficax adjiciūt, id quòd ab eius amaritudine non abhorret.

DE GALLIO. CAP. LXXII.

Gallium à florum pallidorum & odororū copia, floraſtre dicitur, aliis aſpergula minori, q̄ aſpergilli formam habeam.

NOMINA.

Gallio vnde dictū.

ΓΑλλιον, ἢ γαλλίριον, ἢ γαλάτιον græcis, gallio Latinis. Officinis, vt multæ aliæ optimæ herbæ, neglecta & incognita est. Germanis Vnser lieben frauuen Vueg oder Vual, oder beſtro (Gallicè Petit muguet) dicitur. Nomen inuenit ex eo quòd vim coagulādi, ac ſpiſſandi lactis habeat.

FORMA.

Ramulos rectos, & folia Aparinæ similima habet,

bet. Florem in summo luteum, tenuem, frequentem, valde odoratum.

LOCVS.

Nascitur in aruis & humidis palustribus locis.

TEMPVS.

Iunio & Iulio potissimùm mensibus floret.

TEMPERAMENTVM.

Gallium siccum est & subacre.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Flos eius ambustis illinitur, & sanguinis profluuia cohibet. Idem cerato rosaceo miscetur, insolaturq; donec albescat, & sic lassitudines recreat. Radix venerem stimulat.

EX GALENO.

Gallium inde adeò nomen sortitum est suum, quòd lac coagulet. Facultatem obtinet exiccatoriam & subacrem. Flos eius sanguinis profluuijs competere videtur, & ambustis mederi. Est autem boni odoris, & coloris lutei.

DE GLECHONE. CA. LXXIII.

Pulegium in syluis & locis editis luxuriat.

NOMINA.

ΓΛΗΧΩΝ, ΒΛΗΧΩΝ Græcè, Pulegium Latinè vocatur, Officinæ Latinum nomen retinet. Germanicè Poley (Gallicè du pouliot) Blechona autem appellarunt, quòd gustatum à pecore cum floret, balatum concitet. Id quod Plinio libr. xx. capitu. xiiij. autore, de syuestri verè dicitur. Pulegium verò quòd eius flos recens incen- Blechon.

incensus pulices interficiat.

GENERA.

Plinius & Apuleius duo Pulegij faciunt genera, alterũ fœminam, alterum marem: nec alia ratione differre scribunt, nisi quòd mas candidũ,

Satiuũ Pulegium. fœmina verò purpureum florem habeat. Dioscorides Pulegium masculum, quod satiuũ alio nomine in Diclamni descriptione vocat, dũtaxat depingit,

Syluestre. Syluestre autem secundam Calaminthæ speciem facit, quam Latini propriè Nepetam nominant, vt suo loco dicemus.

FORMA.

Pulegiũ mas seu satiuum, cuius picturam damus, fruticosum assurgit. & ad cubiti altitudinẽ increscit. maximè si sit quo sustentetur: foliis Sempsychi surculis hirsutis, rubicãtibus, & per interualla purpureo flore orbiculatim coronatus.

LOCVS.

Prouenit locis cultis & aquosis: semelq; satum diutina durat ætate.

TEMPVS.

Carpitur dum floribus prægnans est, id quod Iulio & Augusto mensibus accidit.

TEMPERAMENTVM.

Pulegium quum acre & subamarum sit, valde tum excalefacit, tum extenuat, ideoq; in tertio ordine calidum & siccum esse statuunt.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Extenuat, calefacit, & concoquit. Potũ mẽses, secund

secundas, & fœtus trahit. Gum melle & aloë potum, ea quæ circa pulmonem sunt, educit, & conulsis auxiliatur. Nauseas stomachiq; morsus cũ posca potum lenit. Atram bilem per aluũ educit. Cum vino potum venenatorũ morsibus succurrit. Defectos animo cum aceto naribus obiectum recreat. Siccatũ & in puluerẽ tritum crematumq; gingiuas firmat. Illitum cum polenta inflammationes omnes mitigat. Podagris per se confert vsquedũ rubescat cutis. Cũ cerato varos tollit. Lienosis cũ sale vtiliter illinitur. Decoctum eius prurigines si eo lauãtur sedat. Inflatiões, duritias, & conuersiones vuluæ in defessionibus iuuat.

EX GALENO.

Pulegium calefacere abundè magnũ est testimonium, quòd illitum rubrificat, & quòd, si quis diutius toleret, exulceret. Extenuare verò satis indicat quũ humida, crassa & lenta ex thorace & pulmone excreatu facilia faciat, mẽsesq; moueat.

EX PLINIO.

Magna societas cũ Mentha, ad recreandos defectos animo, Pulegio cũ surculis suis in ampullas vitreas aceti vtrisq; deiectis. Qua de causa dignior è Pulegio corona vertigini quàm è rosis, cubiculis nostris pronũtiata est. Nã & capitis dolores impositа dicitur leuare. Quin & olfactu capita tueri cõtra frigorũ æstusq; iniuriam, & a siti traditur: neq; æstuare eos qui duos è Pulegio surculos impositos auribus in sole habeant. Illinitur

etiam

etiam in dolorib. cum polenta & aceto. Nauseas cum sale & polenta in frigida aqua pota inhibet. Sic & pectoris ac ventris dolorẽ. Stomachi autem ex aqua itẽ rosiones sistit, & vomitiones cũ aceto & polenta. Intestinorum vicia melle decocta & nitro sanat. Vrinam pellit ex vino, & si aminæum sit, & calculos, & interiores omnes dolores, ex melle & aceto sedat. Menstrua & secundas, vuluas conuersas corrigit, defunctos partus eijcit. Comitialibus in aceto cyathi mensura datur. Si aquæ insalubres bibẽdæ sunt, tritum insperguitur. Salsitudines corporis si cũ vino tradatur minuit. Neruorũ causa & in contractione, cum sale, aceto & melle cõfricatur episthotono. Bibitur ad serpentiũ ictus decoctum. Ad scorpionum, in vino tritũ, maximè quod in siccis nascitur. Adoris exulcerationes, ad tussim efficax habetur. Flos recẽtis incẽsus, pulices necat odore, Xenocrates Pulegij ramum lana inuolutum, in tertianis ante accessionem olfactandum dari, aut stragulis subijci, & ita collocari ægrum, inter remedia tradit.

EX SIMEONE SETHI.

Pulegiũ attenuat & calfacit vehemẽter, quapropter humida & crassa in thorace, et in pulmone humida & glutinosa iuuat, & vt excrectur efficit. Cũ vino albo coctũ & potum, calidumq; syncerum menses prouocat. Extrinsecus illitum ischiadicis, & alijs partibus frigore affectis auxiliatur.

DE

DE GENTIANA. CAP. LXXIIII.

Gentiana ex monte Iura huc conuehitur.

NOMINA.

GENTIANA *græcè, Gentiana Latinè appellatur, Nomen apud omnes officinas retinet. Germanicè* Entzian, oder Bitte vurtz (*Gallicè Gentiane nominatur. Sic à Gētio Illyriorū rege, qui in bello primus eius vires reperit, dicta est.* Gentiana vnde dicta.

FORMA.

Folia Gentianæ iuxta radicem erumpunt iuglandi aut Plantaginī similia, subrubentia: sed quæ à medio caule, præsertim autē cacumine prodeunt, breuioribus incisuris secta sunt. Caulis illi inanis, leuis, digiti crassitudine, binūm cubitorū altitudine, geniculis intersectus, ex maioribus interuallis folia proferens. Flores eius lutei primùm calycibus concluſi, postea intumescentes explicantur. Semen in calycibus obtinet latus, leue glumosum, ad Spondilij semen accedens. Radicem mittit longam, similem Aristolochiæ longæ, crassam, & amaram.

LOCVS.

Nascitur in altißimis montium cacuminibus, vmbrosis locis & aquosis. Plurima verò & copiosißima sub Alpinis mōtibus in Illyrio, & in monte Farrenberg *haud procul à Tubinga sito.*

TEMPVS.

Floret æstate, Iunio potißimùm mense, deinde Iulio semen producit.

TEMP

TEMPERAMENTVM

Amaritudo immensa satis monstrat radicem eius esse calidam & siccam.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Gentianæ radix calefactoriâ & adstringentem vim habet. Venenatorũ morsibus succurrit duarũ drachmarũ pondere tũ pipere, ruta & vino pota. Succi drachma, laterũ doloribus, ex alto cadentibus, ruptis & cõuulsis opitulatur. Hepaticis, stomachicis pota cũ aqua subuenit. Radix collyriũ modo subdita fœtus eiicit. Vulneraria est imposita vt lyciũ, vulneribus q; sinuatim depascentibus, potissimũ succus, medetur. Oculis inflammatione laborantibus illinitur. Pro meconio collyriis acribus miscetur succus. Radix alphos abstergit. Cõtusa radix diebus quinq; aqua maceratur, postea in eadẽ decoquitur, dũ aquæ radices superstãt emineãt ve: deinde vbi refrixerit aqua linteolo percollatur, iterumq; decoquitur, dũ mellis crassitiem contrahat: demũ in vase testaceo recõditur.

EX GALENO.

Radix Gentianæ herbæ admodum efficax est quũ opus est extenuatione, purgatione, absterssone, obstructionis liberatione. Nec mirũ si hæc possit, quũ impensè amara sit. EX PLINIO.

Vsus in radice & succo. Radicis natura est excalfactoria, sed prægnantibus nõ bibẽda. Præcipuè aduersus angues duabus drachmis cũ pipere & ruta, vini cyathis sex, siue viridis siue sicca pota pro

ta prodest. Tanta huic vis est, vt iumentis etiam non tussientibus modo, sed ilia quoque trahentibus auxilietur pota. Stomachũ corroborat ex aqua pota. Farina eius ex aqua tepida fabæ magnitudine pota, interaneorum vitijs occurrit. Radix trita vel decocta, à ruptis, conuulsis, & ex alato deiectis potatur.

DE GLYCYSIDA. CAP. LXXV.

Pæonia mas & fœmina nobis frequens, solã pingis fœminam.

NOMINA.

Γλυκυσίδι, παιονίᾳ græcis, Pæonia & Castaherba Latinis dicitur. Nomen Pæoniæ in officinis seruat. Germanis Peoniſz blum, Konigzblum Gichtũurtz Benignenroſz Venedictenroſz, Pfingſtroſz (Gallicè Piuoine) vocatur. Glycysida porro dicta est quòd grana mali punicicinis similia habere videantur. Nam sidia mali punici grana à Bœotis nominãtur. Pæonia ab eius inuentore medicinæ peritissimo, Pæone appellata est.

Glycysida vndedicta

Pæoniacur dicta,

GENERA.

Duo eius genera sunt, mas & fœmina. Mas in vulgaribus herbarijs Niniuenuuriz, fœmina verò Peonienblũ, alijsq; noũbus Germanicis paulò antè cõmemoratis nũcupatur. Iidẽ, magno errore Pæoniam à Pionia differre putant, atque adeo diuersis etiam capitibus, imò & viribus disiungunt. Ferendus tamen is error esset, ni-

Error herbariorum.

si vtrique etiam herbæ, hoc est, Pæoniæ & Pioniæ duplex genus assignarent, marem nimirum & fœminam, cùm tamen sub vna Pæoniæ nomẽclatura, vtrunque genus Dioscorides & alij veteres complexi sint.

FORMA.

Caulis duorum ferè dodrãtũ altitudine nascitur, multas propagines habens. Mas Iuglandi nucifolia similia obtinet: fœmina verò Smyrnij modo diuisa. Summo caule siliquas quasdam Amygdalis similes profert, in quib. quum aperiuntur, grana rubra, multa exigua, punici mali acinis similia inueniuntur, in medio nigra, purpurea, quinque aut sex. Radix maris digiti crassitudine, dodrantali verò longitudine, gustu adstringens, alba. Fœminæ propagines, soboleve ceu glandes septem aut octo, vt Asphodelus habet. Ex qua siquidẽ descriptione abundè liquet, Pæoniam quæ passim in hortis nascitur, & cuius hic picturam damus, esse fœminã quòd eius folia Smyrnij modo sint laciniata, & quòd radix septem aut octo veluti glandibus cõstet. Reliquæ notæ, potissimum quòd in siliquis grana alia rubentia, alia nigra sint, vtrique generi cõmunes existunt.

LOCVS.

Nascitur in altissimis montibus, & passim hodie, fœmina potissimùm in hortis prouenit.

TEMPVS. Maio floret mense.

TEMPERAMENTVM.

Pæonia radicem habet leniter adstringentẽ

cũ quadã dulcedine. Si verò pluſculum dentibus mãdas, acrimoniam item quampiam ſubamarã ſubeſſe percipies, id quod in radice etiam noſtratis Pæoniæ quã fœminã eſſe diximus, deprehẽdes. Pæoniæ verò in vniuerſum temperamentum tenuiũ eſt partiũ, exiccatorium, haud tamen inſigniter calidum, ſed aut ſymmetrũ, aut paulò calidius.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Datur radix mulieribus à partu non purgatis. Cit mẽſes Amygdalæ magnitudine pota. Vẽtris doloribus cũ vino pota auxiliatur. Regio morbo correptis prodeſt, renum ac veſicæ doloribus. Decocta in vino & pota aluum ſiſtit. Seminis grana rubra decem aut duodecim pota in vino auſtero, nigro rubentem fluxionem ſiſtit. Stomachicis & eroſionibus comeſta proſunt. A pueris pota & comeſta, initia calculorum eximunt. Grana nigra nocturnis ſuppreſſionibus ephialtas nominant, vuluæ ſtrangulationibus, & veteri doloribus in aqua mulſa aut vino quin decim pota, opitulantur.

EX GALENO.

Radix Pæoniæ menſes cit ex mulſa Amygdalæ quantitate pota. Sanè tundere eam oportet ac cribare, & ſic inſpergere. Expurgat etiam iecur obſtructũ & renes. Sed hæc efficere nata eſt quã acris et ſubamara eſt, quã verò quiddã etiã adſtrictiorũ obtinet, fluxiones vẽtris ſiſtit. Oportet autẽ tũc i auſterorũ vinorũ quopiã ea decocta bi-

bere. Est omnino resiccatoria vehementer, vt nõ desperauerim eã ex collo pueris suspensã, meritò comitialem morbum sanare. Equidem vidi puellum quandoque octo totis mensibus morbo comitiali liberum, ex eo quo gestabat radicem tempore. Vbi autem forte fortuna quod à collo suspensum erat decidisset, protinus morbo correptus est: rursusq; suspenso in illius locum alio, inculpatè postea se habuit. Visum verò est mihi satius esse denuò id certioris experientiæ gratia detrahere, id quum fecissem, ac puer iterum esset conuulsus, magnam ac recentem radicis partem ex collo eius suspendimus, ac deinceps prorsum sanus esse. Hic est puer, nec postea conuulsus. Rationabile itaque erat aut partes quaspiam à radice desiuentes, ac deinde per inspirationem attractas, ital affectos locos curare, aut aèrem à radice assiduè mutari & alterari. Nam hoc pacto succus Cyrenaicus columellam phlegmone affectam iuuat, & Nigella fricta palam destilationes & grauedines desiccat, si quis eam in calidum linteum rarum liget, assidueq; calorem ea per inspirationem quæ per nares fit, attrahat. Quinetiam si cõpluribus linis, maximè marinæ purpuræ, collo veperæ iniecerit, illis viperam præfocaueris eaq; postea cuiuspiam collo obiunxeris mirificè profuerit tum tonsillis, tum omnibus ijs, quæ in collo expullulant.

Historia

EX PLINIO.

Pæonia medetur Faunorum inquietè ludibriis

Rubræ

Rubra grana rubentes menses sistunt quindecim fere pota in vino nigro. Nigra grana vuluis medentur, ex passo aut vino totidem pota radix omnes ventris dolores sedat in vino, aluumq; purgat. Sanat epistbotonum, morbum regium, renes veſiccam Matricem autem & stomachum decocta in vino, aluumq; sistit. Estur etiam cõtra malum mentis, sed in medendo quatuor drachmæ satis sunt. Grana nigra auxiliantur & suppressionibus nocturnis in vino pota quo dictum est numero. Stomacho verò & erosionibus, & esse ea et illinire prodest. Suppurationes quoque discutiuntur recentes nigro semine, veteres rubro. Vtrunq; auxiliatur à serpente percussis, & pueris contra calculos incipiente stranguaria.

DE GERANIO

CAPVT LXXVI.

Gerania omnia hic frequentia.

NOMINA.

Γεράνιον Græcè, Geranium Latinè, vulgò et herbarys Rostrum ciconiæ appellatur. Geranium autem à gruini capitis imagine, quæ summo eius plantæ capitulo inest, Græcis aptissima similitudine dictum est. Sic recentioribus à ciconiæ rostri effigie. Rostrum ciconiæ nominatũ est. Rostrum ciconiæ. Geraniũ vnde dictum. Primũ genus.

GENERA.

Duo Geranij Dioscorides tradit genera. Primum quod longioribus rostris, & in mucronem acuminatis constat. Hoc hodie officinis & herba

rijs Acus paſtoris & Muſcata: Germ. verò Storckenſchnabel dicitur. Alterum quod maluæ folia habet, Pes columbinus vulgò nominatur.

Secundū. Sunt qui turpiter aberrantes, Amomum eſſe exiſtimāt. Germanicè Taubenfuſz oder Schaf tenkraut appellatur. Præter hæc duo alia adhuc eſt pes columbinus genera, inter q̄ id quòd tertium ordine eſt, folijs Artemiſiæ tenui foliæ vel Chærephyllo ſimile exiſtit. herba Roberti & Robertina à nonnullis haud dubiè à ſuperſtitione aliqua Diui, qua ſuperior ætas mirificè imbuta fuit, appellatur, germanicè Ruprechtskraut. Quartum folia obtinens laciniata. Germanicè pro certiori diſcrimine Kra nichhalſz vocari poteſt. Quintū, quod folia Raunculi habet, gratia. Dei nominatur, germanicè Gottes gnad ab inſigni in ſanandis vulneribus effectu. Sextum, quod forma quarto generi ſimilimum eſt, nec ferè ab illo niſi ſola magnitudine foliorum, florum & radicis diſtat, germanicè Blutuurtz à rubro colore aut mirifica in ſiſtendo ſanguinis profluuio facultate vocatur. FORMA.

Amomū

Tertium.

Robertiana.

Quartum

Quintum

Sextum.

Primi.

Geranium primum caules habet à radice rubentes, lanuginoſos, folia Anemones, diuiſuris inciſa, flores purpureos, & in cacumine caulium faſtigia capitulis iconiæ aut gruum cum roſtellis longitudine acus emicantia. Radicem oblongā et ſubrotūdā dulcémque. Alterū vt præcedens caules tenues, rubētes à radice ſtatim, lanuginoſoſq; obtinet, folia maluæ ſimilia, candidiora, floſculos ſub pur

Secundi.

Subpurpureos capitella gruni capitis modo rostrata radicē tenuē & oblongā. Tertiū caules habet à radice rubescētes, lasnuginosos, geniculatos sapo-
ris & odoris iniucūdi, folia Chærephyllo aut Ar Tertij.
temisiæ tenuifoliæ similia, flores purpureos, capitella gruini capitis modo rostrata, radicem intus
viridem & adstringentem. Quartum cauliculos
itidem vt reliqua rubentem, lanuginosum, folia Quarti.
laciniata admodum, flores purpureos, ex quibus
capittella gruini capitis instar rostrata, & in ijs
semina quinque nascuntur: radicem intus candi-
dam, extrà subluteam. Quintum reliqua omnia
magnitudine excedit, caules emittit oblongos, ro Quinti.
tūdos, modicè lanuginosos, à radice statim ruben
tes, folia Ranunculo similia, flores ferè cærulcos,
capitella præcedēti Geranio similia radicem crassam & longam, multis exiguis radiculis veluti
capillamentis quibusdam fibratam. Sextum ra- S ti.
mos habet tenues, lanuginosos, folia laciniata, te ex
nuina, flores in summo purpureos, ex quibus, vt
in quarto capitella gruini capitis formā referētia
prueniūt. Radicē extrà & intus rufā. LOCVS.

Omnia Geranij genera in incultis prouenium.
Primū passim in cāpestribus, & nōnūquam in
segetes nascitur. Alterum in colliculis. Tertiū
in vmbrosis locis & dumetis. Quartū in agrorū
limitibus, & iuxta sepes. Quintū in pratis. Sex-
tū in locis montosis & saxosis. TEMPVS.

Primū statim inter initia veris Aprili mēse flo-

res suos ostendit, & subinde per integram æstatẽ Alterum, tertium, & quartum. Maio mense florent. Quintum Iunio & Iulio mensibus, quẽadmodum etiam sextum.

TEMPERAMENTVM

Omnium folia & radices, primo excepto, cuius radix dulcis est, quodammodo, atque adeò discutiendi vi prædita, adstringunt ac siccant.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Radix Geranij primi in vino drachmæ pondere pota veteri inflationes discutit. Secundũ nullum habet in medicina vsum.

EX PAVLO.

Geranium quod folijs respondet Anemones, radicem habet esculentam, quæ cum vino drachmæ vnius pondere sumpta, veteri inflationes dissoluit. Altera Geranij species in re medica inutilis est.

EX PLINIO.

Primæ Geranij speciei radix, reficientibus se ab imbecilitate vtilissima. Bibitur contra phthisin drachma in vini cyathis tribus bis die. Itẽ cõtra inflationes, quæ & cruda idem præstat. Succus radicis auribus medetur. Opisthotonicis semẽ drachmis quatuor cum pipere & myrrha potũ.

APPENDIX.

Etsi secundum Geranij genus à Dioscoride alijs q; nonnullis, tanquam nullius in medicina vsus damnatum sit tamen posterior ætas quotidiana experientia in sanandis vulneribus & fistulis, eius

ius ac reliquorum etiam mirum esse effectum comperit, proinde eas herbas his ipsis in potu mirificè conferre tradunt. Et certè non mirum est earundem vires olim fuisse ignoratas, cùm & aliarum multarum plantarum facultates, quas constat esse hodie notissimas, veteribus fuisse incognitas, notius sit quàm vt demõstrari debeat. Antiquus quoque herbarius, prædictorum Geraniorum folia magnam vim obtinere in glutinandis vulneribus, & articulorum doloribus leniendis tradit. Primi autem radicem mouendi vrinam facultatem habere, ait, ideoq; calculosis, stranguriæ & difficultati vrinæ prodesse. Tertium genus ad oris, mammillarum, pudendorumq; vlcera sananda vnicè conducit. Reliqua similiter ad glutinãda vlcera mirificè prosunt. Nullum verò ad sanguinem vndecunque emanantem compescendum præstantius sexto est: vnde etiam germani vt cõprehensum est, Blutuurtz hoc est, sanguinariã radicem appellare voluerunt.

DE GONGYLE. CAP. LXXVII.

Rapum satiuum Auberuillianum parisijs cõmendant radice tuberosa multum & terra extãte, Rapum syluestre nobis cum Dioscoride Rapuntium dicitur.

NOMINA.

ΓΟγγυλὶς ἡ γογγυλὶς græcis, Rapum Latinis et officinis Germanis Ruben) Gallicè Naueau Rond) Appellatur. Græci autem à figu-

Gongyle quare dicta.

ra eius q̃ plerunque rotunda esse solet vocabulum detorserũt, Nãque quòd in rotunditatem coactũ est, vel in orbẽ circumagitur, γογγυλιον dixerunt Rapa verò quod ex terræ rure, quasi ruapa, Varrone teste nominata est.

Rapa vndele.

γογγυλιον

GENERA.

Rapi duo sunt genera. Vnum satiuũ, quod simpliciter germani Ruben vocant. Estq; id iterũ duùm generum. Vnum candidum, quod germani etiam Vucisruben vocant: & alterũ rubriũ Rot ruben ẽdem appellant. Alterũ sylueſtre, quod vulgus Rapunculum, quasi paruum rapũ, germani Rapuntzeln nominant. FORMA.

Rapuncu-lus.

Rapum satiuum caule & foliis raphano simile est: floribus verò & siliquis, in quibus semen profert, Napis aut Brassicis. Sylueſtre frutex est cubitali altitudine, ramosum, in summo leue folia nimirum leuia habens digitali latitudine, aut maiora. Semen in calyculatis fert siliquis: dehiscẽtibus verò seminũ inuolucris, alia intus capitum specie est siliqua, in qua semina parua nigra sũt: sed quæ fracta intus albicent. Flos eius in purpureũ vergit colorẽ. Radix digitalis ferè est. Quæ delineatio prorsus alludit ad hãc herbã quã vulgus Rapũculũ nominat: si quidẽ cubitalis est, fruticosa, ramosa, folio digitali, nigro in siliquis semine, quod cũ frãgitur albũ intus apparet. Flos etiam purpurei coloris est, radixq; digiti magna ex parte magnitudine constat.

Sylueſtre raptum.

LO

LOCVS.

Satiuum solum putre & solutum desiderat. Syluestre in aruis nascitur passim.

TEMPVS.

Satiuũ rapum floret æstate, ac siliquatur subinde. Syluestre autem verno quidem tẽpore priusquã in caulem attollitur, acetarijs frequenter inseri solet, erutum radicitus cũ folijs suis iam recẽs enatis, quo sanè tempore à pueris etiam agnoscitur. Deinceps verò exijt in caulem & adolescit, ac Iunio mense flores, ac subinde semina profert.

TEMPERAMENTVM.

Rapa calida sunt in secundo ordine, & humida in primo.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Satiui rapi elixa radix nutrit, inflat carnem flaccidam generat, venerem stimulat. Decoctio eius podagræ ac perniones fouentur, Ipsa etiam radix trita illita prodest. Si verò quispiam in excauata radice rosaceum ceratum feruenti cinere liquefecerit, exulceratis pernionibus proficiet. Asparagi eius decocti eduntur ciendæ vrinæ accõmodi. Semẽ in antidota & theriaca præsertim q̃ dolores mitigare possunt aptè additur. Potum venenis aduersatur. Venerem concitat. Muria conditũ, comestum minus nutrit, sed appetentiã excitat. Syluestre rapũ miscetur medicamentis q̃ ad detergendã faciẽ reliquũq́ue corpus, ex lupinorũ aut tritici, aut lolij, aut erui farina conficiuntur.

EX

EX GALENO.

Rapi semen venerem excitat, vtpote spiritum flatuosum procreans. Sic & radix concoctu difficilis est, inflatq; & semen generat. Succus ex ea in corpus digestus, temperato crassior est: ideóque si quis vltra modum esitauerit, & maximè si perfectè conficere eam neque at, crudum succum in venis congeret. Ad alui deiectionem nec cõferre quicquam nec officere dixeris, potissimum quando bene fuerit percocta, vt quæ longam elixationem requirat, optimaq; sit bis decoctionem perpessa. Sin crudior ingeratur, concoctioni pertinacius resistet, pariet inflationes, & stomachum infestabit, nonnunquam etiam mordere illum nõ verebitur.

EX PLINIO.

Rapo vis medica inest. Pernionesferuens impositum sanat. Item frigus pellit è pedibus aqua decoctum. Et ius ferueus podagris etiam frigidis medetur. Et crudum tusum cum sale cuicũque vitio pedum. Semen illitum & potum in vino contra serpentes & toxica salutare esse proditur.

A multis verò antidoti vim habere in vino & oleo, Democritus in totum ipsum abdicauit in cibis propter inflationes. Diocles magnis laudibus extulit etiam venerem stimulari ab eo professus. Item Dionysius: magisq; si eruca condretur. Tosta quoque articulorum dolori cum adipe prodest, Syluestri ad leuigandam albicandámve cutem in facie totóque corpore, vtuntur mixta, vrina

rina pari mensura. Eius succus circa mesem exceptus, oculos purgat medetur caligini admixto lacte mulierum.

EX SIMEONE SETHI.

Admodum nutriunt rapa, vrinam ciunt, inflant, genitale semen gignunt, fauces leniunt atque thoracem. Crebrior illorum vsus crassum humorem generat, & obstructiones iecoris parit. Vētrem nec sistunt, nec mouent. Si cum aceto & sale edantur, appetentiam excitant. Horum semen tritum & haustum magna copia, venerem suscitat, Fertur quòd si quis hoc ipsum semen cū Calaminta & lemnia terra commixtum sumat, eo die neque veneno, neque morsu venenati animalis lædi. Appensum inguinum morbis peculiari quapiam proprietate medetur.

DE GINGIDIO. CAP. LXXVIII.

NOMINA.

Γιγιδιον Græcè, Gingidium Latinè, officinis Chærefolium, germanicè kerbelkraut (gallicè Du cerfueil) dicitur. Chærefolium autem græca voce & Latina coalescentibus in vnū nomen, ob id dictum est, quòd folijs luxuriet. Ne tamen vocabulorum vicinitas aliquam pariat confusionem imperitóque lectori nomenclationum similitudo imponat, sciendum est officinarū Chærefoliū diuersum esse à Chærefolio Plinij.

Chærefolium

Chærefolium vnde dictum.

FORMA.

Herba est syluestri Pastinacæ similis, tenuior tantùm

tantũ et amarior. Radicula subcãdida, amaricãte. Vnde satis liquet herbam quã hodie Chærefoliũ nominant, esse Gingidium. Nam erraticè Pastinacæ folium æmulatur, aliquanto tenuius, radicula subalba, amaricante, floribus candidis, semine in siliquis exiguis oblongo, angusto & acuminato.

LOCVS.

Passim hodie in hortis colitur.

TEMPVS.

Maio mẽse floret, & subinde semen profert.

TEMPERAMENTVM.

Sicut gustu amaritudinẽ & adstrictionẽ præfert, sic tẽperamẽto quoque ipso caliditatẽ & frigiditatẽ. Secundũ verò vtrãque qualitatẽ desiccatoriũ in secundo ordine est: vnde iterũ colligi potest, Chærefoliũ esse Gingidiũ, quòd ipsũ gustui amarorẽ et adstrictionẽ euidẽtissimè repsentet.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Crudũ & coctũ olerũ modo esui idoneũ est. Editur etiã sale cõditũ seruatiũe. Scomacho vtile. Vrinã ciet: Decoctũ ejus cũ vino potũ, vesicæ accomodum est.

EX GALENO.

Estur Scãdicis modo. Stomacho mirè vtile siue crudũ, siue elixũ libeat sumere. Lõgioris decoctionis impatiẽs est. Nonnulli ipsum ex garo oleoque esitant. Alij vinũ aut acetũ adjciũt, ac multò sic magis stomacho cõducit. Cum aceto assumptum, fastidiosos ad cibum inuitat. Perspicuũ verò est hanc herbã medicamentum magis esse quã cibũ.

cibum, quippe quæ & adstrictionis & amaritudinis non obscuræ nec exiguæ particeps est.

EX PLINIO.

Coctũ crudumq; stomachi magna vtilitate æstuat. Siccat enim ex alto omnes humores eius.

APPENDIX.

Facultates iam commemoratas etiam Chærefolio suo tribuunt recentiores: scribunt enim mirificè conferre ventriculo, ciendisq; mensibus & vrinæ in vino decoctum, vt iterum hinc constet à Gingidio non esse diuersum.

DE GENISTA CAP. LXXIX.

NOMINA.

GENISTA Latinis rei rusticæ scriptoribus & Plinio nominatur. Officiuis et barbaram sectantibus medicinam, Genesta & Genestra. Germanis Ginst vel Genist (Gallicè Du genet) appellatur. Genistam autem vocãt haud dubiè quòd genu modo flexilis ad nexus sit vel, vt alijs placet, quia genibus medeatur dolentibus. Alia autem est à Sparto, quòd hoc virgus habeat longas sine foliis, vt suo dicemus loco illa autem minutis foliis scatet.

Genesta.
Genista
vndedicta.
Genista
nõ est eadem cum
Sparto.

FORMA.

Genista fruticat ramis herbaceis, scabris foliis minutis scatentibus, flore luteo, apibusq; gratissimo, semine lenticulis haud absimili, quod siliquis innascitur, radice sublutea.

LOCVS.

Perarida loca amat, ideóque in syluis &, iuxta syluas nascitur.

TEMPVS.

Floret Maio & Iunio mense, ac subinde in siliquis hirsutis semen profert.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit & siccat in altero ordine, id quod amaritudo quam gustata refert, & eius facultates abundè docent.

VIRES. EX PLINIO.

Semen Genistæ purgat Ellebori vice, drachma & dimidia pota in aquæ mulsæ cyathis quatuor ieiunis. Ramis similiter cum fronde in aceto maceratis pluribus diebus & tusis, succū dant ischiadicis vtilem cyathi vnius potu. Quidam marina aqua macerare malunt, & infundere clystere. Perunguntur eodem succo ischiadici, addito oleo. Quidam adstranguriam vtuntur semine. Genista tusa cum axungia, genua dolentia sanat.

APPENDIX.

Ex iam cōmemoratis verbis perspicuū ōibus fit, Sparto & Genistæ, nō obstāte quòd forma nō nihil distent, eandem inesse facultatem: vt enim Spartū pituitā per superna & inferna purgare pōt, sic etiā Genista. Hinc adeò fit vt eius seminis hodierno tēpore contra podagrā magnus sit vsus. Vrinā etiā amaritudinis ratione mouet, & quia incidendi & extenuandi facultatem habet, lapi-

dem

dem tum in renibus, tum in vesica confringere, vt etiam recentiores tradunt, potest. Strumas dem. atq; alios tumores discutere posse ijdē scribūt.

DE GENISTELLA. CAP. LXXX.

Genistella nobis frequens.

NOMINA.

Genistella

PRIORI non admodum dissimilem herbā nonnulli Genistellam vocant quòd scilicet Genista exilior & humilior sit. Germanicè appellari potest, die stechende Ginst. Alij vocant Erdpfrymen, oder Kleinstreichblumē. (Gallicè petit Genet.) Sunt qui non sine magno errore pro genista vtantur, quum facultatibus diuersis prædita sit. Sunt qui Rosmarinum aculeatum nominent, quòd eius folia Rosmarino ferè similia sint.

Rosmarinus.

FORMA.

Frutex est Libanotidis coronariæ, quam Rosmarinum vocant, penè folio, sed rigido ac pungente, flore luteo, piso non dissimili. semine in exiguis siliquis rufo, radice sublutea.

LOCVS.

Nascitur in arenosis locis, secus vias

TEMPVS.

Maio mense flores luteos producit, quibus pastæ apes improbum mel conficiunt.

TEMPERAMENTVM.

Adstringentem cū amaritudine facultatē possidet, ac prorsus valenter, simulq; citra mordicita

tem exiccantem. VIRES.

Semen eius serpentibus aduersari traditur. Decoctum foliorum, profluuium menstruorum sistit. Idem etiam potum ventris fluori succurrit. Et vt rem in pauca contraham, idem Genistella, quod Hippuris seu Cauda equina potest.

DE GNAPHALIO. CAP. LXXXI.

NOMINA.

Cētūculū. Cētūcularis herba.

Γναφάλιον græcis, Centunculum aut centūcularis herba Latinis nominatur. Officinis ignota. Germanis Rhurkraut appellatur. Gnaphalium verò vocata est hæc herba, Galeno autore, à candidis mollibusq; eius foliis, quibus ἀντὶ τοῦ ναφάλου hoc est, pro tomentis vtuntur. Gnaphalion itaque dicitur quasi tomentitia. Centunculum autem dixerunt, quòd centonibus cum tomento maxima sit cognatio. Germanicam nomenclaturam ab eius facultate aduersus dysenteriam illi inditam esse nemini non notum est.

Gnaphaliū quare dictum

Cētuncu-lus cur vocata.

GENERA.

Duùm esse videtur generū: vnum enim paulò latioribus ac candidioribus foliis constat: alterū verò tenuioribus & minus candidis, quodq; flores in summitate ac cacumine tātùm profert. Verùm cùm forma parum admodum, facultatibus verò nihil distent, nos vna pictura genus vtrūq; complexi sumus.

FORMA.

candida & mollia Gnaphalium obtinet folia atque

atque adeò tomentia, floresq; luteos, radicem verò capillatam ac tenuẽ vt pictura ipsa mõstrat.

LOCVS.

Vulgaris herba vbique scatẽs Gnaphaliũ, in locis siccis potissimũ, interdũ etiã pinguibus proueniens.

TEMPVS.

Iunio & Iulio mensibus floret.

TEMPERAMENTVM.

Adstringit atque adeò exiccat Gnaphalium.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Gnaphalij folijs aliqui pro tomento vtuntur. Tamen faciunt hæc ipsa in austero vino pota ad dysenteriam.

EX GALENO.

Folia Gnaphalij mediocriter adstringunt, ac proinde quidam id exhibẽt ex austerorum vinorum quopiam dysentericis.

EX PLINIO.

Datur in vino austero ad dysenteriam, ventris solutiones, menses q; mulierũ sistit. Infunditur autẽ tenasmo. Illinitur & putrescentibus vlceri.

DE DIPSACO. CAP. LXXXII.

Dipsacus sativus & erraticus nobis est.

NOMINA.

Dipsacus Græcis, labrum veneris, Cardui veneris latinis, Virga pastoris officinis storis. & Chardo fullonum dicitur. Germanis karten distel, Bubenstrel, Vueberkarten (Gallicè Chardon à carder Alijs Verge à Bergier,

ou Chardon a Foullon) *Dipſaci autem nomen à contrario inuenit, quoniam concauo alarũ ſinu rorem vel imbrem recipiat, quo velut ad abigendas ſitis iniurias abutitur. Labri veneris nomenclationem à carinato foliorum habitu contraxit, quæ ſe anfractuoſa ſinuantia ambage, peluis vel lauacri ſpeciem conſtituunt, & intra ſe humorẽ nunquã non retinent. Virga paſtoris haud dubiè dicta eſt, ob longas virgas, quibus cardui ad poliendos pannos vtiles inſident, quas paſtores fortè ſumunt, & ea parte qua poſſit manu capi aculeis nudant, reliqua autem aculeata parte gregem ducunt. Carduus verò fullonius cœpit appellari, quòd ea rudes pannos velut echino quadam expoluunt, detractiſq; floccis concinnant. Errat mirum in modum Serapionis interpres, qui ſub Virgæ paſtoris nomine, Polygonon Dioſcoridis delineat.*

Dipſacus vndedicta

Labrũ veneris.

Virga paſtoris

Carduus fullonius.

Serapiõis interpres perſtringitur.

GENERA.

Duùm eſt genervm. Vnum quod à fullonibus in hortis plantatur, alterum quòd ſua ſponte paſſim prouenit. Differunt inter ſe hac quidem ratione quòd primũ folia latiora & profũdius in ambitu inciſa flores cãdidos, echinataq; capitula magis aculeata habeat: alterũ cõtrà anguſtiora & minus laciniata folia, flores purpureos, capitulá que minus aculeata obtinet. Nos diſcriminis illius rationẽ habẽtes, primi generis appellauimus Dipſacum album alterius verò Dipſacũ purpureũ, ad florum nimirum reſpicientes diuerſitatem.

FOR

FORMA.

Aculeatarũ generis est hæc herba. Caulem habet altum, spinis horrentem, folia caulem amplectentia, lactucæ similia, in singulis geniculis bina, oblonga, aculeis armata, quæ in dorsi medio veluti bullas intus & extrà spinosas habent, concauo quo se in geniculis coniungunt sinu, quo aquæ, rores, & imbres asseruantur, vnde Dipsaci quasi sitientis nomen traxit. In cacumine caulis, singulis surculis capitulum vnũ echino simile inest, oblongum, aculeatũ, quod postquam exaruerit candidũ apparet. Dissectum per mediam medullam caput, vermiculos habet. Quod si itaque contempleris eãm quam herbarij hodie Virgam pastoris & Carduum fullonum nominant herbam, offendes omnes hunc notas respondere. Siquidem hæc pastoria virga profert caulem binùm cubitorum, imò qui sæpiusculè supra hominis altitudinem increscat, spinis horridum, geniculatum, folia lactucæ, in singulis geniculis bina, prælõga, aculeata, quorum toruli bullantibus turgent spinis, dorsoq; nocentibus aculeis rigẽt, carinato alarum sinu, qui peluis vel labri modo roris & imbris pluuij capax sit. Gnaræ laticis huius auiculæ, cùm solis ardentissimus opprimit æstus, huc appelluntur ad satianda sitis desideria. illis facta bibendi potestate anfractu liberalem potum ministrante. Scaporum fastigia echinato minantur vertice, resupina hamulorum flexura, mucroni-

busq; leuiter vncinatis, quibus rude lanificium aspero ductu læuigatur. Singuli echini è rotundo in oblongum quodantenus turbinantur, inter quorum spicula cadicans aut purpureus emicat flos. His dissectis in medullo vermiculos identidem nobis in autumno quū exiccari incipit licet inuenire. Vermiculus aūt albus est, qui per ciuitatē echini dimouetur, & in caudicē transit. Hyeme etiā eundē videre licebit antequam præ frigore moriatur. Imò etiā veris initio in quibusdā vermiculi à nobis reperti sunt, partim viui, partim mortui.

Vermiculi in echinis Dipsaci inuenti.

LOCVS.

Nascitur humectis locus, iuxta riuos aquarum & fontes: quapropter nonnulli Dipsacon à Græcis nominatum esse arbitrantur.

TEMPVS.

Carpitur in æstate, Iunio & Iulio potissimū mensibus.

TEMPERAMENTVM.

Dipsaci spinæ radix ex secūdo ordine exiccantium est, habetq; nonnihil abstersorium.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Huius radix cum vino decocta & tusa vsq; dū cerati crassitudinē accipiat, imposita rimas fistulasq; sedis sanat. Oportet aūt medicamentum hoc ærea pixide recondere. Ferunt præterea formicis & verrucis pensilibus remedio esse. Vermiculi capitis eius in folliculo clausi & collo aut brachio appensi, quartanas sanare produntur.

EX

EX PLINIO.

Sanat rimas sedis, item fistulas decocta in vino radice vsq; dum sit crassitudo ceræ, vt possit in fistulã mitti. Itẽ verrucas omniũ generũ. Quidã & alarum, quas modò diximus, succũ ijs illinũt.

APPENDIX.

Aliæ facultates quæ à Serapionis interprete & alijs recentioribus illi conceduntur, nõ sunt genuinæ, sed spuriæ, & Polygono adscribendæ.

DE DAPHNOIDE. CAP. LXXXIII.

NOMINA.

Daphnoides Laureola. Germanis.

Ἀφνοειδὴς Græcè, *Daphnoides* Latinè nominatur, *Officinis & nostræ ætatis herbarijs, græcam imitantibus vocem*, Laureola. Germanis zeilant, & zeidelpast. (Gallicè de la Laureolle.) *nuncupatur. Daphnoides autem & Laureola à lauri forma & specie, quàm in foliis & fructu refert, dicta est.*

Daphnoides vnde dicta.

FORMA.

Frutex est cubitalis, ramos complures habens lori instar flexiles, à medio sursum versus folioso. Cortex ramos vestiens admodum glutinosus lentúsue est. Folia Lauro similia, molliora tamen, tenuiora, nec facilè fragilia, os & fauces erodentia, incendentiaq;. Flores candidi. Fructus vbi ematuruerit subniger. Radix inutilis. Quæ in vniuersum omnes notæ Laureolæ hodie dicta conueniunt. Nec obstat quòd Dioscorides suæ Daphnoidi candidos tribuat flores, cùm Laureola purpurascẽtes potius habeat, solet

Obiectionis dissolutio.

enim color secundum diuersas regiones in eadem sæpe herba mutari, vt fusius in Symphyto maiore dicemus. Et certè nihil incommodi erit si etiam Laureolæ flores quispiam candidos dixerit, cùm alibi coloris non minor quàm purpurei in ijs portio reluceat. Verisimile quoq; est Dioscoridem ab extremo potius colore, quàm medio flores appellare voluisse.

LOCVS.

Nascitur in montanis & syluestribus locis.

TEMPVS.

Floret primo statim vere antequam folia erumpunt. Fructum autem autumno profert.

TEMPERAMENTVM.

Calida est admodum & sicca.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Ducit per inferna pituitosa siccum aut recens Daphnoidis folium. Vomitus & menses cit. Commanducatum capitis pituitas elicit. Sternutamenta itidem mouet. Purgant etiam seminis eius pota grana quindecim.

EX PLINIO.

Daphnoides siue syluestris laurus aluũ soluit, recenti folio vel arido drachmis tribus cum sale & hydromelite manducata. Pituitas extrahit folium & vomitus. Stomacho inutile. Sic & baccæ quinæ denæue purgationis causa sumuntur.

APPENDIX.

Animaduertendum hoc loco mirum in modũ errare

errare officinas, propterea quòd foliis Daphnoidis pro Mezereon, quæ tamen Græcorum est Chamelæa diuersa admodum à Daphnoide, vtantur: & eius fructu pro cocco cnidio, quòd fructum Thymelææ esse notius est quàm vt demõstrari debeat. Sic in manifestissimis cæcutire solent officinæ, pulchrè interim ad eos errores conniuentibus medicis, non minus quàm illi rei herbariæ imperitis. Officinarũ error.

Thymelæa nõ est laureola.

Thymelæan verò nõ esse laureolam hodie appellatam herbam, ex eo colligi potest, quod hæc ipsa, Dioscoride autore, linum nonnullis nominata sit, nõ aliâ quidẽ ratione, quàm quòd satiui lini similitudinẽ referat, cui quàm dissimilis laureola sit nemo non nouit. Sunt etiam qui ad hanc similitudinem respicientes, in hodiernum vsque diem linum syluestre appellant.

DE DRYI. CAP. LXXXIIII.

NONINA.

A Põ Græcis, Quercus Latinis & Officinis, Germanis Eychenbaum (Gallicè Vng chesne) appellatur.

FORMA.

Notissima est arbor Quercus, procera, crassiore & asperiore caudice, ramosa, foliis profunde laciniatis. Glandes producit optimas, & grandissimas, gallas item & viscum. Radix eius latissimè circumiacentem terram amplectitur.

LOCVS.

Passim in syluis aliisq; locis nascitur.

TEMPVS.

Vere quidē germinat, sed tardius multis alijs arboribus. TEMPERAMENTVM.

Desiccat, adstringit & ex calfacit paulo infra media, in genere scilicet eorū quæ tepida sunt.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Quercus omnis adstrictoriā facultatē habet, præsertim id quod inter corticē & caudicē membranæ simile clauditur: quinetiā mēbrana putamini glandis subiecta, Decoctū ex ijs datur dyssentericis & sanguinē excreātibus, et in pessu tritū contra fluxiones mulierū apponitur. Glandes idē possunt. Vrinā ciunt, capitis dolorē, & flatus comestæ pariunt. Resistunt esitatæ venatorum icti bus. Decoctum corticis cū lacte bubulo potū, contra toxica pdest. Crudæ aūt tritæ & illitæ inflāmationes leniūt. Ad malignas duritias, & malefica vlcera cū adipe suillo salso cōueniunt. Galla fructus est quercus. Aliqua omphacitis appellatur, parua quidē, præ se ferēs formā in digitus articulorū, solida, nullo foramine pervia. Altera leuis, plana, perforata. Eligi debet omphacitis quæ efficacior est. Vtraq; vehementer adstringi. Carniū excrescentias tritæ, fluxiones gingiuarū & columellæ, atq; in ore aphthas reprimūt. Nucleus earū cauernis dētiū inditus, dolores sedat. Crematæ carbonibus donec igne flagrēt, & vino aut aceto, aut oxalme extinctæ, sanguinē reprimūt. Decoctum earū ad insessus vtile, cōtra vuluæ procidentias.

tias, fluxiõesq;. Capillos denigrãt aceto aut aquæ maceratæ. Cœliacis, dysentericis, cum vino aut aqua trita cõuenienter illinũtur aut bibũtur. Vtiles & obsonijs mixtæ, aut integræ in aqua præcoctæ, in qua aliquid coquendũ sit quod ipsis cõferat. In summa, gallavtẽdũ quoties opus est adstrictione & exiccatione. EX GALENO.

Quercus oẽs partes adstrictoriæ facultatis participes sunt: Sed plus tamen quæ in trunci cortice mẽbrana subest, tum quæ sub glandis putamine, ea videlicet quæ fructus carnẽ conuestit. Quamobrem ad fluxum muliebrem, sanguinis expuitiones, ventrisq; diuturnos fluxus, commodã esse credunt. Maximè verò ea vtuntur decocta. Siquidẽ ego quandoq; glutinasse me vulnus memini securi inflictum, quũ nullum ad manum esset medicamentũ præter ipsius Quercus folia. Terebam verò in leui saxo, & vulnus cum circũiacentibus locis illinebam. Eandẽ folijs vim habet & fructus Quercus, eoq; medici nonnulli ad incipientes, & crescentes phlegmonas vtuntur. Nam quæ tã vehemẽtes sunt, adstringentibus haud indigẽt. Galla quæ omphacitis nuncupatur, admodũ acerbum est medicamentũ, plurimũ terrenæ & frigidæ substantiæ particeps, per quam desiccat & reprimit fluxiones: adhæc cõstringit contrahitq; partes laxas ac languidas, omnibusq; fluxionũ affectibus strenuè resistit. Esto verò tertij in desiccãdo, secundi autem in refrigerando ordinis. Altera autem

gall

galla, flaua, laxa, & magna, exiccat quidē etiā ipsa, sed tanto, quāto acerbæ qualitatis minus est particeps. Cocta itaq; ipsa per se, ac deinde trita cataplasma nō instrenuum est sedis phlegmonarum, ac procidentiarum. Porrò coquenda est in aqua, si modica opus sit adstrictione: sin vehementiore, in vino. Et si augere insuper adstrictionē sit opus, vino etiā vtare austeriore. Denique gallæ cō bustæ sanguinis reprimendi facultatem acquirunt, ac nimirum etiam calorem & acrimoniam ex vstione assumunt, suntq; ijs quæ ignem nō expertæ fuerint, tum subtiliorum partium, tum maiore desiccandi potestate. Cæterùm quum ad sanguinis suppressionem præparare eas voles, carbonibus impositas dum vndequaq; cādeant, aceto aut vino extinguere oportebit.

Vsta acrimoniā assumunt.

EX SIMEONE SETHI.

Glandes difficilis sunt coctionis, & valde nutriunt, tardius descendunt, crudosq; humores generāt propteraq; illarū vsum deuitari præcipimus.

DE DAVCO. CAP. LXXXV.

Dauci primum genus nobis tantum frequens.

NOMINA.

Δαῦκος Græcè, Daucus Latinè nominatur. Officinæ alijs & adulterinis herbis sub hoc nomine vtuntur. Germanicas appellationes in generum explicatione indicabimus.

GENERA.

Dioscorides tria Dauci commemorat genera.

Prim

Primum Creticum daucum vocat. Germanis Bernuurtz, (*Gallicè* Carorte sauluaige, ou panet sauluaige) *propter capillatam radicẽ, aut quia vteri dolorem, qui ijdsem* Bermuter *appellatur, sanat. Alterum nomine peculiari caret, foliis Laserpitio simile, Germanis* Vueisz Hirtzuurtz *dicitur. Tertium genus itidem nomine destituitur proprio, Germanis autem nonnullis,* schuuartze Hirtzuurtz (*Gallicè* Ces deux autres les herbiers appellent asinia ni daucum) *nominatur.* *berruurtz cur dicta.*

FORMA.

Creticus daucus folia Fœniculo similia habet, minora tamen & tenuiora. Caulem dodrantalem, vmbellam Coriandro similem. Flores candidos, & post hos semen acre, candidum, hirsutum. & in commanducando odoratum. Radicẽ crassitudine digitali, & longitudine dodrantali. Omnes huius descriptionis notæ, herbæ quam Beruurtz *Germani vocant conuenire ad vnguem videntur, vna dũtaxat excepta: siquidem semen non est hirsutum. Sed quum omnia alia, atque adeò facultates etiam ipsæ respondeant, non est cur vna hæc nota nos impediat, cur minus Creticum daucum credamus, aut saltem Germanicum qui Cretico per omnia respondeat. Vel si prorsus alicui non satisfaciunt, quæ diximus, dicat planè hanc herbam esse Seselin Creticum, cuius etiam herbæ notæ omnes huic nostræ conueniunt, neque* Creticus daucus.

etiam

etiam facultates quas similes Dauco cretico habet, discrepant, Alterum Apio syluestri, vel, vt antea diximus, Laseritio simile est: aromatum modo odoratum, acre, gustanti odoratum & feruens. Tertium foliis Coriandro assimilatur, flore candido, capite & semine Anethi, in quo vmbella erraticæ Pastinacæ similis est, semine oblongo plenum, sapore vt Cuminum acri.

LOCVS.

Primum in petrosis & apricis locis nascitur, nusquam verò in Germania copiosius, quàm in Martianæ syluæ quibusdam pratis prouenit. Reliqua duo genera in altis montibus gignuntur.

TEMPVS.

Iunio & Iulio mensibus florent.

TEMPERAMENTVM.

Semen Dauci admodum calefacit & exiccat. Idem etiam, sed minori efficacia, facit herba.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Omnium Daucorum semen calefaciendi vim obtinet. Potum menses, fœtus, & vrinas mouet. Torminibus liberat. Tusses diutinas lenit. Succurrit Phalangiorũ morsibus cum vino potum. Oedemata illitum discutit. Ex aliis seminis tantùm vsus est, ex Cretico radicis etiam, quæ cum vino præsertim ad venenata bibitur.

EX GALENO.

Dauci semen efficax admodum tum mouendæ vrinæ medicamentum, tum prouocandis mensibus.

sibus. Multum etiam discutere foris impositum valet. Ipsa etiam herba eandem vim obtinet, semine tamen inferiorem, nimirum ob aqueæ humiditatis misturam.

EX PLINIO.

Vehementer vrinam impellit. Creticum magis contra serpẽtes pollet. Bibitur è vino drachma vna, datur & quadrupedibus percußis, aduersatur phalangio, capitis dolori medetur, tußi subuenit, stranguriæ medetur drachma seminis. Eius radix in vino pota, dysenteriam sistit. Contußis et euersis potũ duobus obolis in mulsi cyathis tribus subuenit, aut si febris adsit in aqua mulsa Menses & secũdas potũ facilimè pellit. Calculos eẽcit. Folia omnia tela infixa corpori extrahunt.

DE DRACONTIO MAGNO.

CAP. LXXXVI.

Dracunculus serpentaria vulgò

NOMINA.

Δρακοντια μεγάλυ, ἢ δρακοντιον μέγα Græcis, Dracunculus maior Latinis, nonnullis Serpentaria maior dicitur. Officinis ignota herba. (Germanis Schlangen kraut) Galli Serpentail, ou Serpentine) vocant. Nomen aũt à figura sumpsit: caulis enim glaber, purpureisq; respersus lituris, versicolori facie, corpus anguinũ repræsentat & æquat longitudine. Vertex quoq; sinuoso oris hiatu linguam exerens cruentam, caput exprimit. Atque hinc est quòd veteribus

Serpẽtaria maior.

Dracuncula figura sumpta. lusvnde di cta.

etiam

Colubrina etiam Romanis Colubrina ac Serpentaria nuncupata sit, vel sic dicta, Plinio autore, quòd è terra ad primas serpẽtium vernationes exeat, rursusq; cum ijsdem se in terram recondat, nec omnino occultata ea appareat serpens.

FORMA.

Caulem habet glabrum læuumq;, rectum, bicubitalem, baculi crassitudine, versiculorem, vt angui similis videatur, purpureis etiã maculis abundat. Folia fert Rumicis inflexa, & plicata. Fructum in summo caule racemosum, coloris inter initia cineracei, postea quàm maturuit crocei et puniceí. Radicem grandem, rotundam, candidam, tenui cortice vestitam. Ex qua delineatione omnibus perspicuum fit, plantam eam cuius picturam exhibemus, esse Dracunculum maiorem. Simplici enim caule attollitur, binùm cubitùm alto, læui glabróue, recto, baculi crassitudine versicoloribus anguium maculis variegato, purpureis etiam intercursantibus lituris, ita vt planè serpentis habitum coloremq; mentiri videatur. In vertice como so folia prodeunt sena septenáue. crassiore pediculo digitorum modo propendẽtia, puniceis respersa notis, Rumicis primi generis figura. E foliato scapi fastigio, vagina quædam foris herbacea prosilit, in mucronẽ sensim turbinata, velut erupturi partus inuolucrum, quæ cum dehiscens sese pandit, purpureum cornu in acumen fastigiatum demonstrat. Ea seminis incremẽto distenta dissilit in rimam,

mam, & tandem elanguescens flaccescit, subarescénsque perit relicto cornu. Cuius imam partem racemosus fructus ambit, acinis primò virētibus dein croceo & puniceo colore rutilantibus. Radix denique magna, rotunda, alba, tenuiq; cortice vestita. Et in summa, nulla est prorsus nota, quæ reclamare videatur.

LOCVS.

Nascitur in opacis sepibus.

TEMPVS.

Carpitur semen cū maturitate nigrescit. Radix per messem effoditur, hoc est, Iulio mēse, aut initio Augusti.

TEMPERAMENTVM.

Dracunculus acris & amarus est, leuculīq; quandam adstrictionem habet, vt calidam et siccam esse nullus dubitare possit.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Radix calefaciendi vim obtinet. Tosta & elixa cū melle delicta orthopnoicis, ruptis, conuulsis tussibus, & destillationibus prodest. Pota cum vino venerem stimulat. Consisa & ex melle illita, vlcera maligna atque phagedænica expurgat, præsertim cum vite alba. Ex ea & melle collyria ad fistulas, & fœtus euocandos componuntur. Ad vitiligines cū melle efficaciter illinitur. Polypos & carcinomata absumit. Succus eius ad oculorum medicamenta, item contra nubeculas, albugines, caliginemq; vtilis est. Odor herbæ ra

r dicisq;

dicisq;, recens conceptos abortu vitiat. Idem præstant triginta grana eius in posca pota. Sunt qui eius succum cum oleo aurium doloribus infundere. Quinetiam folia eius, vtpote adstringentia, vulneribus recentibus imposuere, in vino autẽ cocta pernionibus. Ferunt non feriri à vipera eos qui folia manibus affricuerint, aut raduẽ gestauerint EX GALENO.

Dracuntium quiddam Aro persimile habet, tum foliis, tum radice. Acre etiam est & amarũ tenuiumq; partium obtinet quoque leuem quãdã adstrictionem, quæ quandoquidem cum prædictis duabus qualitatibus, acri scilicet & amara, coniuncta est, medicamentum factum est, vtique maximè efficax. Nam radix viscera omnia expurgat, crassos potissimum & lentos humores extenuans. Optimũq; remediũ est contumacium vlcerum. Expurgat extergetq; strenuè tum alia q̃ extersionem desiderant, tum alphos cũ aceto. Folia quoque, vt pote similem facultatem habẽtia, vlceribus, vulneribusq; recèns inflictis accommoda sunt, & quanto minus fuerint sicca, tãto magis conglutinant. nã quæ sicciora sunt, viribus sunt acrioribus quàm vt vulneribus conueniãt. Creditum est caseum humidum si illis foris tectus reponatur, ob temperaturæ illorum siccitatem, à putredine conseruari. Fructus valentior est, nõ foliis tantùm, sed & radice: proinde & cancros, et polypodas eliquare creditus est. Succus quoque eius

ius vitia oculorum expurgat. Dracontij radicem bis terue elixã, quo omnem exuat medicamentosam vim, in cibo interdum Ari modo exhibemus quum crassi ac glutinosi thoracem pulmonemq; infestãtes humores fortiore vi expellendi veniũt.

EX PLINIO.

Omnino habentem Dracunculũ serpentes fugiunt. Ideo percussis prodesse in potu maiorẽ aiũt vt & menses, si ferro non attingatur, sistat. Succus eius & aurium dolori prodest. Reliquas facultates in Ari descriptione offendes. Videtur enim veteres Arum cum Dracunculo minori miscuisse.

APPENDIX.

Hæc est vera Serpentaria qua officinis vtendũ erit, & minimè ea quã alio nomine Bistortã vocant. Nam viribus planè ab ea quæ genuina est disidet, vt suo etiam loco monuimus. Quare nõ est cur deinceps eandẽ medicamentis quæ thoraci expurgando adhibentur admisceant medici, sed hãc potius, cuius picturam oculis subiecimus.

DE DAPHNE ALEXANDRINA CAP. LXXXVII.

Laurus Alexandrina binslingua & Bonifacia, mihi ex Germania delata visa est qualis hic pingitur,

NOMINA.

Ἀφνη ἀλεξάνδρεια, ἢ ἰδαία Græcis: Laurus Alexãdrina, aut Idæa Lat. officinis Vuularia. Vuularia nonnullis Bonifacia, multis etiam Pagana

lingua, Germanis zapflin kraut, hauckkatt, & auffenblatt dicitur. Theophraſtus appellat ἐπιφυλλόκαρπον, quòd fructũ ſuper folijs ferat.

Epiphyllo carpos.

Alexandrinam autem laurum dictam putamus quòd Alexander victor ea vſus fuerit. Hinc eſt quòd Apuleius hanc victorialem nominet, quòd nimirũ victores ea pro Lauro in triumphi & victoriæ ſignum vterentur, quanquam in eo capite Daphnoida cum Victoriala confundat. Idæa verò ab Ida monte, quo in loco ſpecioſior & copioſior naſcatur.

Alexandrina laurus cur dicta.

Victoriala Idæa.

FORMA.

Folia Ruſco ſeu Myrto ſylueſtri ſimilia habet maiora tamen, molliora & candidiora. Fructũ in mediis folijs fert rubentem, Ciceris magnitudine. Ramos ſpargit à terra dodrantales, & aliquando ampliores Radicem Ruſco ſimilem, maiorem tamen, odoratam, & molliorẽ. Ex qua ſanè delineatione ſatis perſpicuum fit, eam herbam cuius picturam damus, eſſe Laurum Alexandrinam. Folio ſiquidem Myrti ſylueſtris, ſed vt Plinius lib. xv. cap. xxx. ait, acutiore, molliore, & cãdidiore, fructu inter folia rubro, magnitudine Ciceris, ramulis à terra ſparſis dodrantalibus, radice ſylueſtri, Myrto proxima, odorata & molli.

LOCVS.

Naſcitur in locis montanis, & in Ida monte, vt comprehenſum eſt. ſpecioſiſſima. Nunc adfertur ex inferiore Pannonia, atque in nõnullis hortis plantata prouenit.

TEM

TEMPVS.

Fructum in æstate in medio folij, in geniculo alterius folij quod maiori supernascitur, profert.

TEMPERAMENTVM.

Calida & sicca est, id quod gustus euidenter monstrat. Si quidem gustantibus acris simul & subamara est.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Radix eius pota pondere senum drachmarum cum dulci vino, difficulter parientibus, & stillicidio vrinæ laborantibus succurrit. Sanguinem quoque menstruum elicit. EX GALENO.

Pota tum vrinas, tum menses prolicit.

EX PLINIO.

Celeres partus facit, radice pota trium denariorum pondere, in vini dulci cyatis tribus. Secundas etiam pellit menses q; eodem modo pota.

APPENDIX.

Recentiores in faucium vlceribus, & humectæ supra modum columella vtuntur. Hinc est quòd nonnulli appendant hanc herbam pueris, vt nimia illorum humiditas exiccetur.

DE EPHEMERO NON LETALI.

CAP. LXXXVIII.

Ephemerum non lethale quod nonnulli Hemerocalles, alij Lilium cõuallion alij grãd Muguet dicunt.

NOMINA.

Ἐφήμερον, ἢ ἶρις ἀγρία, Græcis, Ephemeron,

Iris sylueſtris Latinis dicitur. Cum autem Galeno, Paulo, & Dioſcoride teſtibus, duo ſint Ephemeri genera alterum, quod Colchicon à natali ſolo dicitur, interficiens, de quo ſuo loco plura: alterum quod non letale, eſt & præcipuo nomine Ephemerũ dicitur, hic de ſecundo, nempe non interficiente, nobis ſermo duntaxat erit. Ephemerũ autem nominatum eſt, non quod eadem die ingu

Ephemeri duo genera.

let (nulla enim ei vis mortifera ineſt) ſed quòd flos illius confeſtim marceſcat, nec longius vno et altero die commoretur. Vulgus & officinæ Liliũ conuallium, quòd in opacis & lucis naſcatur appellant Germani May enblumle (Gallicè du Muget.)

Ephemerum cur dictum.

FORMA.

Caulem & folia Lilio ſimilia habet, tenuiora tamen. Flores candidos amarosq;. Fructum mollẽ Radicem vnam digitali craſsitudine, lõgam ad ſtringentem, odoratam. Quæ ſiquidem delineatio ita herbæ illi quam vulgus Lilium conuallũ nominat, conuenit, vt nulla prorſus in ea ſit nota, quæ ei non reſpondeat. Caulem enim & folia Lilij habet, ſed tenuiora. Flores candidos & ſuauiter olentes, guſtu amaros. Fructum mollem, colore puniceum. Aſparagi fructui nõ diſsimilẽ. Radicem ſingularem digiti minimi craſsitudine, longam adſtringentem & odoratam. Nec obſtat quòd nunquam aut rariſsimè apud nos reperiatur radix quæ minimi digiti craſsitudinem æquet. Dioſcorides enim cùm alicui herbæ aut radi

Lilium cõuallium.

Obiectio diluitur.

ci men

ti mẽſuram tribuit, id facit vt maiori parti individuorum illius ſpeciei quadret, nec adeò ſtatam menſuram aſſignat, quin quandoque infra aut ſupra hanc eſſe poſſit. Cui hoc etiam accedit, quòd magnitudo ſecundum diuerſas regiones in vna eademq; herba ſæpe variatur, ita vt nihil mirũ ſit radices noſtri Ephemeri, paulò quàm illius quas Dioſcorides vidit minores eſſe.

LOCVS.

Naſcitur in ſyluis & vmbroſis locis.

TEMPVS.

In Maio menſe flores illius magna copia eriũpunt, ac mox iterum euaneſcunt atque decidunt. Deinde Iulio menſe fructus profertur. Aſparago haud diſſimilis, vt dictum eſt.

TEMPERAMENTVM.

Miſtæ eſt temperaturæ, Galeno teſte, nempe repellentis & diſcutientis, quia ſcilicet radix adſtringit, floresq; amari ſunt.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Huius radix in dentium doloribus remedio eſt, ſi decocto eius colluntur. Folia in vino decocta & illita, œdemata & tubercula, quæ nihil adhuc puris contraxerunt, diſcutiunt. Τὸν γὰρ & νὸ ὕγρον legendũ, vt ex Gale. liquet. EX GALEN.

Ephemerum non illud letale, quod etiã Colchi cũ nominant, ſed alterum, quod & Irin agreſtẽ vocant, folia & caulẽ Lilio ſimilem obtinet, radicẽ oblongam, non rotundam ceu Colchicum: di-

giti autem potissimùm crassitudine est, adstringens & boni odoris. Ex quibus palàm fit quòd mistæ sit facultatis, nempe repellentis, & halitu digerentis. Testificantur verò id quæ particulatim edit opera. Siquidem non inefficaciter radix eius in dentium doloribus colluitur. Folia tuberculorum tum augmento, tum vigori congruunt. Oportet autem in vino decocta prius quàm pus moueas illinere.

EX PLINIO.

Radicem vnam digiti crassitudine obtinet, dentibus præcipuam concisam in aceto, decoctáq; vt tepido colluantur. Et ipsa etiam radix mobiles sistit, cauis & exesis imprimitur.

APPENDIX.

Recentiores roborare cor, iecur, cerebrumq; tradunt. Hinc est quòd eius succum aut decoctũ syncopa, vertigine, morbóque comitiali correptis, attonitis. & phreneticis exhibeant Cæterùm incipienti elephantiæ, ne latius serpat, & altius radices agat viam præcludere scribunt. Ocularij medici ad oculorũ caligines discutiendas eo etiam vtuntur.

DE ELENIO. CAP. LXXXIX.

Eleniũ vulgò cum Latinis Enula Campana.

Enula cãpana.

Eleniũ vnde dictũ.

NOMINA.

Ἑλένιον Græcis, Elenium & Inula Latinis, officinis Enula, rusticis Campana, vulgò iũctis vtrisque vocabulis Enula campana dicitur.

Germa

Germanis Alant, *Elenium autem ab Helenæ lachrymis, è quibus natum fabulantur, quidam dictum esse volunt. Alij quoniam contra serpentes ex eo primùm ab Helena remedium inuentum sit.*

Eleniũ vnde dictũ.

FORMA.

Caulem ex se mittit Elenium crassum, hirsutum, cubitalem, & aliquando maiorem (interdũ enim iustam hominis staturã altitudine æquat) angulosumq; Huic supernè lutei flores insident, & in his semen Verbasco simile, tactu pruritum excitans. Folia angustifolio verbasco similia obtinet, lanuginosa tantùm & oblonga. Radicem subruffam, odoratam, magnam, subacrem, ex qua ad constitionem Liliorum aut Ari instar, pingues propagines appendicesue auferũtur. Hæ siquidem notæ Enulæ campanæ vulgò dictæ pulchrè quadrant, neque obstat quòd non in cunctis Græcis exemplaribus omnes illæ habeantur, cùm in nonnullis, ijsq; probatissimis saltem legantur. Sic marcellus Vergilius Florentinus in suis quos edidit in Dioscoridem commentarijs testatur, sibi visum esse antiquissimum ac probatissimũ codicem, in quo adhuc omnes seruẽtur. Et certè nihil absurdi committemus, si nonnullas Dioscoridẽ notas subticuisse dicamus, cùm euidentissimũ sit Inulam non passim vna forma præditam nasci, quando, eodem Dioscoride teste, in quibusdam locis caulem haud emittat: in irriguis denique procerior & elegãtior, quã in siccioribus proueniat.

Obiectio diluitur. Marcellus Florẽtinus

r 5 Huc

Huc accedit quòdalius sæpe notas etiã admodũ ne cessarias prætermittat

LOCVS.

Nascitur montanis, vmbrosis, & siccis locis. In hortis etiã passim hodie plantatur.

TEMPVS.

Radix æstate offoditur, & cõcisa siccatur. Floret Iulio mense.

TEMPERAMENTVM.

Elenÿ radix non primo statim occursu axalefacit, ac proinde non dicenda est calida & sicca exactè, ceu mel & piper album, sed cum recremẽtitio humore.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Radicis Elenÿ decoctum potum, vrinam & menses ducit. Ipsa denique in eclegmate cum melle sumpta, tussi, ortopnœæ, rupturis, conuulsionibus, inflationibus, venenatorum morsibus prodest calefaciendi vi quã in vniuersum habet. Folia eius in vino cocta ischiadicis vtiliter illinũtur. Radix etiã Elenÿ in passo condita, stomacho vtilis est. Si quidẽ salgamarÿ paululum siccatam eã, mox decoctam, frigida aqua demergunt, postremo in defrutum coniectam ad vsum recondunt Ea trita & pota sanguinem excreantibus auxiliatur

EX GALENO.

Elenÿ radix maximè vtilis est. Eclegmatis q̃ faciunt ad educendos lentos & crassos qui sunt in thorace & pulmone humores commodè miscetur Rubrificant quoque ea partes frigidis & diutur vexatas affectibus, cuiusmodi sunt nonnullæ co-

xarũ paſsiones, iſchiadas vocant, & exiguæ aſsiduæq; quorundam articulorum præ humiditate luxationes.

EX PLINIO.

Inula à ieiunis commanducata dentes confirmat, ſi vt eruta eſt, terram non attingat. Condita tuſsim emendat. Radicis verò decoctæ ſuccus tineas pellit. Siccata autem in vmbra farina tuſa, & conuulſis, & inflationibus, & arteryis medetur. Venenatorum morſus abigit. Folia ex vino lumborum dolori illinuntur. Superſtitioſum.

DE EVPATORIO. CAP. XC.

Eupatorium Agrimonia.

NOMINA.

Εὐπατώριον, ἀγριπατώριον Græcè Eupatoriũ & Hepatorium Latinè, officinis Agrimonia dicitur. germanis Oder menig, Bruchurutz (Gall. de Lempatoire ou aigremoine Eupatorium ab Eupatore rege, qui illam primus inuenit, nominatam eſſe volunt Hepatorium verò quoniam iocori præcipuè medeatur. Agrimonia Eupatoriũ cur dictũ. Hepatorium.

FORMA.

Fruticoſa eſt herba, vnum, interdum alterum etiam ſcapum efferẽs, tenuem, lignoſum, rectum, nigrum, hirſutum, cubitalem, aut etiam maiorẽ Folia per internalla partibus potiſsimum inciſa quinque & aliquando pluribus. Quinque foly vel Cannabis potius folyis ſimilia, nigricantia, & ſerræ modo in extremitatibus inciſa. Semen à medio caule enaſcitur, deorſum

orsum inclinatum, hirsutum, adeò vt siccatum vestibus hæreat. Hæ delineatiões adamußim, nulla reclamante nota, herbæ quam vulgus & officinæ vocant Agrimoniam conueniunt. Quapropter hanc verum & genuinum esse Eupatorium facilè deprehendet, qui singulas descriptionis partes diligenter expendet. Siquidè Agrimonia fruticosa est herba, scapum vnum aut alterum obtinens, lignosum, tenuè, rectum, nigricantem, hirsutum, cubitalem vel masculum. Folia ex internallis Cannabina, aut Quinque folio similia, quinque partita vel plurifariam incisa per ambitum serrata. E medio caule semen erumpit deorsum spectans, sublhirsutum, vt resiccatum vestibus adhæresçat. Proinde præfracta quadam ac immedicabili cæcitate captos esse eos iudico, qui hoc ipsum hodie non animaduertant.

Agrimonia est verũ. Eupatorium.

LOCVS.

Nascitur passim locis montosis, campestribus etiam, pratis nempe, & circa sepes.

TEMPVS.

Capitur in æstate, dum floribus abundat.

TEMPERAMENTVM

Eupatorium herba tenuium partium, incidendi extergendiq; facultatem citra manifestam caliditatem obtinet. Inest ei & adstrictio modica.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Contrita huius folia & cum veteri suillo adipe imposita, vlceribus difficile cicatricem contrahentibus

hentibus medentur. Semen aut herba in vino potata, dysentericis, iecinorosis, & serpentium morsibus auxiliatur.

EX GALENO.

Obstructiones iecoris expurgat & robur huic visceri addit.

EX PLINIO.

Semen dysentericis in vino potũ auxiliatur vnicè.

DE EVPHRASIA. CAPVT XCI.

NOMINA.

HAVD dubiè Euphrasiæ herbæ nomen à Græcæ linguæ imperitis pharmacopolis deprauatum est cùm olim εὐφροσυνη dicta sit, quòd nimirum oculos, quorum caliginem discutit, delectet. Ad quod nomen Germani nostri pulphrè alludentes Augentrost, hoc est, oculorum solatium appellant. Nonnulli hac quoque ratione motiophthalmicam & ocularian nominãt. Officinæ, vt ferè in omnibus alijs herbis, corruptam vocem retinentes, Euphrasiam vocant. Etsi autẽ herba hæc Græco & eleganti nomine donata sit nihil tamen de ea, quòd sciam, apud veteres Græcos & Latinos nempè Dioscoridem, Plinũ, Galenum, adde etiam recentiores, Aëtium, Paulum, & Actuarium scriptum reperitur. Cùm verò appellatio ipsa Græcam testetur originem, videtur sanè à Buglosso veterum mutuata & desumpta esse. Vt enim hoc in vinũ conjectũ animi lætitiã

εὐφροσυνη cur dicta. Ophthalmica

parit

parit adeò εὐφρόσυνον dictum est ita etiam illa quia oculos iuuat & delectat, εὐφροσύνη appellari cœpit. Quam subinde voce imperiti linguæ, vt diximus, deprauantes. in Euphrasiã verterunt.

FORMA.

Hermolaus Barbarus. Herba est parua, palmæ vnius longitudine, Hyssopo similis, cauliculis purpureis folliȝ exiguis per ambitum serratis, floscules albicantibus, radice exigua & inutili. Nec obstat quòd Hermolaus immensæ eruditionis vir, libro tertio, capite decimooctauo sui Corollariȝ, luteolos esse dicit. is enim ad partem duntaxat florum respexit, quæ lutea esse euidenter apparet Certè si flores Euphrasiæ exquisitè consideres, neque prorsus luteos, neque in vniuersum etiam candidos esse deprehendes: tribus enim coloribus nempe purpureo, candido et luteo, vt pictura ipsa ostendit, maculati sunt. Quum verò portior florum pars candido colore cõstet, factum est vt fermè omnes herbam hanc depingentes, albos illi assignarint flores, nobis autem hos candicantes dicere placuit.

LOCVS.

Nascitur in apricis collibus, & pratis ferè oĩbus.

TEMPVS.

Inter autumni initia magna copia erumpit.

TEMPERAMENTVM.

Quas particulatim facultates obtinet abundè docent calidam & siccã esse herbam VIRES.

Viuntur. ea ad oculorum caligines & suffu-

sion

siones vel per se imposita, vel ex vino decocta. Memoriam etiam oculorumq; aciem redacta in pulverem, & in vino albo pota, mirificè roborat, amissamq; reparat,

Eleliſpha con vnde dicta.

DE ELELISPHACO. CAP. XCII.

Saluia minor frãca nobis dicitur. NOMINA.

Ἐλελισφακος Græcis, Saluia Romanis & officinis, Germanis S. Ibey appellatur. Porrò cum ipsa herba semper retorrida & exucca videatur, factum est, vt Græcis Eleliſphacon, quasi in tabem redacta, vel in syderationem flaccescens dicta sit, ἐλελίζω & σφάκος vocibus in vnam coalescentibus appellationem. Est autem σφάκος, seu potius σφάκελος, malum in plãtis quum per æstatem & ardentißimum canis æstum vt solis altius penetrante, humoreq; quo nutriuntur deficiẽte, languent & arescunt. Latini syderationem nominant. Saluia autem dicta latinis, quod ad multa, præsertim ad fœcunditatem, salutaris sit.

Saluia cur vocata,

GENERA.

Duo sunt Saluiæ genera, quemadmodũ etiam plebÿ abũdè nouerũt. Vnũ quod priuatim Eleliſphacõ, dicitur, ſqualidius folio & ſcabrius, lacunoſa facie præaſperum, multo latius, quaſi cultũ ſenſerit, adeò vt domeſtica aut hortenſis Saluia dici poßit Nos euidentiori diſtinctione vſi Saluium maiorem nominauimus. Germanis etiam groſz oder breyt Salbey (Gallicè de la Sauge) vocatur. Alterum folio læuius & contractius, quaſi

Saluia maior.

quasi syluestrem ob id referat figuram, syluestris Saluia appellari potest, minus etiam squalore ob situm est. Nos Saluiam minorem diximus Germani creutz Salbey, oder Klein Salbey, oder spitz Salbey, edel, Salbey (Gallicè de la Saulge franche) nominant. Dioscorides vtrunque genus sub vno Eleli sphaci nomine complexus est, quòd scilicet facultate nihil distēt, sed idem prorsus efficiant.

Saluia minor.

FORMA.

Frutex est oblongus, ramosus, quadrangulas & candidas virgas habens. Folia mali Cotonei effigie, oblongiora tamē asperiora, & crassiora, quæ sensim attritarum vestium modo hirsuta subalbida, vehementer odorata, sed virosa sunt. Semē in summis caulibus syluestri Ormino simile gerit. Hæc descriptio, nulla prsus reclamāte nota cū herba quā Saluiā vulgò vocant quadrat: nāque ea fruticosa est, rugosis folijs, extritarum latē ter vestium asperitatem scabritiamúe referentibus, incanis, vehementer odoratis, purpureo in spica flore, in aquilini rostri speciē falcato, semine syluestris Orimini, vt pictura graphicè mōstrat.

LOCVS.

Nascitur in locis asperis, & vtrunque genus hodie passim in hortis inuenitur.

TEMPVS

Carpitur in Iunio & Iulio mensibus, quando nimirum floribus & semine prægnans est.

TEM

TEMPERAMENTVM.

Eleliſphacos euidenter excalfacit, ac leuiter ad ſtringit.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Foliorum ramorumq; decoctum potum vrinã cit, menſes fœtusq; extrahit, Paſtinacæ marinæ ictibus auxiliatur. Capillos denigrat. Vulneribus herba vtilis eſt, ſanguinemq; compeſcit. Feri na tetrãe vlcera purgat. Pudendorum pruritus folliorum & ramorum decoctum cum vino, ſi eo abluantur ſedat.

EX AETIO.

Tradunt quidam ſuffitam Saluiam menſes immoderatè fluentes, & omnino muliebre profluuium compeſcere. Agrippa ſacram herbam vocauit, quàm prægnantes mulieres. ſi fluidæ laxæque fuerint, vtiliſimè comedunt: continet enim conceptum vitalemq; reddit: ac ſi ſucci huius heminam cum modico ſale quarto à ſecubitu die mulier potauerit, deinde viro miſceatur proculdubio concipiet. Aiunt in quodam Aegypti loco poſt ſæuas peſtilentias ab his qui ſuperſunt. ad ſuccũ bibendum mulieres cogi. plurimosq; inde produci, fœtus. Dato, inquit Orpheus, ſanguinem expuẽtibus ſucci Saluiæ cyathos duos. ieiunis cum melle bibendos, & ſanguis illico cohibetur, Tabidis pilulæ in hunc modum parantur. Spicæ nardi: Zingiberis ſingul. drach. ij. ſeminis Saluiæ aſſati triti et cribrati drach: viij. Piperis longi drach. xij. Pillulæ.

cum succo Saluiæ pilulas conficito, & mane ieiunis drachmam vnam exhibeto, eodemq; modo in vespere, ac postea aquæ puræ quippiã propinato.

EX PLINIO.

Menses Saluia cit & vrinas. Pastinacæ marinæ ictus sanat. Torporem autem inducit percusso loco. Bibitur cum Absinthio ad dysenteriã, Cum vino eadem commorantes menses trahit. Abundantes sistit decoctio eius poto. Per se imposita vulnerum sanguinem cohibet. Sanat & serpentium morsus. Et si in vino decoquatur, pruritus testiũ sedat. Partus exmortuos apposita extrahit, itẽ vermes aurium. Ad tussim laterisq; dolores bibitur. Contra scorpiones eadem & dracones marinos efficax. Contra serpentes quoque ex oleo perungi ea prodest.

DE SERPYLLO. CAP. XCIII.

Serpillũ vndedictũ

Serpillum nobis Serpolet.

NOMINA.

EPτυλλον Græcè Serpillum Latinè. Officinæ latinum nomen retinuerunt. Germanicè Quendel, Kinlin, Hunerkol (Gallicè Du Sarpolet) appellatur Serpillum autem, vt autor est Varro, ab eo quòd serpat tam Græcis quã Latinis dictum est: quoniam si quæ eius particula terram attingit, inibi radices demittit. Est enim vt Theophrastus libro sexto de plantarum historia, capite septimo ait, proprium quoddam eius ramulorum incrementum, quippe cũ possit in quantã

quãtã voluerit quispiã longitudinẽ trahi, adiecto illi pedamento aliquo, aut si prope sepes planetur, aut ex alciore loco aliquo deorsum demitatur: sic enim in longum protrahuntur: & ab hac planta in ramulis eius natura, quòd in longũ serpit, Græci & Latini peculiariter Serpillũ nominauerunt.

GENERA.

Duo eius genera. Hortẽse, quod germanicè heymischer Quendel dicitur. Syluestre, quod priuatim Zygis vocatur, quòd fortè eo iugarentur vites ζυγὸς enim Græcis interdum idem quòd latinis ligare & vincire significat. Germanicè simpliciter Quendel dicitur. Nos syluestris tãtùm Serpylli picturã damus

Serpyllũ hortense

Syluestre. ζυγις.

FORMA.

Hortẽse nõ dissimile est Origano, potissimum quòd ad folia & ramulos ipsos attinet, quos cãdidiores tãtũ habet, odore tamẽ prsus sãpsychũ repsentat. Rapit humi, & in rectũ nõ attollitur.

Hortense.

Syluestre cõtra humi nõ serpit, ser rectũ exilibus ramulis & lignosis attollitur, Rutæ foliis plenis, angustioribus tamẽ. Flosculos habet subpurpureos gustu acres, odore iucũdo, radicẽ multifidã. Plinius secus quã Dioscorides hortẽse serpyllũ nequaquã syluestre verò humi serpere asserit, adeo vt subesse in hoc mẽdã verisimile sit: res enĩ ipsa & viuæ herbarũ imagines satis testãtur. Dioscoridis sẽtẽtiã esse verisimilẽ. Dioscoridi subscribit Aëtius. Neq; mirũ est magis humi reptare cultũ, q̃ infirmius humoris copia est, at q̃ adeo ramis inualidioribus

Syluestre,

Plinij erratum

stare nequit, quàm sylueſtre, quod illo rigidius ac lignoſius exiſtit.

LOCVS.

Hortenſe non niſi ſatum prouenit, & Columella teſte, neque pinguẽ, neque ſtercoratũ, ſed apricum locum deſiderat, vt quod macerrimo ſolo naſcatur. Sylueſtre autem in petris, collibus, et montibus pleriſque copioſiſsimè naſcitur, ita vt eo quaſi veſtiri videantur.

TEMPVS.

Sylueſtre tota æſtate floret, hortenſe autem Iunio & Iulio menſibus.

TEMPERAMENTVM.

Serpyllum guſtu acre eſt, ob id calidum valde ita vt menſes & vrinam moueat.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Sylueſtre efficatius & maiori calefaciendi vi quàm hortenſe, atque ad vſum medicinæ aptius. Menſes trahit, & vrinã cit potum, Torminibus ruptis, conuulſis, iecinoris inflammationibus auxiliatur. A duerſus reptilia potum & illitũ. Capitis dolores ſedat coctum adiecto roſaceo, & aceto madefactum, Maximè verò lethargo & frenitidi conuenit. Sanguinis vomitum ſedat ſuccus eius quatuor drachmis cum aceto potus.

EX AETIO.

Serpillum ita calefacit vt menſes & vrinam ducat. Huius genus duplex, Sylueſtre efficatius calidiusq; hortenſi, atque omnino vſus eius in medicina præfertur. Prodeſt torminibus, cõuulſionibus

bus, rupturis, inflammationibus iecinoris, reptilibusq;. Potũ ac illitũ capitis dolores sedat. Madefactum autẽ aceto ac decoctum admixto rosaceo lethargicis, & diutinã phrenitum patiẽtibus summopere cõgruit. Præterea drachmæ vnius põdere ex aceto bibitũ, sanguinis eiectiones compescit.

EX PLINIO.

Aduersus serpẽtes efficax, maximè Cenchrin & Scolopẽdras terrestres ac marinas & scorpiones, decoctis in vino ramis foliisq;. Fugat et odore, cominus si vratur, & cõtra marinorũ venena præcipuè valet. Capitis doloribus decoctũ in aceto illinitur tẽporibus, ac fronti cũ rosaceo. Item phreneticis, letargicis, cõtra tormina & iecinorũ dolores. Folia obolis quatuor dantur ad lienẽ ex aceto. Ad cruentas excreationes teritur in cyathis duobus aceti & mellis.

EX PLINIO VALERIANO.

Serpyllum calydum, simul nobis vtile medicinæ vsus ostendit. Capitis dolores coctum ex aceto & rosaceo tẽpori ac fronti illitum mitigat. Serpentes & omnia animalia venenata adustũ nidore repellit. ideo & messoribus in cibo miscetur, vt si fatigatos fortè somnus oppresserit, tutè quiescant contra animalia quæ hoc tẽpore venenatis hausibus sæuire consueuerunt. Contusi puluis ex scrupulis. xij. in aqua datus tormina emendat, vrinæ difficultates resoluit, lienis quoq; iniuriæ idẽ puluis ex aceto mixtus occurrit. Nec minus cruẽtis excrea-

tionibus subuenit, ex duobus cyathis mellis et aceto temperatur.

DE ELYMO. CAP. XCIIII.

Panicum nomen retinet.

NOMINA.

ΕΛυμος Græcis, Panicum Latinis, Germanis Heydelpfenich, oder Fenich (Gallicè du panir semblable au millet) *dicitur. Panicum* vnde dictum. *cum autem à paniculis in quibus semen est, Latini appellauerunt.*

FORMA.

Milij similitudine prosilit, denis vt plurimum foliis luxurians, culmo penè in surculum extenuato, nutante, rubido panicularum fastigio, prædensis aceruato grano, aliàs purpureis, aliàs rufis, nigris aliàs, item & candidis.

LOCVS.

Satum facilè quouis ferè loco prouenit, leuem autem & solutam terram potissimum desiderat. Nec in sabuloso duntaxat solo, sed in arena quoq; nascitur, modo humidum cœlum, vel riguum solum sortiatur.

TEMPVS.

Quadragesimo die postquam satum est absoluit, vt omnia æstiua, inter omnes conuenit. Quocunq; igitur tempore satum fuerit, vbi semine prægnans erit, tum carpendum venit.

TEMPERAMENTVM.

Refrigerat et exiccat, præsertim si foris illinatur.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Milij similitudinẽ refert, eodemq; modo in pa-

ues

nes desingitur, & ad idem accõmodatum est, minus tamen quàm Milium nutrit & astringit.

EX GALENO.

Panicum facultate pauci nutrimenti, & exiccatoria. Sistit quoq; nõnihil vẽtris fluxus, ceu ipm etiam Milii. Panis itaq; eius exigui est alimenti & refrigerans. Cõstat insuper præaridum & instar arenæ aut cineris friabilẽ esse: caret enim penitus pinguedine & lentore. Iure igitur aluũ hu mentẽ desiccat, Agricolæ farina huius cocta admisto adipe suillo & oleo vescũtur. Panicũ in omnibus Milio cedit insuauius esu, cõcoctu difficilius, vẽtremq; magis coërcet, minusq; nutrit. Huius farinã interdũ cũ lacte coctã, rustici veluti triticã esitant. Clarumq; est id edulij tanto quàm illud per se solum assumptum melius esse, quãto lac huius seminis natura ad boni succi procreationẽ, aliaq; omnia eminentius habetur. Dico aũt alia omnia, cõcoctionẽ, ventris subductionẽ, in totum corpus distributionem, adeoq; ipsam in edẽdo suauitatem & voluptatem. Hoc nanq; semen nullæ gratia aut iucunditate commendatur.

EX PLINIO.

Panicum Diocles medicus mel frugũ appellauit. Effectus habet quos Milium. In vino potum prodest dysentericis. Similiter ijs quæ vaporanda sunt ex calfactum imponitur. Sistit aluum in lacte caprino decoctum, & bis die haustum. Sic prodest & ad tormina.

DE ERICA. CAP. XCV.

Erice Bruiere.

NOMINA.

EPixn Græcis, Erica Latinis, Heyd Germanis (Gallice Briere) dicitur, Officinis inusitata.

FORMA.

Erica fructicosa arbor est, Tamarici similis multò tamen breuior. Eius flore vtentes apes, reprobum mel conficiunt. Plinius lib. xxiiij. cap. ix. fruticem esse scribit nõ multum à Tamarice differentem, colore Rorismarini, & penè folio. Id quod verè de ea Erica, cuius nos picturam damus, dicitur. Theophrastus etiam Rosmarino similem Ericam facit. Habet flores in candido purpureos.

LOCVS.

In montibus & syluis locisq; arenosis nascitur.

TEMPVS.

Autumno floret sola ferè in syluis.

TEMPERAMENTVM.

Calida & sicca est Erica, id quod in gustu amaritudo satis docet.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Ericæ coma & flores illita serpentium morsibus medentur.

EX GALENO.

Discutiendi facultate prædita est Erica: flore eius potissimum & foliis vtendum.

EX PLINIO.

Ericen aduersari serpentibus tradunt.

APE

APPENDIX.

Recẽtiores herbarij præter iam cõmemoratas, alias facultates addunt, nimirũ florum decoctum lumborum ac ventris dolores lenire posse. Succum ex foliis floribusq; elicitũ, oculis imbecillibus guttatim instillatum, aut foris inunctum conferre.

DE ERYSIMO. CAP. XCVI.

Erysimum in fossis huius partis vrbis luxuriat prope solum.

NOMINA.

Ερυσιμον Græcè, Irion Latinè vocatur. Officinis nostris incognita. Vulgares herbarij non ineptè Sinapin sylvestrem, nonnulli etiam Rapistrũ, Germani Hederich & Vuilden senff (Gallicè Velar, ou de la Tortelle) appellant. Sunt qui perperam, eo quòd gustu Erucam imitatur, sylvestrem Erucam nominant. Alia enim est Eruca sylvestris ab ea quam Rapistrum nominant herba, vt suo loco dicemus. Erysimon qui dam ἀπὸ τοῦ ἐρικυν nomen mutuatum esse crednnt, id est, à multiplici foliorum sectione: nam Erucæ modo laciniata conspiciuntur. Alij ab oleris præstantia dictum volunt, quasi ἐρίτιμον, quod est pretiosum & nobile. Mihi ἀπὸ ἐρύειν potius dictum esse videtur, quòd ob suam caliditatem maxima trahẽdi facultate prædita sit. Latini autem Irionem ab irruendo dixerunt, quòd ignea vi, & feruido sapore irruat in gustum,

Rapistrũ non sylvestris Eruca.

Erisimon vnde dictum.

Irion quare vocata.

FORMA.

Folia habet syluestri Erucæ similia, caules lori modo flexiles, flores luteos. In cacumine siliquas corniculorũ figura, vt Fœnigræci graciles in quibus semina cõtinentur parua, Nasturtio *similia, gustu feruido. Hæ vtiq;, notæ in vniuersum omnes, herbæ illi quã pictam hic exhibemus adamussim quadrant.*

LOCVS.

Nascitur passim prope vrbes, domorum areas, rudera & hortos.

TEMPVS.

Per integram æstatem floret, autumno autem semen in siliquis profert.

TEMPERAMENTVM.

Semen Erysimi haud secus quàm Nasturtij calfacit & exiccat. Herba etiam ipsa arefacta similem semini vim obtinet. Humida tamen ac viridis, multo semine inferior est.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Erysimi semen thoracis fluxionibus purulẽtis, tussientibus, regio morbo, coxendicum doloribus linctum cum melle confert. Bibitur etiam contra letalia venena. Ex aqua aut melle illitum, occultis carcinomatibus, duritijs, parotidibus, testium ac mammarum inflammationibus prodest. In vniuersum extenuat & calefacit. Mitius ad ecligmata fiet, si aqua madefiat & torreatur, aut linteolo illigatum circunlita pasta perassetur.

Ex

EX GALENO.

Irionis semen sicut gustu Nasturtio simile apparet, ita facultate igneũ est & excalefactorium. Porrò vbi in eclegmate vti ex vsu est, præstat aqua præmaceratũ torrere, aut linteolo iligatũ sub indeq; crustæ pistoriæ inuolutũ assare. Vtile est cũ eclegmatis ad promouẽdas crassorũ lentorumq; in thorace & pulmone humorũ expuitiones. Quin & parotidas induratas, atq; duritias mammarũ & testiculorũ veteres iuuat. Refert Dioscorides, quòd cũ aqua & melle illitũ occultis psit cãcris.

EX PLINIO.

Vtilissimũ tussientibus cum melle, & in thoracis purulentis excreationibus. Datur & regio morbo, et lumborũ vitijs, pleuriticis, torminibus, cœliacis. Illinitur verò parotidũ & carcionomatũ malis. Testiũ ardoribus ex aqua, alias ex melle. Infantibus quoq; vtilissimũ. Itẽ sedis vitijs & articularijs morbis cũ melle & fico. Contra venena etiam efficax potum. Medetur & suspirijosis. Itẽ fistulis cùm axungia veteri, ne intus addatur.

DE HELXINE CISSAMPELO.

CAP. XCVII.

Helxine Cissampelos à ligãdo lizet & lizerõ.

NOMINA.

Ἑλξίνη κισσάμπελος Græcis, Helxine cissampelos & Conuoluulus Latinis nominatur. Vulgus herbariorum & officinæ, Volubilem mediã et vitalẽ appellãt, Germani Mitteluuin

den

Vitealis.

den oder vueingartenuuindé (Gallicè Cã-
Cissampelos quare dicitur.
pan[a]ette, ou Vitreole alijs lizet.) Rectè aũt
Cissampelos dicitur in vineis enim potissimum nascitur, & folio hederaceo. Conuoluulus verò quòd crebra reuolutione vicinos frutices & herbas implicet.

Cõuoluulus.

FORMA.

Folia habet Hederæ similia, minora tamen. ramulos exiguos circumplectentes quodcunq; cõligerint. Folia denique eius scansili ordine alterna subeunt. Flores primùm candidos Lilij effigie, dein in puniceum vergentes, profert. Semen angulosum in folliculis acinorum, specie.

LOCVS.

In vineis nascitur, vnde etiam ei appellatio Cissampeli, vt diximus, indita est.

TEMPVS.

Aestate, potissimùm autem Iulio & Augusto mensibus, floret.

TEMPERAMENTVM.

Calidam esse ex viribus quas illi veteres tribuunt, facilè conijcere licebit.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Succus foliorum eius potus, aluum subducendi facultatem obtinet.

EX GALENO.

Helxine, quæ & Cissampelos nuncupatur, digerendi facultatem habet.

DE

DE HEPTAPHYLLO.

CAP. XCVII.

Heptaphyllum tormentilla quãuis & vulgare pentaphyllum sæpe cum foliis septem inuenitur, vt Tormentilla cum quinque.

NONINA.

Tormẽtilla. Heptaphyllon.

Ἑπτάφυλλον Græcè, *Septifolium Latinè, vulgò Tormentilla nominatur. Sunt ex recentioribus qui perperam Bistortam vocent. Germanicè* Tormentill, Rotheil vurtz (*Gallicè* Tormentille) *appellatur. Heptaphyllon autẽ à septenario foliorum numero dicta est.*

FORMA.

Quinq; folio similima est, nisi quòd septem nõ quinq; habet folia, vtrinq; lanuginosa, exigua, parua, serrata, caulem certis fere interstitijs ambientia, flores luteos, radicem puniceam ac modicè intortã. Ex hac descriptione omnibus constare puto, herbã nostris Tormentillã *dictam, non esse Dioscoridis. Quinq; foliũ. Hoc enim, vt reliqua omittam, radicẽ non intortã, sed rectam & oblongam habet. Plinius etiã lib. xxv. cap. ix. herbã. Quinq; foliũ incipere & desinere cũ vite scribit.*

Tormentilla non est quinq; folium.

Tormentilla aũt non maturè prouenit, sed cũ vites iam floret. Accedit quòd hæc in montosis & syluestribus inculsq;. hoc verò pratis, cultis & aquosis in locis potius prouenit. A puleius etiã vtrãque herbam seorsim describit.

LOCVS.

Nascitur montosis, vt diximus, locis ac syluis.

TEM

TEMPVS.

Serò ac cum iam vites florent. herba hæc appa rere incipit.

TEMPERAMENTVM.

Recentiores iudicant hanc herbã in tertio ordine frigidam & ſiccam eſſe. Cæterùm non eſſe frigidam, potiſſimum in tertio ordine facultates eius abundè declarant. Guſtus etiam adſtrictionem illam tanta frigiditate prorſus carere palàm oſtendit. Quare cùm eaſdem quas Quinquefolium facultates habeat, idem etiam temperamentum obtineat neceſſe eſt. Erit itaq; radix deſiccatoria ex tertio ordine, nullatenus tamen manifeſta caliditate participans.

VIRES EX APVLEIO.

Heptaphyllo herba trita & cũ oleo mixta, pedes perunges, & tertio die dolorem tollit.

EX RECENTIORIBVS.

Facultatem obtinet glutinandi vulnera. Farina herbæ vel radicis ex ſucco Plantaginis propinatur in difficultate vrinæ. Eadem reſperſa vulnera ad cicatricem perducit. Cum albo oui ſubacta & figlino decocta, datur cholericis. Foliorũ vis deploratis fiſtulis inſtillatur, neq; nõ oculis ad diſcutiendas nubeculas. Ad putrefcentia oris vlcera herba & radix commanducata, & in ore retenta valent. Herpetas, ſtrumas, daritias, tumores, aneuriſmataq; ſanat. Et vt antea diximus, facultates ferè eaſdẽ quas Quinquefolium obti-

net

net. Quapropter venenis resistit, dysenterias, & omnes sanguinis eruptiones compescit.

DE ERVCA. CAP XCIX.

Eruca nobis Roquete.

NOMINA.

EVζωμον Græcis, Eruca Latinis, officinæ Latinũ nomen retinuerunt, Germanis Vueisz senff (Gallicè de la Roquette) appellatur. Euzomos autem Græcis, quoniam iura commendet, habeatq; in eisdem peculiarẽ gratiam dicta est. Erucam verò ideo nominatam volunt quòd erodat. hæc enim vbi degustaueris, os & linguam satis acriter vellicat. Euzomos vide dicta. Eruca.

GENERA.

Duplex est Eruca. Vna hortensis seu satiua, quæ Germanis zam Vueisz senff dicitur. Altera sylvestris ijsdem Vuilder Vueisz senff appellatur.

FORMA.

Sesquipedali thyrso consurgit satiua, folio longo angustoq; in profundas sed variores crenas laciniato, gustu præter modũ acri, floribus pallidiobus, semine in siliquis rapi, vel sinapi. firmo, radice candida, Sylvestris folio satiuæ simili, strictiore tamen & minore, flore luteo.

LOCVS.

Satiua in hortis nascitur. Sylvestris Hispaniæ familiaris: prope tamen aquas provenit magnæ copia. Quæ autem apud nos creditur esse sylvestris Eruca, ea non est, sed Erysmon, de quæ quidem

quidem herba suo in loco abundè scripsimus.

TEMPVS.

Satiua tota æstate floret: syluestris autem circa Calendas Iunij potissimùm erumpit alio enim tempore vix reperitur.

TEMPERAMENTVM.

Temperamentũ Erucæ idem cum temperamento Erysimi.

VIRTVTES EX DIOSCORIDE.

Cruda Eruca satiua largius comesta venerem stimulat. Idẽ potest semen eius, quod vrinã ciet, cochlionẽ adiuuat, aluumq; bonũ efficit. Vtuntur semine ad condimenta. Quod vt plurimo tẽpore seruetur, aceto vel lacte maceratum, & in pastillos digestũ recõdũt. Syluestris semine homines in Hispania sinapis vice vtuntur. Est aũt ad ducendam vrinam efficacior, & multo quàm satiua acrior.

EX GALENO.

Olus hoc per quam manifestè calefacit, adeò vt non facilè solùm absq; iunctis Lactucæ foliis edatur. Quinetiam genitale semen augere creditur, & in venerẽ stimulos addere. Caput magis dolore afficiet si solum edatur.

EX PAVLO.

Eruca temperamẽto Erysimo similis, flatulẽtæ est, ob quod ad venerẽ instigat. Semen eius vrinã quoq; mouet. Cæterùm syluestris domestica valentior est.

EX PLINIO.

Eruca diuersæ est quàm Lactuca naturæ: concitæ

citatrix veneris: idcirco iũgitur illi ferè in cibis, vt nimio frigori par feruor immixtus temperamẽtum æquet. Eius semen scorpionum venenis & muris aranei medetur. Bestiolas omnes innascentes corpori arcet. Vitia cutis in facie cum melle illitum. Lentigines ex aceto Cicatrices nigras traducit ad candorem cum felle bubulo. Aiunt verbera subituris potum ex vino, duritiam quandã contra sensum induere. In condiendis opsonijs tãta est suauitas, vt Græci Euzomõ appellauerint Putant subtrita Eruca si foueantur oculi, clarita tẽ restitui. Tussim infantiũ sedari. Radix eius in aqua decocta, fracta ossa extrahit. Tria folia syluestris Erucæ sinistra manu decerpta, & trita ĩ aqua mulsa, si bibantur, venerem stimulant.

DE EVPATORIO ADVLTERINO. CAP. C.

Officinarũ error.

Eupatorium adulterinum quod hactenus officinæ celebrarunt.

Eupatoriũ adulterinum

NOMIMA.

NVM herba hæc veteribus Græ. & Lati. cognita fuerit, & quo nomine ab ijsdem appleta sit mihi, nondum constare ingenuè fateor. Officinæ tamen ferè omne pro Eupatorio vero, cũ tamen non sit, haud sine magno errore vtuntur. Hinc cũ nomen aliud nõ esset quo illam appellaremus, Eupatorium adulterinũ nominare placuit Germanicè Kunigundkraut hoc est herba S. Kunigundis vocatur & Vuasserdoft, (Gallicè Curaige) ab Origani simili

miltudine, & quòd iuxta aquas proueniat. Alijs Hirtzen klee, quòd vulnerati cerui sibi hac medeantur herba.

FORMA.

Caulem edit rotundum, purpureum, gemculatum, solidum & hirsutum, circa quem alæ pãduntur, folia longa, Canabinis ferè similia, amara q; . Flores in summo paruos coaceruatos, in candido purpurascentes, tandem in pappos tenues abeuntes. Radicem multis fibris capillatam & inutilem. Errant haud dubiè qui herbã hanc Dioscoridis Hydropiper esse putant. Nam & si ferè tota eius herbæ facies, floribus demptis, Hydropiperis delineationi respondeat, tamẽ quia nulla prorsus piperis in folijs aut floribus acrimonia apparet, non est cur Hydropiper dici possit aut meretur.

Eupatorium adulterinũ nõ est Hydropiper.

LOCVS.

In fluminum ripis, alijs q; locis humidis nascitur, potissimum verò iuxta resides aquas, aut tardo fluxu prorepentes.

TEMPVS.

Iulio & Augusto mensibus floret.

TEMPERAMENTVM.

Gustu vehementer amara est, vt calidam & siccam esse in secundo ordine, aut in medio tertij non sit dubium.

VIRES.

Haud dubiè herba hæc abstergit, expurgat q; & quæ in venis est crassitiem incidit: quamobrẽ men-

menses & vrinas mouet, educendoq; ex thorace pulmoneq; puri auxiliatur, aliasq; facultates amari saporis, quas recenset Galenus libro. iiij. de Simp. med. facul. cap. xvij. obtinet. Potest itaque obstructiones iecoris & lienis aliarumq; partium corporis soluere. Ex recentioribus sunt qui hanc Vulnerariam esse tradunt, neque temerè id ipsum enim posse, siccitas eius testatur. Suffitum præterea eius herbæ venenatas fugare feras ijdem scribunt. Euidentissimum verò est hanc etiam contra venena esse admodum efficacem.

DE EREBINTHO. CAP. CI.

NOMINA.

Ἐρέβινθος Græcè, Cicer latinæ, officinæ Latinũ nomẽ tetinuerunt, Germanicè zyssern (Gallicè pois cices.) nominatur.

GENERA.

Tria præcipua sunt Cicerum genera, albũ, rufum & nigrum. Nos ex ijs tribus nigri tantũ picturam damus. Differunt potissimum in floribus hoc enim vt cernis purpureos, album verò candidos flores producit.

FORMA.

Cicer satiuũ caule est ligneso, obliquo, foliis exiguis multis, circinatis, flore albo vel purpureo, siliquis, rotundis radice tenui & non admodũ longa.

LOCVS.

Pullo crassóque solo gaudet,

TEMPVS.

Floret Iunio & Iulio mensibus, atque subinde insiliquis semen producit.

TEMPERAMENTVM.

Calidum & siccum est primo in ordine

VIRES EX DIOSCORIDE.

Cicer satiuum bonam facit aluum, vrinã cit, inflationes parit, cutis colorem commendat, menses & fœtus educit, lac auget. Cum Eruo decoctũ illinitur ad inflammationes testium & myrmecias. Ad scabiem, acoras, impetigines, vlcera concrescentia & maligna, cum hordeo & melle. Alterum genus arietinum nominatur. Vtrunque cit vrinas, dato cum Rosmarino contra regium morbum & cutẽ subeuntes aquas eorũ decoctio. Lædunt autem vesicam exulceratam & renes. Contra myrmecias & acrochordonas iubent aliqui noua luna singula earum capita eminentias ve singulis Ciceribus tangere, deligataq; in linteolo semina illa post se abiecere, vt acrochordones decidant.

EX GALENO.

Cicer legumen est flatuosum quod nutrire potest, aluo mouendæ habile, ciendæ vrinæ idoneum & semini generando aptum. Prolicit verò et menses. Porrò quod vocatur arietinum, cæteris efficatius vrinam prouocat. Decoctum eius calculos renum confringit. Reliquum autem Ciceris genus quod Orobicum vocant, eadem vi pollet, puta attrahendi, digerendi, incidendi, extergendi. Lienem

nem & iecur, & renes ex purgant, scabiesq; & impetigines extergunt. Parotidas & testes indu ratos discutiunt. Maligna etiã vlcera cũ melle sa nant. EX SIMEONE ANTHIOCHENO. Cicera difficulter concoquuntur & excrementa gignunt. Venerem stimulant, magisq; quàm fa bæ nutriunt, obstructiones tollunt, & menses edu cũt. Habent salsam simul & dulcem qualitatẽ, & ob salsuginem ventrem mouent: propter dulce dinem autem vrinam. Inflationes quoque facĩt & lac gignunt, extergendiq; facultatem obtinẽt Nigra medicamentosam vim habent: vrinam e nim vehementissimè mouent, & calculos renum & vesicæ frangunt. Nullum verò legumen sic vt Cicera, præcipuè autem nigra & parua, lapides frangere potest. Id verò magis eius ius, quod ta men vesicæ morbis supra cætera legumina offi cit. Cicera verò rubra calidiora & crassiorum sunt partium quàm alba. Omnia autem vrinã ducunt. Madefacta nocte vna in aqua & sum pta, lũbricos ejiciunt, sed qui vtitur, sex ieiunet horas oportet. Impositа vt cataplasma parotidi bus, molliunt & discutiunt tumorem. Farina ho rum aceto subacta, & scabiosis inuncta prodest. Ius eorũdẽ ictericos iuuat, & vrinã albã reddit. Oportet verò ijs neq; ante cibũ neq; post vitite, Sed in medio.

DE ECHIO CAP. CII.

Echion in vijs frequens agro Pharisino.

NOMINA.

Bugloßũ syluestre.

Echion, ἢ ἀλκιβιάδιον Græcis, Echion & Alcibiacum Latinis dicitur. Officinis ignotum. Vulgares herbarij syluestre Bugloſſum, nominãt quos ſequentes Germani Vuild Ochſenzungen. Gallicè Pois cices,) appellant. Echion autem dictum volunt, quòd contra ferarũ ictus ſit vtile. Alij quòd floreſcit capitulis viperæ ſimilibus. Rectius Dioſcorides, quòd ſemina viperino capiti ſimilia habeat.

Echiõ qua re dictum.

FORMA.

Folia obtinet oblonga, aſpera, tenuia, Anchuſæ proxima, minora tamen & pinguia, Habet & aculeos exiles folijs adiacentes. Cauliculos tenues multos, & vtrinque foliola tenuia, pennata, nigra, minora proportione ad cacumẽ caulis. Iuxta folia flores purpureos, in quibus ſemen eſt viperino capiti ſimile. Radix digito exilior, ſub nigra. Ex qua ſanè delineatione ſole clarius fit, herbã cuius picturam hic exhibemus eſſe Echion. Folia enĩ habet prælonga, hirſuta, tenuia ad Anchuſam accedentia minora tamen pinguiáque, tenuibus ſpinis horridula, cauliculos tenues numeroſos, minutaq; folia vtroque latere dependentia nigra in ſummo caule minuſcula, inter quæ purpure flores emicãt, in quibus ſemina viperarũ capitulis ſimilia inſidẽt, à ceruice paulatim in roſtellum extenuata, tumidiore ſuperna parte, in qua quædam prominulæ quaſi ſedes oculorũ apparẽt, id quod

id quod ego hisce oculis non semel, sed iterum atque iterũ conspexi. Radix digito tenuior nigricat.

LOCVS.

Vbique ferè ad itinera, et ĩ asperis locis nascitur.

TEMPVS.

Iunio mense floret.

TEMPERAMENTVM.

Calidum esse citra tamen insignem siccitatẽ inde cõijcitur, quòd lactis procreatricem facultatem obtinet. Medicamenta enim, Galeno lib. v. cap. xx. de Simpl. med. facul. teste, quia pituitosos humores calefacientia in sanguinem vertũt, lac procreare solent.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Radix non solum ijs qui à serpentibus morsi sunt succurrit pota cum vino, verumetiam præsumentes eam ne feriantur facit. Idem præstant folia & semen. Sedat etiam dolores lumborum, & cũ vino aut sorbitione sumpta lac proritat

EX PAVLO.

Echion spinosa herba est, quæ non modo à serpente commorsis cum vino pota auxiliatur, sed præsumentes quoque percuti non patitur.

DE ELEOSELINO, CAP. CIII.

NOMINA.

Ἐλεοσέλινον, ἢ ὀδροσέλινον Græcis, Apiũ palustre & rusticum Latinis, Germanis Vuasser epff oder Eppich oder bauren eppich (Ga. de Lache, ou esgrũ persil nominatur)

Sic dictum Græcis, quòd in paludibus & aquosis locis proueniat.

FORMA.

Apio satiuo maius est, caule tenero, concauo, folio molli, raro nec hirsuto, simile Apio sapore, odore, floribus, semine & radice.

LOCVS.

Nascitur in paludibus & aquosis locis.

TEMPVS.

Iulio mense floribus & semine prægnans est.

TEMPERAMENTVM.

Idem quòd Apium satiuum temperamentum obtinet.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Eadem omnia quæ satiuum potest.

EX PLINIO.

Eleoselino vis priuata contra araneas.

DE ELLEBORO ALBO.

CAP. CIIII.

Ellebori radice nobis sola cogniti, nostrum elleborinæ quędam verius fuerit.

Illeborus cur dictus Albusque re cognominatus.

NOMINA.

Λεύκοφ Λευκὸς Græcis, Elleborus candidus & Veratrum album Latinis, officinis pariter Latinis Elleborus albus, Germanis Vuelsz nieszuurtz Gallicè Ellebore blanche) appellatur, Elleboron autem Græci dictum volunt, quòd cibum corpori eripiat. Album à radice vocarunt, quæ nigri respectu candida est.

FOR

FORMA.

Plantagini similia folia obtinet, aut Betæ syluestris breuiora tamen, nigriora, & colore rubentia. Caulem palmi altitudine, cauum, quum siccari inceperit corticibus seu tunicis inuolutum. Radices illi subsunt numerosæ, tenues, ab exiguo & oblongo capite ceparum modo prodeuntes. Quod autem Dioscorides dicit colore rubere ℔ folia, id de costis eorum intelligendum erit. LOCVS.

Nascitur in montanis locis frigidis & asperis.

TEMPVS.

Radices eius per messem legendæ sunt.

TEMPERAMENTVM.

In tertio ordine & excalefacientiũ et exiccãtiũ.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Optimus habetur qui mediocriter extẽtus est & albus, fragilis, carnosus non acuminatus, iunceusq; aut quum frangitur puluerulentus, exilẽ interiorem medullam habens, gustu non admodũ feruens, neque saliuam confertim ciens. Huiusce modi autem strangulat. Purgat vomitiõib. varia educens. Miscetur collirijs, quæ claritati oculorum officientia purgare possunt. Mẽses educit, & fœtus in vtero appositus enecat. Sternutamenta cit, & mures interficit, cum melle & polenta subactum. Carnes simul coctum minuit. Datur ieiunis per se & cum Sesamo, aut Ptisanæ succo, aut Alicæ, aut mulsa, aut pulte, aut lẽticula, aut alia sorbitione. Pani compinsitur et torretur. Ap-

paratus & victus ratio ab ijs tradita est, qui de ratione & modo dandi eius, dicato priuatim opere, scripserũt. Potissimũ autẽ Philonidi Siculo ab Enna subscribimus. Longum enim esset ei qui de medica materia agit, curandi quoque rationẽ docere. Dãt autẽ aliqui cũ copiosa sorbitiõe, aut succo multo, aut modicum cibũ dari præcipientes, statim Elleborũ offerũt, præsertim ijs in quibus suspecta timendaúe erit strangulatio, aut corporis imbecillitas imminet: tuto enim ea sic peragitur purgatio, quòd nõ intẽpestiuè medicametũ corporibus cibo munitis accedat. Sedi etiã balani ex Elleboro subditæ cũ aceto, vomitiones eliciunt.

EX GALENO.

Elleborus extergentis simul & excalfacientis facultatis est. Quamobrem ad alphos, impetigines, scabies, leprasq; accommodus est. Quinetiam si in fistulam callo indurata infundatur duobus tribusue diebus, callum detrahit. Dentibus si cũ aceto colluantur prodest. EX PLINIO.

Candidũ veratrũ vomitione, causasq; morborũ extrahit: quondam terribile, postea tã promiscuũ, vt plerique studiorũ gratia ad prouidenda acrius quæ commentabantur sæpius sumptitauerint. Carneadẽ respõsurum Zenonis libris: Drusum quoque apud nos, tribunorum populariũ clarissimum, cui ante omnis plebs adstãs plausit, optimates verò bellũ Marsicum imputauere, cõstat hoc medicamento liberatum comitiali morbo in

Anty

anticyra insula. Ibi enī tutissimè sumitur quonīā vt diximus, Sesamoides admiscent. Italia veratrum vocat. Farina eius per se & mixta radiculæ qua lanas diximus lauari, sternutamētum facit, somnumq;. Leguntur autem tenuissimæ radices breuesq; ac veluti decurtatæ etiam hæ. Nā summa quæ est crassissima, cepis similis, canibus tantùm datur purgationis causa. Antiqui radicem corticemq; carnosissimam eligebant, quò tenuior eximeretur medulla. Hanc humidis spongijs opertam turgescentemq;, in longitudinem findebant. Deinde fila in vmbra siccabant, ijs vtētes. Nunc ramulos ipsos à radice sua grauissimi corticis, ita dantes. Optimum quod acre gustu, feruensq; in frangendo puluerem emittit. Optimum præterea quod celerrimè mouet sternutamenta, sed multò terribilius nigro, præcipuè si quis apparatum poturorū apud antiquos legat, contra horrores, strangulatus, intempestiuas somni vires, singultus infinitos, aut sternutamenta stomachi dissolutiones, tardiores vomitus aut longinquiores, exiguos aut nimios, Sed antiquorū vitiū erat quòd propter hos metus partius dabāt, cū celerius erūpat, quo largius sumitur. Themison binas nō amplius drachm. donauit. Sequētes et quaternas dedere, claro Herophili p̄conio, qui Elleborū fortissimi ducis similitudini æquabat. Cōcitatis enī intus oībus, ipsū in primis exire. Præterea mirum imētū est, quòd incisū forficulis cortex remanet.

Hoc

Hoc inanito, medulla cadit. Hæc in nimia purgatione data, vomitiones sistit. Cauendum est fœlici quoq; cura, ne nubilo detur die, quippe impatibiles cruciatus existunt. Nam æstate potius quã hyeme dandum, non est in dubio. Corpus septem diebus præparandum cibis acribus, abstinentia vini quarto & tertio die vomitionibus, pridie cœnæ abstinentia. Album è dulci datur, aptissimè verò in lacte aut pulte. Nuper inuenere dissectis raphanis inserere Elleborum, rursusq; comprimere raphanos, vt transeat vis atque eo lenimento dare Reddi post quatuor ferè horas incipit. Totum opus septenis peragitur horis. Medetur in morbis comitialibus, vertigini, melancholicis insanientibus, lymphaticis, elephantiæ albæ, lepris tetano, tremulis, podagricis, hydropicis, incipientibusq; tympanicis, stomachicis, spasticis, clinicis, ischiadicis, quartanis quæ aliter non desinant, tussi veteri, inflammationibus, torminibus redeuntib. Vetant dari senibus & pueris. Item mollibus & fœminei corporis animæue exilibus, aut teneris, & fœminis minus quàm viris. Item timidis, aut si exulcerata sint præcordia, vel tumeant, minimèque sanguinem excreantibus, vel latere vel faucibus. Medetur extra corpus eruptionibus pituitæ cum axungia illitum. Item suppurationi veteri. Mures polenta admixtum necat. Muscæ quoque necantur. albo trito, & cum lacte sparso Eodem & phthiriasis emendatur.

DE

DE ELLEBORO NIGRO ADVLTERINO CAP. CV.

NOMINA.

Elleborus niger adulterinus cur dictus

HERBAM hanc cuius picturam damus non esse verum Elleborum facilè constabit si eam ad descriptionem referas. Verùm quũ magna pars hodie medicorum pro Elleboro nigro ne neq; tamẽ citra summã efficacitatẽ, vtatur adulterinum nigrum Elleborũ appellare placuit. Germanis Christuurtz dicitur, non alio sanè nomine quàm quòd circa seruatoris nostri CHRISTI natalem diem flores, modo calido in loco sita sit herba, producat. Cæterùm etsi genuinus Elleborus non sit tamen non admodum ab illo abludit descriptio, nec viribus multò inferior est, vt in alterius inopia huius vsus citra errorem esse possit.

GENERA.

Hortensis Syluestris.

Duo eius esse genera deprehendimus. Vnum quod officinæ hodie Elleborum nigrum, Germani verò Christuurtz, vt diximus, nominant. Nos certioris discriminis causa, Elleborum nigrũ adulterinum hortensem appellauimus, quòd scilicet sua sponte, & nisi plantatum sit, in hortis nõ proueniat. Alterum quòd syluestre sit, & sponte sua nascitur, Elleborum nigrum adulterinũ syluestrẽ nuncupauimus. Germanis Leusz Kraut dicitur.

FORMA.

Hortensis caulem, vel potius pediculum habet oblongũ & foliys nudũ, nisi in summo, vbi folia oblõ

ob longa, angusta, pluribusq; diuisuris incisa. atque adeò in ambitu serrata producit. Florẽ habet herbacei coloris radices tenues nigras, veluti à capitulo ceparum pendentes. Syluestris priori nõ admodum dissimilis est, nisi quia caulẽ obtinet crassiorem, foliaq; minora. Florem etiam etsi herbaceum habeat, tamen è medio eius, folliculi, aut siliquæ duæ aut res, in quibus semen est exeunt.

LOCVS.

Hortensis vt dictum est, passim in hortis nũc prouenit: syluestris in montibus asperis, lapidosis ac sublimibus.

TEMPVS.

Hortensis hyeme, circa CHRISTI nimirum natalem, vt comprehensum est, floret. Syluestris autem vere & initio æstatis.

TEMPERAMENTVM.

Quum experientia testetur Elleborum nigrũ adulterinum, potissimum hortensem, eandẽ quã genuinus habere facultatem, idem etiã obtineat temperamentum necesse est. Calidus itaque & siccus in tertio ordine erit.

VIRES.

Purgat perinde atque genuinus inferiorẽ ventrem, pituitam & flauam bilem ducens. Prodest comitiali morbo laborantibus melancholicis, insanientibus, articulorum doloribus correptis, & resolutis menses in pessò subditis trahit. Fœtus necat. Porrò cum illis etiam insit extergendi vis alphos, impetigines, scabiem leprásque curant.

Eruden

Erodentibus medicamentis commiſcentur. Ideóque ſylueſtris non temere quòd pediculos interficiat, Leuſzkraut Germanis meis dicitur. Non verò pediculos tantùm verum etiam oues & alia animantia comeſtus necat.

DE HELXINE. CAP. CVI.

Helxine Parietaria nobis.

NOMINA.

Ἑλξίνη, ἡ περιδίκιον Græcè Helxine & Vrceolaris Latinè nominatur, Officinæ vocant Parietariam & dempta vna litera paritariam. Vulgus Muralum & Muralem. Germani Tagundnacht, S. Petrskraut, oder Glaſzkraut (Gallicè Parietaire) Helxine autem ab aſpero ſemine quòd tenaci nexu veſtibus adhæret, dicta eſt, Perdicium verò, quòd ea perdices præcipuè veſcantur. Vrceolaris autem quòd detergendis vitreis. vrceolis vaſisq; efficax ſit. Muralis & Parietaria, quòd muros ac parietes natales locos ſibi fecerit.

Helxine vnde picta.

Perditio.

Vrceolaris

Muralis. parietaria

FORMA.

Cauliculos habet tenues, ſubrubẽtes, folia Mercurialis ſimilia, hirſuta, circa caules veluti exigua ſemina, aſpera, veſtibus adhærentia. Hæc ſanè pictura ſic plantæ illi reſpondet, vt nulla prorſus ſit nota quæ illi non adamuſſim conueniat. Eſt enim fruticoſa, cubitalis, cauliculis tenuibus, leniter rubeſcentibus, foliis Mercurialis herbæ hirſutis, floribus purpureis minutiſſimis, exili per ambitum eius ſemine, aſpero veſtibus, adhærẽ

adhærente, radice subrubra, fibris capillata.

LOCVS.

Nascitur in sepibus, muris, macerijs, parietibus et vinetis. Nũc i hortis etiã plãtata prouenit.

TEMPVS.

Iulio mense floret.

TEMPERAMENTVM

Facultas Perdicio inest abstergendi & cõstringendi cum humiditate subfrigida.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Folia refrigerandi constringendiq; vim obtinent. Quare illita sacros ignes sanant, condylomata, adusta, incipientes panos, inflammationes omnes, & œdemata. Succus eius cerussæ mixtus, ignibus sacris & ijs quæ serpunt malis vtiliter illinitur. Inungitur podagris cum cerato Cyprino, vel seuo hircino. Diuturnas tusses adiuuat cyathi mensura absorptus. Contra inflammatas tonsillas gargarissatus & illitus prodest. Aurum quoque dolores cum rosaceo infusus iuuat.

EX GALENO.

Vim habet abstergendi & paulatim constringendi ac refrigerandi. Quare phlegmonas omnes inter initia, & in augmento vsque ad statum sanat, maxime calidas. Quinetiam incipiẽtib. phygethlis cataplasmatis ritu illinitur. Succus quoque eius ad dolores phlegmonosos mediocriter profuerit. Gargarizandum item nonnulli exhibent ad paristhmia. Aliqui etiam medicorum ijs, qui

dia

diutina tussi vexantur illam exhibuerunt. Certè euidens extergendi experimentum præbet & in vasis vitreis.

EX AETIO.

Exterit alopecias & impetigines priuatim assi duè illita. Sedis hæmorrhoidas aperit fistulis medetur, & sinus cohibet trita & cum modico sale appositа.

EX PLINIO.

Hæc inficit lanas, sanat ignes sacros, tumores, collectiones q; omnes & adusta. Panos succus eius cum psimmythio, & guttura incipientia turgescere. Item veterem tussim cyatho hausto. Et omnia in humido. Sicut tonsillas & varices cum rosaceo. Imponitur & podagris cum caprino seuo cerаq; Cypria.

APPENDIX.

Monendi sunt hoc loco medici vt rectum Helxines vsum discant. Nam hactenus non rectè eã in frigidis vitijs pro fomento vsurparunt, cùm refrigerandi constringendique vim habeat. Cæterum cùm abstergendi quoque illi facultas insit potest etiam calculosis, & ijs qui difficultate vrinæ laborant exhiberi, potissimum si aliquid consimilem facultatẽ obtinens et admisceatur. Sic Aëtius sedis hæmorrhoidas aperire tradit, si trita cũ sale, cui etiam abstergendi vis ineſt, apponatur. Quare qui calculosis hanc herbam propinant, curent vt aliquid quod abstergendi facultatem habeat, commisceant.

DE

DE ERYTRODANO. CAP. CVII.

Rubia cur vocata

Rubia satiua nobis Garãce, & syluestris frequẽs

NOMINA.

Ἐρυθρόδανον Græcè Rubia Latinè vocatur. Officinæ Rubeam tinctorum appellant Germanicè Rote) Gallicæ Carance) *nominatur. A rubore radicis, quo lanæ & coria tinguntur, factum illi vtrunque nomen est.*

GENERA.

Dioscoridi & alijs duo rubiæ sunt genera. Altera enim satiua est, altera verò sponte prouenit & syluestris existit: nec esse videtur alia quàm quæ à nostris Stellaria vocatur. FORMA.

Caules satiuæ quadranguli, longi, asperi, similes Aparinæ, multò tamen maiores robustioresq;

Saluia.

folia per interualla in singulis geniculis habentes, stellarum modo in orbem circumiacẽtia. Fructus rotundus per initia viridis, mox ruber, postea cùm maturuit niger. Radix tenuis, longa, rubra. Syluestris itidem caules quadrangulos, vt diximus, emittit folia per interualla in singulis geniculis stellarum instar in orbem circumiacentia flores candidos. radicem tenuem, longam & rubrã, à adeò vt suo colore tingere etiã videatur.

LOCVS.

Nascitur in plerisque nunc Germaniæ locis, agro potissimum Argentoracensi & Spirensi. Seritur autẽ propropter emolumentum quod ex ea quæstuosissimum sentitur.

TEMP

TEMPVS.

Aestate colligitur fructus, & subinde etiam effoditur radix.

TEMPERAMENTVM.

Calida est in secundo ordine, et sicca in tertio.

VRES EX DIOSCORIDE.

Radix vrinã ciet, qua de causa regio morbo laborãtibus cũ aqua mulsa auxiliatur: itẽ ischia diacis & resolutis. Vrinã multã & crassam ducit, nonnunquã etiã sanguinem. Bibentes quidẽ quotidie lauari oportet, & excrementorum quæ reddũtur differentiã spectare. Aduersus venenatorum morsus succum cum foliis bibere prodest. Semen ex oxymelyte potũ, lienẽ absumit. Apposita radix fœtus, menses, & secũdas trahit. Albas vitiligines ex aceto illita sanat. EX GALENO.

Rubia tinctorũ radix acerba & gustu amara est: Itaque quæcũque agere diximus vbi eiusmodi coierint qualitates, ea omnia in hac radice luculenter cõspicies: quippe quum & lienẽ & iecur expurget, & vrinam crassam copiosamq; ac nõ nunquam etiã sanguinolẽtam moueat. Quin & menses ciet, ac mediocriter quæ extertionẽ postulant extergit: proinde vitiligines albas cum aceto illita iuuat. Sunt qui eam ischiadicis & resolutis in potu cũ melicrato exhibeant.

EX PLINIO.

Erythrodanum, quam nos Rubiam vocamus, qua tinguntur lanæ, pellesque perficiuntur, in

medicina vrinam cit, morbum regium sanat ex aqua mulsa, & lichenas ex aceto illita: & ischia dichos & paralyticos, ita vt bibentes lauentur quotidie. Radix semenq; trahunt menses, aluum sistunt, & collectiones discutiunt. Contra serpentes rami cum folijs imponuntur. Folia & capillum tingunt. Inuenio apud quosdam morbum regium sanari hoc frutice, etiam si adalligatus spectetur tantùm.

DE ZEA. CAP. CVIII.

Zea spelta nobis.

NOMINA.

Semẽ cur dicta zea

Zea Græcis. Zea. & Semen Latinis vulgò & Italis Spelta dicitur. (Gallicè de l'espeautre) Semen autem Latini à præstantia frugis appellarunt. Hinc est quòd Homerus etiam hãc celebrauerit dicens, ξειδωρος ἀρουρα. Quibus sanè verbis innuitarũ Zeam Largiens, non vt nõ nulli arbitrantur quod vitã donet, Plinio autore.

ξειδωρος ἀρουρα

GENVS.

Duo Zeæ Dioscorides facit genera. Vnum cuiusque grana in singulis tunicis seu glumis gemina, quod Græcis eã ob causam δικκον cognominatur. Ger. hoc genus Speltz oder Dinckelkorn. vocatur. Alterum simplicis est grani & German. nominatur. Einokrn, oder Speters korn.

δικοκκ.

FORMA.

Primum genus.

Primum genus culmo geniculis et spica tritico simile est, duobusq; vtriculis iunctis duo grana simul

simul fert. Alterum culmo & spica est breuioribus, grana singula in singulis tunicis duplici ordine seu versu dispositis proferens, ac in summitate aristis suis planè hordeum refert. Alterum.

LOCVS.

Lætum pingueq; solum desiderat.

TEMPVS.

Iunio mense floret, Iulio autem maturitatem consequitur.

TEMPERAMENTVM.

Zea media quodãmodo est inter triticum & hordeum, quatenus ad calefaciendi & refrigerãdi facultatem attinet, placidè verò exciccat.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Zea magis nutrit quàm hordeum. Ori suauis est. Digesta in panificia minus quã triticũ alit.

EX GALENO.

Zea vniuersa sua facultate quodãmodo in medio est tritici et hordei: itaque exillis cognoscatur.

EX PLINIO.

Zeæ farina efficacior hordeaceavidetur, trimestris mollior. Ex vino rubro ad scorpionũ ictus tepida, & sanguinem excreantibus. Item arteriæ. Tussi cum caprino seuo aut butyro. Ex Fœnograeco mollissima omnium. Vlcera manantia sanat, & furfures corporis, stomachi dolores, pedes & mammas cum vino & nitro cocta.

EX SIMEONE SETHI.

Zea facultatem habet proximã tritico. Est ve-

rò facilis concoctionis, boniq; succi: ad hæc etiam emplastica existit.

DE ERIGERONTE. CAP. CIX.

Senecio nobis senezon.

NOMINA.

Ἠριγέρων Græcis, Senetio Latinis, officinis inusitata, Germanis Grindtkraut (Gallicè du Senesson) dicitur. Græcis autẽ Erigeron quasi vernus senex nominatur, seu citò vel vere senescẽs quòd celeriter in pappum & langui nem abeat. Itaq; compositione nominis, tempus simul quo floret, & floris mox defloreſcentis euentum, indicare voluerunt Græci, vt quo tẽpore quæ renda, & quibus notis inuenienda esset, omnes scirent. Non igitur senectutis ratio aliqua in ea est, sed canescẽtes humani capilli modo post florẽ eius pappi, vt à senectute denominaretur, effecerunt. Eam etiam ob causam Romani Senetionẽ illam vocauerunt.

Erigeron cur dicta.

Senetio.

FORMA.

Herba est cauliculo cubitali, subrubro, foliis cõtinuis, in extremitatibus Erucæ modo incisuris diuisis, sed minoribus multò, floribus luteis, celeriter sciſsis delabscẽtibus ſue, & in pappos defloreſcẽtibus: vnde & Erigeron dicta est, quòd vere scilicet capilli modo flores canescant. Radice inutili. Omnes hæ Dioscoridis notæ, herbæ quam Germani Creutzuurtz & Grintakraut nominãt, respondere deprehenduntur. Siquidem cauliculus

est

est illi cubitalis, subruber, folia continua habens, per extremitates Erucæ instar Lacinioſa minora tamen Flores lutei, qui sciſsi statim in lanuginem abeunt. Errant toto cœlo qui Senetionem Naſturtium esse garriunt.

Senetio nō est Naſturtium.

LOCVS.

Naſcitur paſsim in sepibus, & circum oppida.

TEMPVS.

Vere erumpit, quo etiam tempore, vt dictum est, caneſcit, & durat ferè tota æstate eius herbas prouentus.

TEMPERAMENTVM.

Erigeron, Paulo ægineta autore, maximā tēperatur. ẽ obtinet. refrigerat enim & modicè diſcutit.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Folia cū floribus refrigerandi vim obtinent, quapropter cū exiguo vino, aut per se illita folia, teſtium sediſq; inflāmationes ſanant. Cum manna, tum reliquis vulneribus, tum neruorum quoque medentur, Idē præſtant pappi per se ex aceto illiti, verùm recentes epoti ſtrangulant. Totus aūt caulis in aqua decoctus, & cum paſſo potus, ſtomachi dolores à bili contractos perſanat.

EX PLINIO.

Lanugo eius cum croco & exiguo aquæ frigidæ tritæ illinitur epiphoris. Toſta cum mica ſalis ſtrumis. Erigeron quoq; cum farina thuris & vino dulci, teſtium inflammationes ſanat.

DE HEDYOSMO. CAP. CX.

Mentha nobis nomẽ retinet, & Balſamũ quoque dicitur multiplex.

NOMINA.

Ἡδυοσμος, ἢ μινθη Græcè, Menta Latinè dicitur. Officinæ nomen Latinum retinuerunt, Germanicè Muntz (Gallicè de la Mente) vocatur. Hedyoſmon Græci, quòd ſuauẽ ſpirret odorem nominauerunt. Menta autẽ dicta eſt, quòd odore ſuo mentem excitet, aut quod grato, vt ait Plinius, odore menſas percurrat.

Hedyoſmon vnde dictum.

Menta.

GENERA.

Satiuæ genera.

Mẽtæ in vniuerſum duo ſunt genera. Vna enim ſatiua & hortenſis eſt: altera ſylueſtris & fera. Satiuæ iterũ quatuor præcipua ſunt genera. Vna eſt quam Germani Deyment ſimpliciter, vel Krauſz Deyment vocant. Altera, quam ẽdẽ Krauſz Balſam. Tertia, quæ iiſdem Balſammuntz appellatur, et Vnſer Frauuenmuntz oder ſpitz muntz à noſtræ ætatis herbarijs Romana vel Saracenica. Quartam Germani quidam Herrz kraut, nonnulli Balſam kraut vocant. Per me tamen licebit has ſpecies, quandoquidem facultatibus ſimiles ſint, vt cuius placuerit nominare. Nobis autem vt certius diſcerneretur prædictis nominibus appellare placuit. Sylueſtris, quæ Latinis Mentaſtrum vocatur, & vulgò equina Menta, Germanicè Roſz muntz, Vuilder Balſam, oder Vuild muntz dicitur. Nõ

igno

ignoramus plures esse Mente species, nos tamẽ eas duntaxat qua vidimus, pictas exhibemus.

FORMA.

Satiua prima caulem habet quadrangulum, à radice lentè punicantẽ, & lanugine pubescentẽ, folium ferè rotundũ, serratum, molle & odoratũ, flosculos purpureos internodia geniculatim coronãtes, verticillato semper ambitu. Altera priori per omnia similis est, nisi quòd illi subpurpureus flos circa cauliculorũ fastigia spicatur. Tertia folio longiore & acutiore constat, flosculis purpureis colliculorum cacuminibus spicatim insidentibus. Quarta itidẽ longioribus foliis est, floribusq; purpureis internodia geniculatim, haud secus quã in prima, caules coronantibus. Mentastrum verò foliis lanugine canescentibus, atq; hirsutioribus. Sisymbrio procerius, odore magis viroso, flosculis spicatim coliculorum fastigia coronantibus.

Prima.

Secunda.

LOCVS.

Satiuæ passim in hortis proueniunt. Amant apricum locum, non pinguem, non stercoratũ humidis facilius adolescunt. Syluestris autem, quæ Mentastrum alio nomine appellatur, vliginosis gaudet locis, passimq; irrigua hoc Mẽtastro pubẽt.

TEMPVS.

Florent omnes mense Augusto.

TEMPERAMENTVM.

Vtraq; tam hortensis scilicet quàm syluestris, gustu acru, & facultate calida est, ex tertio ordi-

ne excalefacientiũ. Infirmior tamen est hortẽsis, minusq; calefacit. Exiccat aũt in secundo ordine: illi enim ex cultura aliquid humiditatis accedit,

VIRES EX DIOSCORIDE.

Calefaciendi, adstringendi atq; exiccandi vim habet Mẽta hortẽsis. Proinde sanguinẽ sistit succus eius cũ aceto potus. Lumbricos rotundos enecat, Venerẽ concitat. Singultus, vomitiones, cholerámq; sedant duo aut terni surculi cũ acidi granati succo poti. Cũ polenta illita abscessus discutit. Imposita fronti, capitis dolores mitigat. Mammas quæ tenduntur, aut lacte turgẽt, cõpescit. Cũ sale canum morsibus illinitur. Aurium doloribus eius succus cũ aqua mulsa subuenit. Mulieribus ante coitum admota, conceptioni resistit. Linguæ scabritiem confricata leuigat. Lac coire densaríq; in caseũ nõ sinit, immersis in eo foliis. In summa, stomacho vtilis est, & in condimentis peculiarem vsum habet. Syluestris in sanitate deterioris vsus est quàm satiua.

EX GALENO.

Menta satiua advenerem mediocriter excitat, id quod omnibus ineſt, quæ humiditate semicocta & flatuosa participãt. Deniq; in abscessibus aliqui ea cũ polenta imponunt. Habet etiã quiddã amarum in se & acerbum: illo quidem lumbricos interficit, acerbitate verò si cum oxycrato bibatur recentes sanguinis excreationes reprimit. Substantia est, vt si qua alia herba tenuium partium. Aëtius addit, potum eius decoctum tribus seria-

tim

tim diebus, colicos omnino sanare.

EX PLINIO.

Mentæ hortensis ador animum excitat, & sapor auiditatem in cibis, ideo in mammarũ mixtura familiaris ipsæ accessere, vt coire densariq; lac non patiatur. Quare lactis potionibus additur, ne huius coagulati potu strangulentur. Data in aqua & mulso, eadem vi resistere & generationi creditur, cohibendo genitalia densari. Aequè maribus & fœminis sanguinem sistit, & purgationes fœminarum inhibet. Cum amylo ex aqua pota, cœliacorũ impetus. Syriation & vomicas vuluæ curauit. Ille & iecinorũ vitia ternis obolis ex mulso datis. Itẽ sanguinẽ excreantibus in sorbitionẽ. Vlcera in capite infantiũ mirè sanat. Arterias humidas siccat, siccas adstringit, pituitas corruptas purgat in mulso & aqua, Voci succus sub certamine vtilis dũtaxat, qui & gargarisatur vua tumẽte, adiecta ruta & coriandro ex lacte. Vtilis et cõtra tõsillas cũ alumine, linguæ aspræ cũ melle. Ad cõuulsa intus per se, vitijsq; pulmonis. Singultus & vomitus sistit cũ succo granati, vt Democritus mõstrat. Recẽtis succus nariũ vitia spiritu subducto *emẽdat. Ipa trita choleras in aceto quidẽ pota. Sanguinis fluxiones intus. Ileũ etiã imposita cũ polẽta, et si mãmæ tẽdãtur. Illinitur et tẽporibus in capitis dolore. Sumitur et cõtra scolopẽdras, & scorpiões marinos, & ad serpẽtes. Epiphoris illinitur, et oĩbus in capite eruptiõibus.

* Aliàs spiritus subductos.

Item

Itẽ ſedis vitijs. Impetigines quoq;, vel ſi teneatur tantùm, prohibet, Auribus cũ mulſo inſtillatur. Aiunt & lieni mederi eam in horto guſtatam, ita ne vellatur. Aridæ quoq; farinam tribus digitis apprehenſam, & ſtomachi dolorem ſedare in aqua, & ſimiliter aſperſa in potionem, ventris animalia pellere.

APPENDIX.

Animaduertendũ, ea quæ Plinius Mentaſtro tribuit, Calaminthæ deberi, vt ſatis liquet Dioſcoridẽ legenti. Neq; ſanè mirũ, quandoquidẽ autores ſocietate quæ eſt inter Mentã. Mentaſtrũ & Nepetã decepti, tũ ſpecies, tũ nomina cõfundunt.

APPENDIX ALTERA.

Cæterùm appendicis etiam vice hic annotandum erit, Ariſtotelẽ ſectione x x. proble. ſecundo, cùm aſſerit Mentam refrigerare poſſe corpora, nõ pugnare cum Galeno alyſq; medicis qui illã eſſe calidam affirmant. Per ſe nanq; calida eſt Menta: at quia eſa libidinẽ proritat, & hæc cùm immodica fuerit corporis vires deijcit, atq; adeo animum & corpus refrigerat, ideo eam ex accidẽte, quia videlicet vt in venerem immodicè ruamus efficit, refrigerare dixit Ariſtoteles.

EX SIMEONE SETHI.

Iuuat iecur frigidum, & ventrem corroborat ac ſtomachum, coctionem facit, vomitũ ſedat & ſingultum. Prodeſt etiam ad cordis morſus, & appetitionem ſuſcitat. Flatus diſcutit, & lumbri-

cos

eos interimit, potissimũ sylvestris Mentæ ius. Venerem stimulat, & iecinoris obstructiones tollit. Verùm hoc vesci ad satietatem non apertet, quoniã sanguinẽ extenuat, & serosum facit, & ipm in flauam bilẽ mutat: dein efficit vt sanguis qui maximè est tenuium partiũ discutiatur, & crassus ac melãcholicus relinquatur, atq; idcirco oportet biliosos ab ea abstinere. Cõtrita cum sale, & morsui rabiosi canis imposita medicamentũ fit salubre. Arida verò trita, & post cibum sumpta, ad concoctionem facit, & lienosos iuuat. Cum vino pota difficulter parienti succurrit. Ferunt etiam quòd mansa lippienti imposita, fiat remedium: quòdq; eius decoctum absorptum, confestim sanguinem è faucibus eiicientes sanet. Huius semen ventrem purgat, & pulmonem lædit.

DE HEMIONITIDE.

CAP. CXI.

Hemionitis tua est Dioscoridis phyllitis, vulgaris scolopendria.

NONMIA.

HΜιωνιτις, ἡ φυλλιον Græcis. Hemionitis Latinis, Plinio Teucrion, officinis & herbarijs Scolopendria & Lingua ceruina, Germanis Hirßzung (Gallicè Langne de Cerf) nominatur. Alia tamen est à Dioscoridis Scolopendrio, quæ Asplenon alio nomine dicitur. *Scolopendria officinarum.*

FORMA.

Foliũ Dracũculo simile profert, lunatũ. Radi-

tes verò illi multæ subsunt, tenues. Neq; caulẽ, neque semen, neq; florẽ fert. Ex qua descriptione satis liquet, eã herbã quã vulgus Scolopẽdriã vocat, esse Hemionitin, quòd tota illi dioscoridis pictura nulla reclamãte nota, cõueniat. Sũt enim illi folia Dracunli seu Ari, instar lunæ corniculãtis falcata. Etsi enim interdum in altũ surgant, tamen inter initia potissimum incurua, & lunæ crescentis modo falcata sunt. Radicibus etiam cohæret multis exilibus, nunquã floriscẽs, nec caulẽ, nec semen proferẽs. Nõ esse aũt Phyllitim in primis folia docẽt, quæ in ea sunt recta, & minimè sicut in Lingua ceruina lunata. Dein in tergo veluti verniculi, qui in Phyllitide pẽsiles, in Lingua ceruina aũt sessiles & nequaquã propẽdẽtes sed liratim digesti sunt. Tertiò natales ipi: Phyllitis enim in vmbrosis opacisue, & hortis nascitur, Scolopendria verò seu Hemionitis in petrosis, Quarto. quod me omniũ maximè mouet, Phyllitidi nulla prorsus luenẽ liquãdi facultas ineſt, quã tñ scolopẽdria vulgari adesse, præter cõem cõsensum, quotidiana etiã experimẽta demonstrant. His itaq; de causis Phyllitis, Scolopẽdria vulgaris esse aut dici nõ debet. Dato enim quòd descriptio per omnia cõueniret, facultates tamẽ ipsæ, quæ diuersæ sunt, aliã à Scolopẽdria esse manifestè docerẽt.

Scolopendria est hemionitis.

Scolopendria nõ est Phyllitis.

LOCVS.

Nascitur locis vmbrosis, mõtosis ac petrosis, copiosissimè aũt iuxta montẽ haud procul à Tubinga situ, quẽ Germanico vocabulo Farnberg no

min

minãt, prouenire solet. Nunc passim in hortis habetur.

TEMPVS.

Aestate vsq; ad autumnum abundè nascitur.

TEMPERAMENTVM.

Adstringens simul & parum amara est, vnde credibile est in primo ordine esse calidam, & in secundo siccam.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Herba gustu adstringit, Hæc autem cum aceto pota lienem liquat.

EX GALENO.

Hemionitis simul & adstrictionẽ & amaritudinem possidet: quamobrem cum aceto pota, linosis auxilio est.

EX PLINIO.

Medetur lienibus, Constat q; sic inuẽtum: cùm exta super eam proiecta essent, fertur adhæsisse lieni, eum q; exinanisse. Ob id à quibusdam Splenion vocatur, Narrant sues qui radicem eius edunt, sine splene inueniri. Splenion vnde dictum.

DE ERYNGIO. CAP. CXII.

NOMINA.

HΡύγγιον Græcis, Eryngiũ Latinis, officinis corrupto vocabulo Iringus vocatur. Plærique etiã Centumcapita nominant, à numero minimũ capitũ quæ in summo obtinet. Plinij tamen Centumcapita, ab Eryngio est diuersa, vt etiam Serapionis. Si quis enim diligenter eius descriptionẽ excutiat, eam planè esse deprehẽdet, quæ Dioscor Iringus. Centũcapita. Serapionis Centumcapita est.

Aster. floridi Aster Atticus & Inguinalis appellatur. Vtriusq; enim picturæ sic sibi respondent. vt planè vna esse herba videatur. Germanis Eryngium nominatur Manstreu, Brachendistel, & Raddistel (Gallicè Chardon nomme centestes.

FORMA.

In genere aculeatarum stirpium est Eryngiũ, cuius folia initio sale condita olerum modo comeduntur. Sunt autem lata, & in ambitu aspera, gustu odorata. Quum verò adolescunt, in multis caulium eminentijs spinis aculeantur: in quorum summitatibus globosa capita, durarum acutissimarumq; spinarum ambitu stellæ instar circunuallantur, quorũ color modo viridis aut candidus interdum cæruleus inuenitur. Radix illi oblonga, lata, foris nigra, intus alba, pollicis crassitudine, & odorata. E qua nimirũ delineatione omnibus perspicuum fit, spinam cuius picturam nunc exhibemus, esse Eryngiũ: aculeatis enim foljs & per extrema spinosis cõspicitur, odoratus, caule cubitali, in cuius vertice coacta in globum capitula, durorum & acutissimorum spiculorum vallo, stellæ instar radiantur, quorum color in pubertate viridis, adultæ cæruleus flaccescenti candidus conspicitur: radice pollicari, intus candida, foris nigra, sed odorata.

LOCVS.

Nascitur in campestribus & asperis locis, Prope Argentoratum eius magna est copia,

TEM

TEMPVS.

Colligi hanc quidã, vt Plinius tradit, cùm sol Cancri hospitiũ tenet, hoc est, sub solstitio, iussere.

TEMPERAMENTVM.

Eryngium caliditate aut parum aut nihil ea quæ moderata & temperata sunt superat. Siccitatem verò in tenui essentia consistentem non exiguam obtinet.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Vim habet calefaciloriam radix. Pota menses & vrinas pellit. Tormina & inflationes discutit. Cum vino tecnorosis, venenatorum morsibus, & ijs qui letiferum hauserunt succurrit. Bibitur ad uersus plurima cum Staphylini semine pondere drachmæ vnius. Appensa & illita tubercula discutere proditur. Radix cum hydromelite pota, opisthotonicis & comitialibus medetur.

EX AETIO.

Potum radicis decoctum colicis medetur. Mulso addito calculos, stillicida, difficultates vrinæ et renum vitia sanat: quod per quindecim iugiter dies, & ieiunos, & in lectos iturus bibere oportet. Quod si cui eo Stiu quoq; decoxeris, magis proficies. Affirmabat, quidam assiduo Eryngij usu, nunquam postea minxisse calculos, cum prius eo morbo frequentissimè vexaretur.

EX PLINIO.

Clara in primis aculeatarum Eryngiũ est, cõtra serpẽtes & venenata omnia nascens. Aduer

ſus ictus morſusq; radix eius bibitur drachmæ pō dere in vino: aut ſi plerunq; tales iniurias comita tur febris, ex aqua. Illinitur plagis, peculiariter efficax contra cherſydros ac ranas. Omnibus ve rò contra toxica & aconita efficatiorem Hera clides medicus, in iure anſeris decoctam, arbitra tur. Appollodorus aduerſus toxica cum rana de coquit, cæteri in aqua DE THRIDACE.

CAP. CXIII. NOMINA.

Lactuca vndedicta

ΘΡίδαξ Græcè, Lactuca Latinè: officinæ La tinum nomen retinuerunt: Germanicè Lattich, oder Lactuck (Gallicè Vne Laictue) nominatur. Dicta autē Lactuca eſt, quòd copia lactis, quod credebatur leniter mouere ven trem, exuberet: vnde apud veteres in primis epu lis veniebat, qd̄ Martialis etiā ijs teſtatur verbis:

Prima tibi dabitur ventri Lactuca mouendo
Vtilis.

GENERA.

Crispa Lactuca.

Lactuca primùm in ſatiuam & ſylueſtrem de ducitur. Satiuæ tria ſunt genera, criſpa nimirū, rotunda, & capitata. Nos vna icone duo comple xi ſumus genera. Folium enim quod ſtatim à ra dice erumpit, eam Lactucam refert quæ Latinis criſpa, à foliis criſpiſſimis, Germanis Krauſer Lattich, appellatur. Columella lib. xi. capi. ij. Cecilianam & Beticam à regionibus in quibus creſcit, nominat. Reliqua folia eam quæ Rotūda

Rotunda.

Capitata.

à foliis rotūdis vocatur, præ ſe ferunt. Ger. brei ter Lattich nominatur. Tertij generis Lactuca

quæ

quæ Capitata dicitur, à foliis suis, q̃ vbi parũ a terra attollũtur, mali cuiusdã speciẽ rotundã obtinent, & instar Brassicæ capitatæ, in capitis ferè formam extuberant. Germanis grosser Lattich, vel Vueisser Lattich à semine candido nominatur. Syluestris Lactuca satiuæ opponitur, sponte enim sua in aruis nascitur. Germ. Vuilder Lattich nuncupatur.

FORMA.

Satiua prima, cuius imaginem hic damus folia In typo satiuo haud dissimilia habet, in rectũ q; surgit, caulibus in summo brachiatum, in quo rũ cacumine flores sunt lutei. Altera foliis, q̃ crispa admodum sunt, duntaxat a priori variat, aliàs per omnia similis. Sic etiam capitata non nisi foliis suis, idq; dum paululum creuerunt, à priori bus differt. Ideoq; duabus picturis, q̃ oẽs referũt, contenti fuimus. Syluestris similis est satiuæ Lactucæ, radice tamẽ breuior, proceriore caule, candidioribus foliis, graciliorib⁹q;, asperioribus, et gustu amaris, q̃ vt addidit Theophrastus, vbi cõ summata sunt, aculeantur. Ex qua delineatione abundè constat, Lactucã syluestrẽ esse eã herbã q̃ passim nũc ab officinis & herbarijs, nõ sine magno errore, Endiuia dicitur. Ea enĩ in aruis & vinearũ limitibus spõte nascitur, folio Lactucæ, et cũ adoleuit p oras aculeato, et laciniati serrato caulibus bicubitali, pceritate cõsurgẽtibus spinulis inhorrescẽtibus, quibus succus ineſt lactescens amarusq; flore vt lactuca satiua luteo. desinãt itaq;

Lactuca. Syluestris.

Officinarum error.

deinceps ea herba pro Endiuia vti medici si modo rectè consultum ægris cupiunt.

LOCVS.

Satiua in hortis prouenit. Syluestris in aruis et vinearũ hortorũq; macerijs sua sponte nascitur.

TEMPVS.

Florent Iulio mense, atque subinde semen proferunt.

TEMPERAMENTVM

Lactuca satiua humidum est frigidumq; olus non tamen extremè: siquidem edendo non foret: verùm maximè secũdum aquæ, vt sic dicam, substantiæ frigiditatem. Simeon Sethi frigidam & humidam in tertio ordine statuit. Syluestris autem minus refrigerat & humectat.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Satiua Lactuca stomacho accommodata est, refrigerat, somnũ conciliat, aluum mollit, lactis abundantiam facit. Elixa magis alit. Illota autẽ comesta stomachicis potest. Semen eius potum venerẽ assiduè somniantibus opitulatur, & concubitum arcet. Ipsæ tamen frequentiores in cibo, claritati oculorũ officiunt. Condiuntur muria. Quũ in caulem prodierunt, vim quandam nanciscuntur succo aut lacti syluestris Lactucæ similem. Syluestris viribus in totum Papaueri similis est, vnde aliqui eius succum Meconio permiscuerunt. Aquosa per aluum purgat potus in posca liquor obolorum duorum pondere. Exterit argema & caligi

liginem. Cum lacte muliebri inuncta ad ambusta prodest. In vniuersum soporifera est & dolorē leuat. Menses trahit. Contra scorpionum ictus, & phalangiorum morsus bibitur. Semen haud secus quàm satiuæ libidinum imaginationes in somno, ac venerem arcet. Succus ad eandem valet, sed viribus infirmior. Reponitur succus eius in fictili vase, antea, vt in alijs liquaminibus moris est, insolatus.

EX GALENO.

Lactuca ad calidas phlegmonas accommoda est, & ad parua & leuia erysipellata, maioribus tamen satisfacere minimè idonea est. Est etiam eduliū sitim arcens. Semen potum genituræ profluuium cohibet: quamobrem etiam ijs qui libidinosis somnijs vexantur, datur. Sic & syluestris Lactucæ semen. Cuius quoque succus colligitur, argema & caliginem expurgās. Ad adustiones cum lacte mulierum inungitur. Omnibus alijs oleribus paucissimum sanguinem & vitiosum generantibus, ex solæ lactuca non multus quidem, nec vitiosus, haud tamen omni ex parte laudabilis gignitur. Vt plurimum cruda ipsa vescuntur, Aestate autem cùm in semen iam proruptura est in aqua dulci præcoquentes, cum oleo, garo & aceto assumunt, aut cum aliquo ex condimentis, opsonijsue, præsertim ijs quæ caseo constāt. Plærique etiam antequam excalescat, in aqua elixa vtuntur: vti ego iam facio exquo dentes mihi de

teriores esse cœperũt. Nã amicus quidã meus quũ olere hoc a logo tẽpore me vt familiari cibo vsum fuisse sciret, videretq; post mãdi à me citra magnam molestiam nõ posse, coctura rationẽ indicauit. In iuuẽtute enim, quoniã assiduo os ventriculi bile efferuescebat, æstus moderandi gratia Lactucis vtebar. Quum autem ad proiectam ætatẽ peruenissem, olus hoc contra quam in iuuentute somnum iam studio et industria accersenti mihi auxilio fuit: quippe qui etiãnum iuuenis vigiliis dedita opera me assuefeceram declinante iam ætate, ipsa ex se in somni grauius hoc incommodo molestabar. Aduersus quod vnicũ mihi præsentissimũ remediũ Lactucæ vespere cõmanducata semper fuit. Frigidũ ergo humidũq; succũ profert haud quaquã tamẽ vitiosum. Itaque sicut alia olera à iusta cõcoctione nõ excidit, neque aluũ cohibet, vti neque impellit. Atque hæc illi nõ immeritò accidunt, quũ nec austera, nec acerbã sit quibus facultatibus in vniuersum aluus sistitur, quẽ admodũ à salsis, acribus & omnino abstergendi vim habentibus ad excreationẽ concitatur, quorũ nihil Lactucæ inest. EX PLINIO.

Est quidẽ natura oĩbus refrigeratrix, & ideo æstate gratæ à stomacho fastidiũ auferũt, cibiq; appetẽtiã faciunt. Diuus certè Augustus Lactuca cõseruatus in ægritudine fertur, prudẽtia Musæ medici, cũ priores eã ob religionẽ minimè cõmãducarẽt, in tãtũ recepta cõmẽdatiõe, vt seruari etiam

tiã in alienos mẽses eas oxymelite repertũ sit. Venerẽ inhibẽt, æstũ refrigerãt, somnumq; faciũt. Cruditatẽ ipsæ nequaquã faciũt, nec vlla res maiorẽ in cibis auiditatẽ incitat inhibetq;. Ambustis prosunt recẽtibus, priusquã pustulæ fiant, cum sale illitæ. Vlcera etiã q̃ serpũt, coërcẽt initio cũ aphronitro, mox in vino tritæ. Igni sacro illinũtur Conuulsa & luxata caulibus tritis cũ polẽta ex aqua frigida leniunt. Eruptiones papularũ ex vino & polẽta, in cholera quoq; coctas patellis dederũt, ad quod vtilissimæ quã maximi caulis et amaræ. Quidã lacte infundunt. Deferuefacti ij caules & stomacho vtilissimi tradũtur, sicut somno, & satiua maximè Lactuca, & amara lactẽs q̃; quã Miconidẽ vocauimus. Hoc lac & oculorũ claritati cũ muliebri lacte vtilissimũ esse præcipitur, dum tempestiuè capiti inũguntur. Semẽ satiuarũ cõtra scorpiões dari. Semine trito ex vino poto & libidinum imaginatiões in summo cõpesci. Tentantes aquas non nocere Lactucam edẽtibus. Quidam tamen frequentiores in cibo officere claritati oculorum tradiderunt.

DE THYMBRA. CAP. CXIIII.

Satureia nomen retinet, Sarriete.

NOMINA.

Θυμβρα Græcis, Thymbra. Cunilaq; Latinis, Kunel Germanis (Gallicè de la Sarriette) appellatur.

GENERA.

Thymbræ seu Cunilæ duæ sunt species. Vna

hortensis seu satiua, quæ quia minori est acrimo-
Hortensis nia in condimentario genere edulijs concoquuntur:
hinc à saturando Satureia dici cœpit. Alij tamen
à Satyris nomen traxisse putãt, quòd scilicet mar
cescentes coitus stimulet. Germanicè Saturon,
Satutreia Hunelful, Iotepien Zuuibel oder Gar-
vndedicta tenhysop, oder, Sergenkraut nommatur.
Altera agrestis siue rustica Cunila est, quæ pecu-
Syluestris. liariter Thymbra nuncupatur.

FORMA.

Thymbra similis est Thymo, sed minor atque
Satureia tenerior, ferens spicam floribus plenam, coloris vi-
ridis Satureia pedali altitudine surgit frutcosa,
surculosis vtrinque cauliculis, follio Hyssopi, flos-
culis per interualla ex purpura candicantibus, o-
dore saporeq; gratissimo.

LOCVS.

Thymbra in tenui solo & asperis locis nascitur
Satureia in hortis seritur passim.

TEMPVS.

Aestate vtraque Cunila floret.

TEMPERAMENTVM.

Thymbra calida & sicca in tertio ordine.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Thymbra eadem quæ Thymus præstat si con-
similiter sumatur. Vtilis etiam in sanitate eius
vsus. Est etiam satiua Thymbra in cunctis sylue
stri minor: ad cibum verò vtilior, propterea quod
non adeo efficax illi sit acrimonia.

EX

EX PAVLO.

Thymbra sylvestris eadem quæ Thymus præstat. Hortensis autem omnibus quidem imbecilior, sed ad cibum laudatior.

EX PLINIO.

Nusquam vtrunque Thymbræ genus additur quippe similis effectus.

EX HERBARIO ANTIQVO.

Farina eius ex vino pota, medetur pulmonis, thoracis, & vesicæ vitijs. Ciet vrinas, menses pellit. Herba ipsa cum floribus Lethargicos excitat calfactu, aut coronæ modo capiti imposita. Succus cum roscaceo auribus infunditur. Cum triticea farina coxendicibus illinitur. Satureiæ vsus marcescentes coitus stimulat, quare à Satyris traxisse nomen putant. Stomachi concoctiones adiuuat, fastidia discutit, hebetes oculos exacuit.

DE THLASPI CAP. CXV.

Thlaspi nobis frequens.

NOMINA.

Θλάσπι, ἢ θλασπίδιον, ἢ σινηπι ἄγριον græcis dicitur: Thlaspi, Capsella, & Scãdulaceum Latinis. (Gallicè Senene sauluaige) Sũt huius temporis herbarij qui Nasturtiũ tectorum & Sinapi rustichũ, quòd digitis friatũ sinapim suboleat, appellent. Alij Bursam pastoris vocant, non sanè quòd sit reuera eius herbæ species, sed quòd ad formam illius quàm proxime accedat. Sic antiquo herbario Bursam pastoris appellare.

Nasturtiũ tectorum.

Sinapi rustichum.

Bursa pastoris.

Thlaspin placuit. Thlaspi autem Græcis fructus forma dictum est, qui Nasturtio similis est, sed latior, & velut infractus & contusus. θλᾶσθαι enim ijsdem contundi est & infringi, infringēdoq; quæ globosum tumidúmue erat malleo, lapide, pedeue cum dilatatione exæquare.

Thlaspi vn de dictum

GENERA.

Duo Thlaspis genera damus. Vnũ latioribus folijs, quod ad Dioscoridis descriptionem proximè accedit. Hoc Germanicè Baurnsenff, oder Kresz nominatur. Alterum folijs angustioribus cõstat, et Germanicè Besem Kraut, quòd scopariũ vices suppleat, vocatur. Quare si quispiam hæc duo genera ab inuicem distinguere certis appellationibus voluerit primum Thlaspi mauis aut latifolium, alterum verò minus aut angustifolium appellet. Dioscorides etiam duo Thlaspios genera facit, vnum latifolium alterum angustifolium.

FORMA.

Herbula est angustis folijs ad digiti lõgitudinẽ, in terrã versis, in extremitatibus incisis, subpinguibus, Caulem tenuẽ, duorum dodrantũ emittit, adnascentes sibi paucos ramulos habentẽ, & per totũ eius ambitũ fructus est in summo modicè latus in quo semẽ exiguum Nasturtio simile, disci figura, veluti conquassatum, vnde & nomẽ inuenit. Florẽ obtinet album semẽq; acre. Ex ea sanè descriptione satis constat, herbã hãc quã pictã damus esse Thlaspin. angusta enim folia habet,

bet, potissimum suprema eius parte, digitali longitudine, in terram se conuertentia, per extrema leniter incisa, caulem duum dodrantum, agnatis in eo paucis calycibus, breui pediculo nitentibus, quadã ligularum vel cochlearionũ effigie, in quibus semen continetur Nasturtio simile, sed latius & veluti conquassatum, quod acerrimi esse gustus deprehenditur, ita vt mansum Sinapis modo os & linguam vellicet.

LOCVS.

In fossis, semitis, & sepibus prouenit.

TEMPVS.

Maio & Iunio mensibus floribus & semine prægnans inuenitur.

TEMPERAMENTVM.

Semen calfacit & exiccat in quarto ordine.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Calefacit, bilem per superna & inferna purgat acetabuli mensura potum. Ischiadicis in clystere infunditur. Potum sanguinem ducit, & interiores abscessus rumpit, menses cit, & fœtus necat.

EX PAVLO.

Semen Thlaspi facultatem habet acrem, adeò vt internos abscessus potum disrumpat. Mẽses cit & fœtus enecat. Per sedem infusum sanguinolẽta euacuans ischiadibus prodest. Potest enim alio qui tum supernè, tum infernè bilioſos vacuare humores acetabuli mensura epotum. Infunditur & contra coxendicum dolores. Quinetiam potũ sanguinem trahit, & internos abscessus rumpit.

EX

EX GALENO.

Thlaspi semen facultate acre est, adeò vt inter nos abscessus potum rumpat menses mouet, & fœtus necat. Per sedem infusum sanguinolenta euacuans ischiadibus prodest. Est enim alioqui tum infernè, tum supernè bilioſorum humorum euacuatorium, ac tabuli mensura potum.

EX PLINIO.

Semen asperi gustus, bilem & pituitam vtrinque extrahit. Modus sumendi acetabuli mensura. Prodest & ischiadicis infusum, donec sanguinem extrahat. Menses quoque cit, sed partus necat.

DE THERMIS. CAP. CXVI.

NOMINA.

Θέρμος ἄμερος Græcis, Lupinus satius Latinis: officinæ Latinum nomen retinerunt: Germanis Feigbō (Gallicè Lupin.) appellatur.

FORMA.

Vnicum caulem obtinet Lupinus, folium quinquefariam aut septifariam dissectum Florem cādidum, siliquas in quibus quina senáve intus grana dura, lata, rufaq; continentur. Radicem luteā capillamentis fibratam.

LOCVS.

Exilem amat terram arenosam & rubricam præcipuè. Limoso agro non exit, culturamq; reformidat.

TEMPVS.

Ter floret primum maio, deinde Iunio, & tertio

tio Iulio mense. Post vnumquenque florem siliquas producit.

TEMPERAMENTVM.

Immensa amaritudo euidenter calidum & siccum esse monstrat.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Farina eius cum melle linc̃ta lumbricos pellit. Ipsi quoque macerati, & amari adhuc comesti idem efficiunt. Decoc̃tum eorundem cum Ruta & pipere potum idem facit: vnde & lienosis prodest. Eodem gangrænas, vlcera terra, incipientem scabiem, alphos, maculas, exanthemata, & achoras perfundere vtile. Menses & fœtus idem decoc̃tũ cum myrrha & melle subditum trahit. farina eorum cutem luoremq; expurgat. Inflammationes cum polenta & aqua mitigat. Ischiades & tubercula cum aceto lenit. In aceto coc̃ta & illita strumas dissipat, & carbunculos rumpit. De coc̃ti plumali aqua donec in succum liquescant faciem abstergunt. Cum radice nigri Chamæolonis ouium scabiei medentur si tepido decoc̃to abluantur. Radix cum aqua coc̃ta & pota cit vrinam. Vbi autem edulcati fuerint, triti cum aceto & poti stomachi fastidium leniunt, & cibi auiditatem excitant.

EX GALENO.

Lupinus editur coc̃tus multis antè diebus maceratione in aqua amaritudinem deponens, fitq; tũc nutrimentum crassi succi. Cæterùm vt medicamen

camẽ ita præparatus ex genere est emplasticorũ Qui verò natiuã amaritudinẽ habet, huic extergendi & dirigendi vis inest. Lũbricos occidit illitus, & cũ melle linctus, aut cũ posca potus. Quin & decoctum eius lũbricos eijcere potest. Foris idẽtidẽ perfusum, alphos, achoras, exanthemata, scabies, gãgrænas, vlceráque maligna iuuat, partim extergendo, partim digerendo, citraq; mordacitatem siccando. Expurgat iecur & leniẽ cũ Ruta & pipere suauitatis gratia assumptũ. Elicit mẽses ac fœtum cũ myrrha & melle adpositũ. Porrò Lupinorũ etiã farina sine mordacitate digerit nec enim liuida tãtũ, sed & strumus & tubercula curat: atqui tunc in aceto aut oxymelite, aut posca hanc decoquere oportet, pro laborantis nimirum temperamento, et affectus diuersitate, quòd ex vsu est inueniendo. Digerit itẽ quæ liuida sunt & quæcunque modo dictum est præstare decoctũ eadẽ oĩa efficit & farina. Sunt verò etiã qui Ischiadicis cataplasmatis modo illinũt. EX PLI.

Ex omnibus quæ eduntur sicco nulli minus põderis est, nec plus vtilitatis. Mitescunt cinere aut aqua calidis. Colorẽ hominis frequentiores in cibo exhilarant. Amari contra aspidas valent. Vlcera atra, aridi decorticatiq; triti, suppositi linteolo ad viuum corpus redigunt. Strumas, parotidas in aceto cocti discutiunt. Succus decoctorum cũ ruta & pipere, vel in febri datur ad ventris animalia pellenda, minoribus triginta annorum. Pueris

vis verò impositi in ventrem ieunis prosunt. Et alio genere tosti, & in defruto poti, vel ex melle sumpti. Iidem auiditatem cibi faciunt, fastidiũ detrahunt. Farina eorũ acceto subacta, papulas pruritusq; in balneis illita cohibet, & per se siccat vlcera. Liuores emendat. Inflammationes cũ polenta sedat. Si ad mellis crassitudinem decoquantur, vtiligines nigras et lepras emendant. Rumpunt carbunculos impositi, panos & strumas minuunt, aut maturant. Cocti ex aceto cicatricibus candidum colorem reddunt. Si verò cœlesti aqua decoquantur, succus ille smegma fit, quo solent fouere g. ãgrænas, eruptiones pituitæ, vlcera manãtia, vtilissimum. Expedit ad lienẽ bibere, & cũ melle mẽstruis hærẽtibus. Lieni crudi cũ fico sicca triti ex aceto imponũtur. Radix quoque in aqua decocta, vrinas pellit. Medẽtur pecori cũ Chamæleonte herba decocti, aqua in potum collata. Sanãt & scabiem quadrupedum omnium in amurca decocti, vtroque liquiore postea mixto. Fumus cramatorum culices necat.

DE IO. CAP. CXVII.

Viola purpurea aut nigra nobis Martia & quadragesimalis quod tunc fere floreat. *Ion quare dicta.*

NOMINA.

Ion πορφυρουν Græcis, Viola muraria vel purpurea Latinis, blauu Veiel oder Mertzẽ violen Ger. (Gallicè Violette de Mars) dicitur. Officinæ simpliciter Violam nominant.

Ni

Nicander ion Græcis dictum credit, quod Nymphæ quædam Ioniæ, florem illum Ioni primũ dedere muneri. Alij Græci Ideo vocatũ putãt, quòd cum Io in vaccam à Ioue cõuersa esset, terra florẽ illum pabulo bouis eius fuderit. Latini quoque detrita, t, litera, Violam quasi vitulam imitatione Græca videri possunt appellasse.

Viola vnde vocata

FORMA.

Folium habet minus tenuitusq; quàm Hedera, nigrius tamen nec dissimile. Cauliculus statim à radice medius prosilit, in quo flosculus suauiter olens purpureus. Humilis præterea est, statumq; à numerosa radice orbiculata folia sine ramis exeunt. Semen quoque minutum in folliculis vasculisue rotondis vt pictura indicat, extrema, ferè æstate producit.

LOCVS.

Nascitur in opacis & asperis locis, ad radices maximè murorum, hortorum marginibus, & sepibus.

TEMPVS.

Viret hæc perpetuo, Theophrasto teste, si cultus adhibeatur: tamen vere, & Martio mense floret, quo potissimum tempore colligi flores eiusdem debent. Semina vero in æstate, vt dictum est.

TEMPERAMENTVM.

Violæ folia aqueam & subfrigidam substantiam superantem possident. Frigidæ autem sunt primo ordinæ, humide vero secundo.

VIR

VIRES EX DIOSCORIDE.

Refrigerandi vim obtinet. Folia eius per se & cũ polenta illita stomacho æstuanti oculorum inflammationibus, sedisq; procidentijs auxiliantur. Præterea id quod in flore purpureum est cum aqua potum, angina correptis, et puerorum comitialibus mederi affirmant.

EX GALENO.

Folia per se, aut cũ polenta illita calidas phlegmonas mitigant. Imponuntur & ori ventriculi æstuanti, & oculis.

EX PLINIO.

Purpureæ violæ refrigerant. Contra inflammationes illinuntur stomacho ardenti. Imponuntur & capiti in fronte. Oculorum priuatim epiphoris, & sede procidente, vuluáve. Et cõtra suppurationes Crapulã & grauedines capitis impositis corõis olfactiue discutiũt. Anginas ex aqua potæ. Id quod purpureum est ex ijs comitialibus medetur, maximè pueris, in aqua potum. Semen scorpionibus aduersatur.

EX SIMEONE SETHI.

Prorsunt ad inteſtinorũ dolores cor verò offendunt. Doleres capitis qui fiunt à flaua bile sopiũt potæ & odoratæ. Ventriculum irritant, & flauã in eo inuentam bilem. Caput siccum humectant, calidumq; refrigerant suo odoratu. Somnum inducunt. Humida capita deſtillationibus obnoxia reddunt.

DE VIOLA MATRONALI. CA. CXVIII.

Violæ matronalis tibi pictio dictæ, nobis Bachares videntur.

NOMINA.

VEteribus Græcis & Latinis cognitæ fuerint nec ne Violæ quæ hodie, quòd eas matronæ colere soleant, matronales vocantur, nondũ compertum habemus. Quare vulgari & vsitato nomine, donec rectius inuentum fuerit, vtemur. Germanicè, quod raræ ad huc in Germania dum ista scriberemus fuerit, Vuelschueiel appellare voluimus, vt nimirum hac nomenclatura à Leucoijs: de quibus suo dicemus loco, segregaremus. Possent etiam haud inepte Frauuenueil, ad imitationem Latini nominis appellari.

GENERA.

Tria Violarum matronalium damus genera. Primi enim generis candida est, alterius puncea tertij purpurea: nec differre admodum nisi solis floribus videntur.

FORMA.

Fruticosa est herba cubitali altitudine, ramosa, caule & folijs lanugenosis, oblongis, angustis mollibus ac canescentibus, floribus aut albis, aut puniceis, aut purpureis quadrifolijs, semine in oblõgis siliquis lato ac tenui, radice longa, ligniosa, subrusa & acri.

LOCVS.

In hortis & cultis locis proueniunt.

TEM.

TEMPVS.

Iulio & Augusto mensibus florent.

TEMPERAMENTVM.

Admodum calidas esse sapor foliorum & radicis, qui acris est abunde docet. Humiditatẽ autem multam Galeno lib. 4. ca. 18. de simpli. medi. facul. teste, eo quòd amaræ nõ sint, admistam habent.

VIRES.

Incidendi & digerendi per halitum vim obtinent. Ideoq; radix aut folia decocta in aqua, contusis, difficultate spirandi laborantibus, & veteri tussi auxiliantur. Vrinam & menses ducũt sudoresq; ciendi facultatem habent.

DE IRIDE. CAP. CXIX.

NOMINA.

IRis Græcis, Iris Latinis *appellatur: officinis suam appellationem retinuit. Germanis* blauu Gilgen, blau Schuuertel, Veieluurtz (*Gallicè* du glaieul. ou de la flãbe) *dicitur. A cœlestis arcus similitudine quam flores eius re præsentant, vt paulò pòst dicemus, nomen accepit Iris. Sunt qui non sine pudendo errore aliam assignent herbam rectò, aliam casui paterno, ita vt Iris ab Ireos, tanquam purpureus color à niueo, distingui putetur imperitis herbarijs. Promanasse autem hunc errorem ex Græca voce* Κύριος, *qua Lilium, quod candidos profert flores, genti illi significatur, parum per vnius literæ abiectionem deprauata, verisimile est. Primam nã-*

Iris vnde dicta.

Causa vulgaris erroris.

que literam abijcientes, vltimam verò in, a, vertentes, ἴριν dixerunt pro λείριον. Sed hæc opinio indigna est quæ explodatur, cùm Dioscoride & alios veteres omnes seorsim de Iride & Lyrio siue Lilio agere constet.

FORMA.

Folia Gladiolo similia fert, maiora tamen, latiora & pinguiora. Flores in caule æqualibus inuicem spatijs distantes, inflexi, varij. Aut enim cãdidi, aut virides, aut lutei aut purpurei, aut cærulei conspiciuntur. Vnde ob hanc varietatem arcui cælesti assimilata est. radices subsunt geniculatæ, solidæ, odoratæ quæ simulatq; fuerint dissectæ siccantur in vmbra, & filo traiectæ reconditur. Hæc Dioscoridis pictura tota huic herbæ quã Irim hodie barbarij et officinæ vocant, suffragatur. Siquidem ea radicibus nititur solidis, geniculatis & odoratis, adeo vt violarum purpurearum odorem prorsus referre videatur, & hoc nomine à Germanis nostris Veieluurtz hoc est, Violacea radix, sit appellata. Folia Gladioli faciẽ simulant, maiora duntaxat, latiora & pinguiora. Caule recto sesquipedali, è cuius fastigijs pari interuacante spatio flores erumpunt, inflexis mutuò foliorum labris, qui nitent varia colorum mistura, instar cœlestis arcus. Quemadmodum enim aquarius ille arcus, qui est imago malè expressi solis, caua nube recepta, varios mẽtitur colores sicut cæruleas, virides luteas purpureasq; lineas

Violacea radix.

neas inducat, ita cauo calyculi sinu versicolores lituras flores ostẽdũt, qua diuersa specie cœlestẽ æmulãtur arcũ. Fallũtur itaq; qui in toto floris ambitu huiusmodi varietatẽ perquirunt, cùm inflexa foliorum labra vel purpureus, vel cœruleus semper color inficiat.

LOCVS.

Passim in hortis & macerijs vineariũ prouenit. Laudatissima tamen est quæ in Illyrio & Macedonia nascitur, & melior inter has quæ densa & breui radice constat, quæq; frangenti contumax est, colore sub russa, admodum odorata, gustuq; feruida.

TEMPVS.

Floret vere, Maio potissimum mense, quo sanè tempore flores colligi debent. Radices autem suo tempore, hoc est, autumno.

TEMPERAMENTVM.

Iris in altero calefacit ordine, in tertio autẽ desiccat. Abstergit quoq; & maturat.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Irides omnes calefaciendi extenuandiq; vim obtinent. Contra tussim efficaces, humoresq; non facilè excreabiles extenuant. Biles ex hydromelite drachmarũ septem pondere potæ purgãt. Somnum concilãt. Lachrymas cient. Tormĩnibus medentur. Cũ aceto potæ venenatorũ morsibus, lenosis, cõuulsis, refrigeratis, rigẽtibus, & quibus gentura effluit, auxiliatur. Menses cum vino potæ ducunt. Decoctum earum ad mulierbria fomenta vtile, molliens aperiensq; locos. Ischiadicis in

funditur. Fistulus & sinus carne explent. Quinetiã glandis modo cũ melle appositæ, fœtus extrahũt. Strumas veteresq; duritiesq; coctæ et illitæ emollunt. Aridæ vlcera explent, & cũ melle purgãt. Nudata ossa carne operiunt. Doloribus capitis cũ aceto et rosaceo vtiliter illinũtur. Lẽtigines, cutis in facie vitia cũ Elleboro albo, et duabus mellis partibus illitæ emẽdant. Pessus, malagmatis & acopis miscentur. In vniuersum magni vsus sunt.

EX PAVLO.

Iris tussi vtilis, Humores in thorace non faciẽ excreabiles extenuat. Torminibus medetur, vlceraq; sordida expurgat. Cũ mulsa pota aluũ ducit.

EX PLINIO.

Infantibus eam circũligari salutare est. Dentientibus præcipua est & tussientibus, tinearũque vitio laborantib. instillari. Cæterùm vlcera purgat, capitis præcipuè, suppurationes veteres. Aluũ soluit duabus drachmis cũ melle. Tussim, Tormina, inflationes, pota. Lienes ex aceto. Contra serpentium & araneorum morsus, ex posca valet. Contra scorpiones, duarum drachmarum pondere in pane vel aqua sumitur. Contra canum morsus ex oleo imponitur. Et contra perfricliones. Sic & neruorum doloribus. Lumbis verò & coxendicibus cum resina illimitur. Vis ei cõcalfactoria. Naribus subdita, sternutamẽta mouet capitiq; purgat. Dolori capitis cum Cotoneis malis aut Struthea illinitur. Crapulas quoq; et orthopnœas discutit.

Vom

Vomitiones cit, duobus obolis sumpta. Ossa fracta extrahit, imposita cum melle. Ad paronychias farina eius vtuntur. Halitus oris commanducata abolet, alarumq; vitia, Succo duritias omnes emollit. Somnum conciliat, sed genituras consumit. Sedis rimas & cõdylomata, omniaq; in corpore excrescentia sanat.

DE HIERACEO.

CAP. CXX.

Hieraceum vtrunque hic frequens.

NOMINA.

Ἱερακιον, ἢ ποογχιτης Græcis, Hieraceum Latinus dicitur: officinis inusitatum. Germanicè, quum aliud nomen expiscari non potuerimus, Habichkraut (Gallicè Cichoree iaulne) appellauimus, ad Græcam alludentes appellationem: neque enim alia ratione Græci hanc herbam Hieraceum nominarũt, nisi quòd accipitres, quos illi Ἱέρακας dicunt, scalpendo eam, succoq; oculos tingendo, obscuritatem cùm sensere discutiant. Sonchites autem dicta est, quòd Soncho non admodum dissimilis sit, maximè quòd ad eius circunferentiam & extremam partem, in qua caules & flores sunt, attinet, Hæc enim & illa concauo, & lacteum succum emittente caule, luteisq; floribus est. Apuleius Lactucam syluaticam appellat. Plinius quoq; libro vigesimo, cap. septimo. vt alij alij omnes ferè, in Lactucarũ spõte nascentiũ numero, ppter similitudinẽ, Hieraceon hoc habet. Hieraceũ vndedictũ Sonchites. Lactucæ syluatica.

Quàm autẽ inuicem similes sint Hieraceum & Lactuca syluestris, vtriusq; icones & effigies collatæ monstrabunt.

GENERA.

Hieracij duo sunt genera, maius nimirum & minus. Maius Germanicè grosz Habichkraut, Minus autem kleein Habichkraut nominatur.

FORMA.

Hieraceũ maius. Hieraceum maius caulem habet asperũ, modicè rubentem, spinosum, concauum. Folia per inter ualla rariusculè diuisa, Soncho per circunferentiã similia. Flores in oblongis capitulis luteos. Quæ de signatio prorsus hanc quam pictam damus herbã exprimit. Siquidem caulem emittit scabrum, subrubrum, spinulis horrentem, cauum, folia ex interuallis & rarò laciniata, Sonchi foliis non dissimilia. Flores in longiusculis capitulis luteos.

Hieraceũ minus. Minus Hieraceum folia ex interuallis per ambitum diuisuris scissa obtinet. Caules de se emittit cauos, teneros & virides, in quibus flores lutei circulum circunscribentes, Quæ itidem notæ omnes herbæ illi, cuius picturam exhibemus, conueniunt.

LOCVS.

Vtrunq; in quibusdam pratis prouenit.

TEMPVS.

In fine Iulij mensis, & per vniuersum Augustum floret Hieraceum. Succus eius capitur per messes inciso caule.

TEM

TEMPERAMENTVM.

Maius Hieraceum planè Sonchi temperamento constare videtur, refrigerat itaq; & mediocris adstrictionis est particeps. Minus in gustu paulò maiorem amaritudinem refert.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Vim habet Hieraceum maius refrigerandi, & modicè adstringendi, ideoquè æstuanti stomacho, & inflammationibus illitum prodest. Succus erosionem eiusdem insorbitione mitigat. Herba ipsa cum radice illita scorpionum ictibus auxiliatur. Minus facultates habet superiori easdem.

EX PLINIO.

Succus sanat omnia oculorũ vitia cũ lacte mulierum. Arcet nubeculas, cicatrices, adustionesq; omnes, præcipuè caligines. Imponitur etiam oculis in lana contra epiphoras. Idem succus aluum purgat, in posca potus ad duos obolos. Serpentium ictibus medetur in vino potus. Et folia tosta, thyrsiq; triti ex aceto bibuntur. Vulneri illinũtur, maximè contra scorpionum ictus. Verum contra phalangia, commixto vino ex aceto.

APPENDIX.

Sunt qui tantã messe huic herbæ vim cõtra oculorum vitia credant, vt radicem etiam à collo suspensam caliginem oculorum sanare posse dicant.

DE HIPPVRI. CAP. CXXI.

Hippuris cauda equina vulgo, multiplex etiã nobis est.

NOMINA.

Equisetū. Ἱππουρις Græcis, *Equisetum, herba aut salix equinalis Latinis, recentioribus herbarijs verbum verbo reddentibus, Cauda equina, Germanis* Roszschuuātz, Pferdtschuuātz, Roszuundci, Katzenuueldel, Katzenzagel, kanten kraut, Schaffthouu (*Gallicè* Queue de cheual) *nominatur.*

Cauda equina.

Hippuris cur dicta. *Nomen tam Græcum quàm Latinum à caudæ equinæ imagine, quam comæ illius præ se ferunt, accepit.*

GENERA.

Asprella. *Eius duo sunt genera. Vnum lōgius, quod nōnulli ætatis nostræ herbarij ab asperitate quam obtinet Asprellam vocant. Hinc est quod materiarij fabri ligneam pectinum & aliorum minutorum operum ruditatem huius herbæ scabritia in nitorem expoliant. Germanicè* groſz Roszchuuantz *dicitur. Alterum breuius est, ad abstergenda vasa aptum. Germani* Klein Roszchuuantz *appellant.*

FORMA.

Primū Equiseti genus cauliculos habet inanes, lenter rubentes, subasperos, solidos, geniculis quibus inuicem inseruntur dissectos, in quibus folia tuncea, crebra, & tenuia. In altitudinem adsurgit, scandendo proximas stipites comis circunfusa depēdet multis, nigris vt equorū cauda. Radix illi est lignosa, dura. Alterum comas per interualla habet breuiores, candidiores & molliores.

LOC

LOCVS.

Longius Equiſetum in aquoſis locis & ſcrobibus prouenit, nec eo in foſſis propè aquas & vmbroſis locis alia planta frequentior eſt, vt hoc nomine χαράδρανον Græcis dictum ſit. Neq; enim χαράδρα alud eſt illis niſi terræ rima & fiſſura, ἔφυδρον etiam non alia ratione, quàm quòd in aquoſis produceretur, nominauerunt. Alterum in pratis inuentur, nec ferè frequentius occurrit, inuiſa fœniſecis.

χαράδρανον. ἔφυδρον.

TEMPVS.

Vtrunque æſtate ſuis in locis copioſe prouenit.

TEMPERAMENTVM.

Adſtringentẽ cum amaritudine facultatem, ac proinde valenter ſimulq; citra mordicationem exiccantem, obtinet.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Herba ipſa adſtringit. quapropter ſuccus eius ſanguinẽ ex naribus erumpentẽ ſiſtit. Dyſentericis cũ vino potus confert. Vrinam cit. Folia cruẽta vulnera glutinant trita & inſperſa. Herba & radix tuſſiẽtibus, orthopnoicis, ruptisq; ſuccurrit. Quinetiam inteſtinorum diuiſiones, veſicæ diſſectionem, & inteſtinorum ramicem coaleſcere cogũt; folia in aqua pota feruntur.

EX GALENO.

Vulnera maxima conglutinat, etiãſi præfectos eſſe neruos, contingat: præterea inteſtinorum ramices cogit. Cæterum ad ſanguinis reiectionem, ad fluxum muliebrem, potiſſimum rubrum, ad

dyſ

dyſenterias, & ad alia ventris profluuia generoſum eſt medicamentum herba ipa aut ex aqua aut ex vino epota, Sunt qui de ea ſcriptum reliquerunt, quod nõnunquã etiam veſicæ, & tenuiũ inteſtinorũ vulnera ſuccus ipſius ſanauerit. Prodeſt etiam profluuio ſanguinis ex naribus, tũ fluxu obnoxijs in ventre affectibus ex auſterorum quopiã vinorũ potus, ac ſi febre teneatur ex aqua.

EX PLINIO.

Vis eius ſpiſſare corpora. Succus ſanguinem è naribus fluentem incluſus ſiſtit, item aluum. Medetur dyſentericis in vino dulci potus cyathis tribus. Vinam cit. Tuſsim, orthopnœam ſanat: ũẽ rupta, & quæ ſerpunt. Inteſtinis & veſicæ folia bibuntur. Enterocœlen cohibet.

DE HIBERIDE. CAP. CXXII.

Hiberis in pratis frequeus.

NOMINA.

Ἰβηρὶς, ἡ καρδαμαντικὴ, ἡ ἀγριοκάρδαμον Græcis, Galeno et Paulo alio nomine Lepidion: Hiberis, Naſturtiũ agreſte Latinis appellatur Officinis noſtris incognita. Germanis Gauchblũ, (Gallicè Paſſeraige ſauluage) non alia ratione quàm quòd plerosq; qui in illius notitiã nõdum peruenerunt, infatuet. Poteſt etiam commodè dici vuilder kreiz. Cardamatice, et Agriocardamum Græcis appellata, quòd raduci odor inſit Naſturtij: vel quòd eius folia partim Naſturtio aquatico, quod à Diaſcoride Siſymbrium cardamum

Naſturtiũ agreſte.

Agriocardamõ cur dicta.

damine dicitur, partim etiam hortensi, quod Cardamon Græcis nominatur, similia sint: vel quòd gustu Nasturtium referunt.

FORMA.

Folia Nasturtio similia habet, verno tempore virentia, cubitali longitudine, aut minore, flore lacteo, radicibus duabus, sed vna apud nos frequentius, nititur, odore Nasturtij quàm acerrimo. Ex qua nimirum descriptione omnibus perspicuum fit, herbam cuius picturam exhibemus esse Hisperida: caulem enim cubitalem obtinet, foliaq; Nasturtio similia. Quæ enim à radice statim exeunt, aquatici, quæ verò in supremo caule emicant hortensis Nasturtij folia referunt. Verno quoq; tempore virent, flos denique lacteus est, hoc est, in albo purpurascens: hunc enim Dioscoridem vocare lacteum florem, satis testatur quarta Ranunculi species, cuius etiam florem, qui colore huic similis est, lacteum esse scribit. Semen quoq; in siliquulis tam exiguum producit, vt, Plinio etiam teste, vix aspici possit: radicem autem exilem atq; acrem, cui inest Nasturtij odor.

LOCVS.

Nascitur incultis locis, circa itinera & prata.

TEMPVS.

Verno tempore apparet. Aprili potissimum mense & Maio, duratq; ad æstatis initia, quo potissimum tempore lacteum florem fundit: initio enim purpureo colore maculatus videtur: efficacior

cioremq; vsum obtinet, quòd tum semen etiam in siliquulis proferat.

TEMPERAMENTVM.

Ex quarto est ordine calefaciẽtium, vt Nasturtium, minus tamen eo desiccat.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Radix calefacit & adurit. Vtilis est ad coxendicis dolores cum sulfo adipe salso, emplastri modo quaternis horis illita. Deinde in balneum descendatur, & oleo cum lana locus perungatur.

EX GALENO.

Similis Nasturtio tum odore, tum gustu, tum viribus.

EX PLINIO.

Coxendicibus et articulis omnibus cũ axũgia modica vtilissima, viris plurimũ quaternis horis, fœminis minus dimidio adalligata, vt dein in balneum descendatur in calidam, & postea oleo & vino corpus perungatur, diebusq; vicenis interpositis idẽ fiat, si qua admonitio doloris supersit. Hoc modo rheumatismos omnes sanat occultos. Imponitur in ipsa inflammatione, sed imminuta. Adalligata capiti cum Quinquefolio, epiphoras & si qua in oculis vitia sunt, emendat.

APPENDIX.

Recentiores herbarij eius herbæ cuius picturã damus vsum probãt cõtra pediculos, si lixinio incoquatur. Vnde colligere licebit, eam vexiccandi & ex alto euocandi trahendiq; facultatem, haud

secus

secus atq; Nasturtium aut Sinapi, habere. Nam, Galeno lib. 1. de compos. it. med. secundum locos, capit. septimo, teste, medicamenta quæ phthiriasi medentur, necessariò exiccant atque ex alto trahunt. Vt iterum euidentissimum sit hanc herbã, eo quod Nasturty facultates obtineat, esse veram Hiberida, non obstante quòd rarò aut nunquam duabus, sed vna potius & exili nitatur radice.

DE HIPPOSELINO.

CAP. CXXIII.

NOMINA.

Officinarũ error.

Hipposelinum vnde dictum.

Olus atrũ quare appellatum.

Ἱπποσέλινον Græcis, Olus atrum Latinis dicitur: officinæ eius semine perperã pro Petroselino macedonico vtũtur. Germanis grosz Eppich, oder grosz Eppich (Gallicè ache. ou hache) appellatur. Hipposelinon autem à magnitudine dictum est: siquidem Græci magnis & amplis rebus hippo præponere solent, adeò vt Hipposelinum Latinis nihil aliud nisi grande Apium sit. Olus autem atrum vel pullum à foliys, quæ atro colore nitent, appellatum esse videtur.

FORMA.

Maius est hortensi Apio, caule cauo, alto, tenero, veluti lineas habẽte, foliys latioribus, subpuniceis, Libanotidis coma. plena flore, in corymbos ante quã defloreat congesta, semine nigro, oblongo, solido, acri, odorato, radice odorata intus candida, ori grata, pro caulis magnitudine nõ admodũ densa. Porrò ne mireris quod picturæ non ex

omnia

omni parte respondeat descriptio: neq; enim Hipposelinũ integrum, & quod ad perfectam peruenit ætatem, floresq; & semen produxit, damus, sed id tantùm quòd primo erumpit. Radicem itaque tantùm & folia depingi curauimus, vt quæ Oleris atri, cuius sæpe fit apud Dioscoridem mentio, forma, saltem in foliis & radice, esset, cerneres. Annitemur tamen vt aliquando integram eius herbæ picturam exhibeamus.

LOCVS.

Nascitur in vmbrosis, & iuxta paludes.

TEMPVS.

Satum tardè prouenit, ideoq; factum vt integrè depictum dare nobis haud licuerit. Floret, Plinio teste, æstate.

TEMPERAMENTVM.

Calidum est in secundo ordine, vt Apium, & sicum in medio tertij.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Estur olerum modo ceu Apium. Radix etiam cocta & cruda estur. Quinetiam folia & caules cocti manduntur, & per se aut cum piscibus præparantur. Crudaq; ad salgama cõdiuntur. Semen potum in mulso menses ducit. Ragore cõcussos calfacit potum & illitum. Vrinæ stillicidio auxiliatur. Radix eadem præstat.

EX GALENO.

Hipposelini similis Apio vis est, validior tamẽ. Mensiũ aũt & vrinæ ciendæ potissimũ facultatẽ habet,

habet, vt liquet ex capite eiusdem de Smyrnio.

EX PLINIO.

Olus atrum quod Hipposelinum vocãt, aduersatur scorpionibus. Poto semine torminibus interraneis medetur. Itemq; difficultatibus vrinæ semen eius decoctum ex mulso potum. Radix eius in vino decocta calculos pellit, & lumborum ac lateris dolores. Canis rabiosi morsibus potum & illitum medetur.

DE IXO. CAP. CXXIIII.

NOMINA.

Ixo Græcis, Viscum Latinis & officinis. Germanis Mistel oder, Affolter (Gallicè du Guy ou de la Glu) nominatur.

FORMA.

Planta est fruticosa lenta, semper virens, intus porracei coloris, extrà subflaua, foliis buxi, acinis exiguis, sine flore.

LOCVS.

Nunquam in terra, sed semper in arbore, quercu præsertim, piro, malóque prouenit.

TEMPVS.

Autumni initio cum suis acinis decerpitur.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit cum acrimonia: ex plurima enim aëria & aquea, paucissima terrena substãtia constat. Igitur acrimonia ĩ eo amaritudinẽ excellit.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Discutit, emollit, attrahit: tubercula, parotidas

cæterosq; abscessus cum resina & pari cæra mixtum, maturat. Epinyctidas in splenio curat. Cũ thure antiqua vlcera & malignos abscessus mollit. Lienes cum calce, aut gagate lapide, aut assa coctiũ & impositũ minuit. Cum auripigmẽto aut sandaracho illitum vngues extrahit. Mixtum cũ calce & face, vim suam intendit.

EX GALENO.

Valenter ex alto humores extrahit: nec tenues tantùm, sed & crassiores cosq; diffundit ac digerit. Est autem ex eorum genere quæ non protinus admota calfaciunt, sed quæ tempus requirũt velut Thapsia.

DE ISATIDE. CAP. CXXV.

Isatis sylaestris nobis Gueide.

NONINA.

Guadum. Ἰσάτις Græcis, Isatis Latinis vocatur. Gallis, vt in cõmẽtarijs suis testatur Cæsar, Glastum olim dicebatur, nunc Guadum Germanis autem ad hoc nomen alludentibus, Vueydt (Gallicè du Gueide, ou pastel) nominatur. Arabibus Nil, Nilech, & Indicum, vt lib. 1. Paradox. cap. vigesimo sexto monstrauimus Barbari depraua ta voce Osatim appellant.

Nilech, Indicum. Osatis.

GENERA.

Duo Isatidis sunt genera. Vna enim satiua, qua tinguendis lanis infectores vtũtur. Altera verò sylvestris, qua lanarum infectores haud vtuntur. Priorem Germani simpliciter Vueydt, alteram

teram verò cum adiectione Vuild Vuey dt nominant.

FORMA.

Satiua folia habet Plantagini similia, sed pinguiora, nigrioraq;, caulem duobus cubitis altiorē. Hæc Dioscorides, qui reliquas notas, quæ syluestri similes per omnia sunt, commemorare noluit. Ex syluestris tamen effigie facilè quales sint æstimare poteris, hæc enim teste Dioscoride, satiuæ similis est, folia tamē maiora obtinet, ad Lactucæ folia accedentia: caules etiā tenuiores, multifidos, rubicantes, qui in cacumine folliculos linguarū figura multos dependentes habēt, in quibus semē. Flos ei luteus & tenuis. satiuæ. Syluestris.

LOCVS.

Isatis satiua copiosè in Germania prouenit præsertim agro Erphordiano, cui magnum quæstū adfert. Viridem enim herbam trusatilibus molis premunt, vt herbaceam saniem excludant: deinde aclo liquore digerunt in magnos globos, quos tabulatis computrescere in æstate feruente sinūt. Hos cortinis infectoriæ coquunt officinæ & laneos pannos, ac vellera demergunt, vt cæruleum imbibant colorem. Syluestris sua sponte in quibusdam Germaniæ locis nascitur, vt Tubingæ, vbi oēs vinearū maceries hac herba septæ videtur

TEMPVS.

Maio & Iunio mense florent, ac subinde semē proferunt.

TEMPERAMENTVM.

Isatis satiua valenter admodum exiccantis, nondum tamen mordentis facultatis est. amara enim simul atque adstringens existit. Syluestris verò acre quiddam tum gustu, tum actione præfert proinde valentius quàm satiua desiccat.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Isatidis satiuæ folia omnia œdemata & tubercula illita discutere possunt. Cruenta vulnera glutinant. Sanguinis profluuia sistunt. Vlcera phagedænica, herpetas erysipelata, & putrescentia sanant. Syluestris eadẽ quæ satiua potest. Lienosis etiam pota & illita auxiliatur.

EX GALENO.

Satiua magna vlcera duorum corporum glutinat, etiam si in capitibus musculorum fuerint, & sanguinis profluuio laborantibus partibus vtiliter illinitur. Tumores œdematodeis mirificè discutit, simul & reprimit, omnibusq; vlceribus ma lignis mirabiliter resistit, etiam si putrescant, etiã si erodantur. Quòd si quando laborantis natura validior appareat, folijs eius tritis aut panẽ, aut hordeaceam farinam, aut triticeam, aut polentã pro vincente in vnoquoque affectu, miscere oportebit. Syluestris verò potentiss imè humidis putredinibus obsistit, ad cætera verò iam comprehẽsa deterior: immoderatius enim & cum mordacitate desiccat, talia nanque irritantur hoc pacto, & phlegmone grauari incipiũt. Cæterũ ob facultatis ro

tis robur lienosis quoque vtilis est, quũ altera pro desse nondum possit.

EX PLINIO.

Isatidis folia trita cum polenta, vulneribus prosunt. Sanguinem sistit. Phagedænas et putrescentia vlcera, & quæ serpunt, sanat. Item tumores ante suppurationem. Contra ignem sacrũ radice vel foliis prodest, vel ad lienes pota.

DE ITEA. CAP. CXXVI.

NOMINA.

Salix cur dicta.

ITia Græcis, Salix Latinis, Vuiden, oder Felber Germanis (Gallicè Saulx) appellatur. Salix verò à saliendo dicta est quòd ea celeritate crescat, vt quasi salire videatur. Sic etiam Iteam quasi Salicem vocauerunt Græci.

Itea vnde vocata.

GENERA.

Tria Salicis genera Theophrastus libro. iij. capi xiij de historia plantarum recenset. Primã nigram nominari dicit, quòd nigro aut puniceo cortice obducta sit. Secundã candidam, quod cãdido obducatur cortice. Tertiam coacta breuitatis ac pumilam Helicẽ Arcadibus appellari scribit. Plinius etiã lib. xvij. cap. xxxvij. tria Salicis nomina commemorat: Viminalem, eandemq; purpuream: Vitellinam à colore luteo, graciliorẽ priore: Gallicam quæ sit tenuissima. Lucius Columella lib. iiij. cap. xxx, eiusdem quoque tria facit genera, Græcã Gallicã, & Sabinã quã etiã Amerinam vocari à plurimis scribit. Græcam flauicoloris

Salix nigra.
Candida.
Pumila.
Viminalis
Vitellina
Gallica.
Græca.
Sabina.

loris, Gallicâ absoleti purpurei, tenuissimiq; viminis, Sabinâ gracilibus virgis atque rutilibus esse asserit. Quæ sanè singula pulchrè cũ ijs quæ Theophrastus tradit, conuenire videtur. Nam prima Salicis speciem, quã Theophrastus nigram aut puniceam vocat, Plinius Viminalẽ, Columella verò Sabinã & Amerinã appellat, Germani rot Vuiden nominãt Secundã speciem, quã Theophrastus candidã, Plinius Vitellinam, Columella autem Græcã vocat, Germani geel Vueiden. Tertiam, quæ Theophrasto Helix dicitur, Plinius & Columella Gallicã appellant, Germani verò à tenuitate Klein Vueidẽ. FORMA.

Sabina.

Prima Salicis species

Secunda.

Tertia.

Salix breui caudice consurgit, ramis longis, è trunco extremo veluti à capite prodeuntibus, lentis flexilibus: foliis longis, subtus incanis, supernè virentibus: flore seu nucamẽto squamatim cõpacto, lanuginoso, propendente, fructu qui facilè ante maturitatem euanescat. LOCVS.

Aquosis lætatur, ideoq; auctu per quã facilis.

TEMPVS.

Floret primo statim vere, Ocyssimè amittit fructum, antè quàm omnino maturitatẽ sentiat ob id dicta Homero ὠλισίκαρποι, hoc est, frugiperda. Odyss. κ. vbi sic canit: μακραὶ τ' ἄιγειροι καὶ ἰτέαι ὠλισίκαρποι. Fructum siquidem fert, Plinio autore, abeuntem in arancam antequam percoquatur. TEMPERAMENTVM.

Salicis tum folia, tum flores, citra mordacitatem

tem exiccantis sunt facultatis, ac modicè adstringunt. Cortex tamen eius siccior.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Adstringunt Salicis folia, fructus, cortex & succus. Folia trita cum exiguo pipere & vino pota ileosis conueniunt. Per se etiam cum aqua sumpta, præstant mulieribus ne concipiant. Fructus potus sanguinem expuentibus prodest. Cortex eadem præstat. Vstus & cum aceto subactus, clauos & callos illitus tollit. Ex foliis & cortice succus in putamine mali punici cum rosaceo calfactus, aurium doloribus auxiliatur. Decocto eorum podagras foueri optimũ. Furfures exterit. Excipitur etiã è Salice succus exciso cùm floret cortice: in interiore enim eius parte concretus inuenitur. Vim autem habet exterendi quæcunque pupillæ claritati obstant. EX GALENO.

Salicis foliis ad cruenti vulneris glutinationẽ quis vti posset. Verum floribus eius maximè propè omnes vtuntur medici ad exiccantis emplastri præparationẽ: est enim vis eorum desiccatoria: habẽt etiã quãdam adstrictionẽ. Sunt qui succũ ex ea expressum, medicamen seruẽt mordacitatis expers & exiccatorii, ad multas res vtile Haud enim inuenias quid ad plures res vtilius medicamento citra mordacitatem exiccante, quod paulùm etiam adstringat. Porrò arboris cortex similem facultatem obtinet. tum floribus, tum foliis, nisi quod temperaturæ sit siccioris, velut omnes

cortices. Sed hunc quidam comburunt, eiusq; cinere vtuntur ad ea omnia quæ valenter desiccare oportet. Nam clauos quos vocant, callos, myrmeciasq; tollunt, aceto ipsum macerantes æri. Nonnulli autem dum floret Salix, corticem eius incidunt, & succum quendam colligunt, vtunturq; ad ea quæ pupillas obfuscant, extergente videlicet simulq; tenuium partium medicamine. Vti vero illo ad multa alia quis posset, siquidē talis sit.

EX PLINIO.

Salicis fructus ante maturitatem in aranearum abit. Sed si prius colligatur, sanguinem reijcientibus prodest. Corticis è ramis primis cinis clauum & callum aqua mixta sanat. Vitia cutis in facie emendat, magis admixto succo suo. Est autē hic trium generū. Vnum arbor ipsa exudat gummi modo. Alterum manat in plaga cùm floret, excisō cortice trium digitorum magnitudine. Hic ad purganda quæ obstant oculis, item ad spissanda quæ opus sunt, ciendamq; vrinam, & ad omnes collectiones intus extrahendas. Tertius succus est detruncatione ramorum à falce destillans. Ex ijs aliquis cū rosaceo in calyce mali punici calfactus auribus infunditur: vel folia cocta, & cum cera trita imponuntur. Item podagricis. Cortice & foliis in vino decoctis fouere neruos vtilissimū. Flos tritus cū foliis furfures purgat in Facie. Folia trita & pota intemperantiam libidinis coercent, atque in totum auferunt vsum sæpius sumpta.

DE

DE CAPNO. CAP. CXXVII.

NOMINA.

Καπνος Græcis, *Fumaria* Latinis *officinis Fumus terræ*, Germanis Erdtrauch, Daubē kropff, Katzen korbel (*Gallicè* Fumeterre ou pied de Geline) *appellatur. Fumaria verò hæc herba dicta est, propterea quòd succus eius oculis inditus, veluti fumus lachrymas mouet, oculosq; mordicat.*

FORMA.

Fruticosa herbula est, Coriandro similis tenera admodum: foliis cādidioribus, cineracei coloris vndique numerosis, flore purpureo.

LOCVS.

Nascitur in segetibus hordeaceis, hortis, vineis sepibus, & macerijs, aliisq; locis incultis atque pinguibus

TEMPVS.

Carpitur in fine Maij mensis & Septembris.

TEMPERAMENTVM

Capnos calida & sicca in secūdo esse videtur ordine: id qd ex gustu patet: acris enī et amara est.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Huius succus acris est, visum acuit, lachrymas ducit, vnde & nomen traxit. Illitus cum gummi duplices palpebrarum pilos renasci non sinit. Cōmanducata herba biliosam vrinam trahit.

EX GALENO.

Capnos acris simul & amaræ qualitatis est

particeps, nec tamẽ planè expers est acerbæ. Quã obrem biliosam vrinam multã prouocat, sanatq; iecinoris obstructiones & debilitates. Succus eius oculorũ aciem acuit, non parum lachrymarũ trahens, veluti ipse fumus: nam hinc ei appellatio indita. Plebeius quidam ea vti solebat ad stomachum roborandum, vnaq; ventrem lubricandũ. Siquidem herbam primùm desiccatã condebat: deinde cum vti volebat subductionis quidẽ gratia melicrato inspergebat roborandi verò causa, vino nimirum diluto. EX PLINIO.

Claritatem facit inunctis oculis, delachrymationemq; ceu fumus vnde nomen accepit. Eadem euulsas palpebras renasci prohibet. Bilem per vrinam trahit.

DE CICI. CAP. CXXVIII.

NOMINA.

Cherua. Kικι, ἡ κρότωνι Græcis, Ricinus Latinis, Mauritanis Kerua, officinis nonnullis Cataputia maior, quibusdam etiam Pentadactylon & Palma Christi, quòd scilicet eius folia in humanæ manus effigiem articulentur: Germanis Vnderbaum, oder Creutzbaum dicitur. Crotõ autem & Ricinus à similitudine animalis, quod sẽ eius referre videtur, nominata est. Sunt enim Græcis κρότωνες, & Latinis Ricini, insecta animantia, quæ canibus præsertim adhærent, quibus cibi nullus exitus est, colore liuido, nullis discreta membris, in globum continuè crescentia, do

Cataputia maior.

Croton & Ricinus.

Vndedicta Crotones.

nec

nec plenius saginata, post aliquot dies sponte sua decidant. Hinc est quod à Germanis nostris Zecken korner nominentur. FORMA.

Arbor est paruæ ficus magnitudine, folia Platano similia habens, maiora tamen. Iaciora & nigriora. Caudices verò & ramos arundinis modo concauos. Semẽ in vuis racemisue asperis, quòd cortice nuda tum, Ricino animali simile est. Quæ descriptio ita picturæ quadrat, vt nihil magis.

LOCVS.

Nascitur nusquam in Germania nostra, nisi satum fuerit. Satum autẽ semel copiosè prouenit. Sine difficultate etiam passim iã in hortis prouenit.

TEMPVS.

Carpitur Autumno dum semine abundat.

TEMPERAMENTVM.

Ricinus in secundo vel summum tertio ordine calefacientium & siccantium esse apparet.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Ex semine Ricini oleũ nomine Ricininũ exprimitur, ad edendum minimè aptũ: alioquin tamẽ lucenis & emplastris vtile. Grana triginta numero puta minibus purgata, trita & pota, pituitã, bilẽ, & aquã per aluũ deijciunt. Vomitiones etiã mouẽt. Est verò iniucũda admodũ & laborioſa huiuscemodi purgatio: stomachũ enim valdè subuertit. Tusa & illita varos, maculasq; solẽ cõtractas purgant. Folia trita cũ polẽta, oculorũ ædemata & inflãmationes sedãt, mãmasq; turgentes

Oleũ Ricininum.

gentes cohibent. Per se aut cum aceto illita, ignes sacros restinguunt. EX GALENO.

Semen Ricini, quod etiam purgat, extergendi & digerendi facultatem obtinet. Sic verò & folium, sed undequaque debilius. Oleum quod ex semine conficitur, cum calidius, tum tenuiorum partium, quàm est oleum cõmune, ac proinde quoque digerit.

DE CIRSIO. Cap. CXXIX.

Circium Bugloſſum.

NOMINA.

Buglossa. Κιρσιον Græcè, Spina mollis, Bugloſſum magnum Latinè nominatur: officinæ, necnon herbarij Bugloſſam vel Linguam bouis vocant.

Cirſio cur dicta. Cirſion autem eò quòd varices, quos Græci κιρσοὺς nominant, sanet, dicta est Germanis Ochſenzung (Gallicè Bugloſe, ou lãgue de Beuf) appellatur.

GENERA.

Nos duo damus genera, quorum vnum Germanicum, alterum verò Italicũ est, in quo omnia sunt maiora.

FORMA.

Caulis est tener, duùm cubitorum, triangularis. A b inferiore parte foliolis roſaceorum figura, angulos ſpinoſos per interualla, ſed molles habentibus. Folia Bugloſſo ſimilia modicè hirſuta, longiora, albicantia, extremitatibus aculeata obtinet. Cacumen in caule orbiculatum, hirſutum, in quo capitula in ſummo purpurea, quæ in lanugines euaneſcunt. Hæc ſanè deſcriptio ſatis monſtrat

strat, Cirsion esse Buglossam hodie vocatam, cùm ei delineationes omnes, nulla ferè reclamante nota, conueniant. Siquidem caulis ei tener, bicubitalis, triangularis, spinosis per internalla angulis, sed mollibus & innoxijs aculeis. Folia Buglosso similia, longiora tamen aut lege μικρότερα, hoc est minora, cum Plinio: subcandida, leniter hirsuta, in extremis partibus aculeata. Cacumen quoque caulis circinatum, hirsutum, in quo capitula purpurea. Et si verò reliqua omnia conueniant, tamen capitula purpurea non abeunt in pappos neque in nostra, neque in Italica. Buglossæ nostra.

LOCVS.

Producitur locis cultis & incultis, arenosis potissimum & petrosis. Italicum etiã hodie in multis hortis magna copia nascitur. Locus Dioscoridis emendatur

TEMPVS.

Carpitur Iunio & Iulio mensibus.

TEMPERAMENTVM.

In primo calefacere & humectare ordine apparet.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Radicem Cirsij laboranti loco adalligatam, dolores varicum sedare Andreas scripsit.

EX PLINIO.

Hanc herbam radicémve eius adalligatam, dolores varicum sanare tradunt.

APPENDIX.

Non plures iam commemoratis facultates Cirsio, Dioscorides & veteres alij tribuunt. Videant igitur nostræ ætatis medici, ne temere Buglossæ suæ quas non obtinet vires adscribant.

DE

DE CORIANO. CAP. CXXX.

Coriandrum nobis frequens, odore dum viret stercoris humani.

Coriādrū. Coriō qua re vocatū, κόρις.

Κόριον, ἢ κορίαννον Græcis: Corion seu Coriū non Latinus, vulgò & officinis Corianderum, Germanis qui latinam seu officinarum appellationem imitantur Coriander (Gallicè Coriandre) nominatur. Corio nomen feciſſe cimices veriſimile eſt, quos folia & caules eius olēt. κόρις enim Græcis inſectū id genus eſt, quod Latinis cimex dicitur. FORMA.

Caulis Corianno exilis, ſeſquicubitalis, ramoſus. Foliū dū primū erūpit Adiāti, dein Fumariæ, odore graui. Flores candidos. Semē rotūdū ac nudū, firmū & dutinū. Radicē breuiuſculam ligneā, neq; admodū fibratam. LOCVS.

Amat terrā pinguē, Palladio teſte, ſed & macro ſolo naſcitur. Nunquam autē niſi ſatū prouenit.

TEMPVS.

Autumno dum ſemine prægnans eſt carpitur.

TEMPERAMENTVM.

Coriandri temperamentū minimè frigidum ac ſimplex eſt, ſed variè coalitum & compoſitum. Eſt enim copioſæ quidem amaritudinis particeps, quæ in tenui ſimul ac terreſtri ſubſtantia fundatur. ſed & aquoſæ humiditatis tepidæ ei non parum ineſt. Habet etiam adſtrictionis nonnihil, ſicut paulò pòſt ex Galeni verbis clarius innoteſcet.

Hæc Dioſcoridis.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Vim

Vim refrigeratoriam habet Coriandrum vn de illitum cum pane aut polenta erysipelatis, & herpetibus medetur. Epinyctidas, testiũ inflãma tiones, carbunculosq; cũ melle et vua passa sanat. Cũ lomẽto strumas & tubercula discutit. Lubricos semẽ cũ passo potũ pellit, genituramq; auget. Largius tamen sumptũ, mẽtẽ nõ sine periculo mouet, quapropter copiosiorẽ & cõtinuũ eius vsum cauere oportet. Succus cũ cerussa, aut argẽti spuma, necnõ aceto & rosaceo illitus ardẽtes in summa cute inflãmationes iuuat. EX GALENO.

verba pauló pòst Gælenus exibilat.

Dioscorides reprehenditur.

Coriannõ siue Coriõ, aut vtcunq; vocare lubet Vetustiores Græci Coriãnõ nominabãt, ac recentiores oẽs medici Coriõ appellitant, sicut & Dioscorides refrigeratoriã esse herbã dicẽtes, sed perperam. Siquidẽ ex contrarijs constat facultatibus, plurimũ habẽs amaræ essentiæ quã ostẽdimus esse tenuiũ partiũ, & terrenã, nec modicũ etiã aquæ humiditatis obtinentẽ, quæ est facultatis tepidæ. Habet autẽ & adstrictionis pauxillũ. Ex quibus oĩbus variè quidẽ agit ea q̃ scribit Dioscorides, & nõ tantũ ex refrigeratiõe. Cæterũ ego cuiusque particulatim actionis causã enarrabo, tametsi propositũ fuerat mei vnius duntaxat hoc in lib. sentẽtiã expromere. Sed fortè mhil obstabit, imò si verũ fatẽdũ est, proderit nonnihil superiores methodos, q̃ in paucis medicamẽtis sunt dictæ hunc in modũ repetere. Primũ ergo non Dioscorides tantùm, sed & alij complures medicorum,

indeter-

indeterminatè, & citra limitationem de morbis pronunciant, sicut sanè hac quoque tempestate nō paucos reperias medicos insignes, præter alia, hac in re maximè hallucinantes. Interdum enim atra, liuida, frigidaq; reddita parte quæ erysipelas habuit, nec amplius refrigerantia poscente medicamenta, ceu antea, sed ea quæ infixū parti præter naturam humorem euacuent, ij tamen refrigerare persęuerant. Aliquando autem ad digerentia quidem transeunt, cæterùm erysipelas sanare dicunt. Et sanè scribunt incipientibus etiā nū & crescentibus erysipelatis alia conuenire medicamenta, aliáque declinantibus. Verùm res ita non habet. Neque enim erysipelas etiam vocari debet posteaquam inflammatio eius & fernor ac biliosum illud abierint: neque quæ facultate sunt frigida, neque quæ illa sanant, remedio esse putandum est, sed velut si vel initio protinus aut percussis, aut alia de causa quauis tumor in parte quapiam aut liuidus, aut niger extiterit, eum frigidum esse affectum existimabis, & quæ digerant excalfaciantq; poscere: ad eundem modum si calida affectio in frigidam reciderit, neglig
da quidem prior est, sed secunda alio nomine appellenda. Aut si displicet nominis mutatio, saltē sicut aliqui alia scribunt principij, alia declinationis remedia, haud frigida esse autumantes declinationis remedia cōcedēdum sanè est, si cui ita placet, vt talis affectio etiā erysipelas vocetur: sed cam

eã etiã calidam dicere vbi iam refrigerata est, id verò neutiquã concedendũ. Itaque ne quod tũc ei auxilio est, refrigeratoriũ esse credamus, sicut Dioscorides Coriannõ, quod, vt ipse ait, cũ pane aut poleta illitum, erysipelas sanet. Nam quod exquisitum est erysipelas, & iam vtique inflammatiũ & flauum est nequaquam cum pane sanabit Coriannon, sed illud quod iam refrigeratum est. Proinde nos superioribus voluminibus, quum determinata ac definita experientia cuiusque medicamenti facultatem explorandam censuimus, quã maximè fieri posset simplicissimum eligi affectũ consuluimus. At plærique medici, neque quod vel plurimi morborum protinus ab initio compositi inuadant, norunt, neq; quòd alius affectus sit erysipelas exactum, alius verò is qui vocatur ab omnibus nobis vsitatè, vt à veteribus quoque, phlegmone. Alij autem inter hos medij plurimi, partim vt sic dicam erysipelata phlegmonode, partim phlegmonæ erysipelatodes. Ac inuenias nonnunquã vbi neutrũ vincat, sed ad vnguẽ paria sint Quinetiã nonnunquam œdematodes esse erysipelas conspicitur, sicut aliud scirrodes, vt compositorum morborũ haud paruus acceruetur numerus. De quibus copiosius cũ alibi disseruimus, tum in libris de curandi ratione. Dicetur autẽ & nunc, quoad saltẽ eorũ meminisse necesse est, quòd exactum erysipelas haud vnquã ab antedicto cataplasmate curari possit. Voco autem exactũ, quũ

Lib. xiiij.
Exquisitũ erysipelas.

A à bilio

à biliosa fluxiõe pars impleta fuerit. Porrò quòd longe à refrigeratione absit Coriandrũ vel ex ijs quæ ipse scripsit Dioscorides discere licet, Nã strumas, inquit, cum lomẽto discutit. Quòd verò nullum refrigerantium medicamentorum idoneũ sit discutiendis strumis, vel ipsum Dioscoridem non dubitare arbitror, vt qui sexcenta scripserit medicamenta strumas sanare potentia, quæ omnia temperie calida, & actionibus digerentia esse cõfessus est. Hactenus Galenus: cuius quidem, etsi prolixa sint, verba ideo recensere placuit, vt vulgi & nonnullorum etiam medicorum errorẽ detegeremus, qui præter veritatem Coriandri temperamẽtum esse frigidum asserunt. Denique vt ex hoc loco discerent studiosi, quã periculosum sit Dioscoridis ac aliorum veterum scripta sine limitatione sequi admonitos quoq; lectores esse volumus hoc caput ex eorum esse numero, in quo Galenus à Dioscoride dissentit.

Periculosũ Dioscoridis scripta sine limitatione legere.

EXPLINIO VALERIANO. MEDICO.

Nõ dubitãter Coriãdro refrigeratrix potestas dãtur, nõ tamẽ simplex, vt prudẽtissimè Galeno videtur. sed cui quædã portio austeritatis immixta sit inde quòd quædã ex eo vitia curãtur, quæ nũquã omnino curaret, si sola virtute frigida niteretur. Cũ melle & vua passa tritũ & impositũ omnes tumores collectionesq; cõpescit. Præcipue tamẽ isto genere medicaminis doloribus testiũ subueni-

tur

tur. Succo mali granati & oleo in potione permixtum, animalia interaneis innata persequitur. Semen ex aqua potũ solutionem ventris stringit. Scriptũ à multis legitur tria Coriãdri grana tertianas excludere ante accessionẽ si fuerint deuorata. Isdẽ quoq; repellẽdis efficax est ipsũ Coriãdrũ ante solis ortũ ignorãti cerusicali viride subiectum. Mirũ est quod Xenocrates tradit, si vnũ seminis granum fœmina biberit, vno die mẽstrua contineri, biduo si duo, & totidem diebus quot grana sumpserit. Eadem ferè sunt quæ alter Plinius lib. naturalis histo. xx. cap. xx. scribit, ideóque omittere placuit. Tantũ addit, Marcum Varronem putare Coriandro subtrito cũ aceto, carnem incorruptam æstatæ seruari.

APPENDIX.

Nõ transeundũ silentio erit quod Dioscorides Coriandrum hic diligenter monet, Coriãdri copiosum & conti nuũ vsum esse fugiẽdũ. Ideoq; errare vehemẽter et cõtinuo recentiores medicos, qui eo tam frequenter, potissimum, ad caput roborandũ, cui infensissimum est, vtuntur manifestius est quàm vt probatione indigeat. A quo sanè errore vel id saltem reuocare eos deberet, quòd idem Dioscorides lib. sexto, Coriandrum inter venena connumeret.

EX SIMEONE SETHI.

Stomacho bonum est, & eũdẽ corroborat. Cibos in ventriculo donec probè concoquantur retinet. Tostũ igne ventrẽ sistit. Prodest ad phlegmo

nas & calidas temperaturas. Sanguinis profluuium potum, & si imponatur, compescit. Cum vino potum, lumbricos educit immodicus tamen eius vsus delirium facit. Huius etiam succus potus venenum est & occidit. Qui enim huius bibunt, muti fiunt, & despiunt.

DE CASSVTHA. CAP. CXXXI

Cassuta si thymo innascitur arabū est. Epithymū nobis in satureia, hyssopo & maiorana est sæpe visa omnino eadem: nec genere ab hac variare videtur quæ in lino, orobo, lente, vitia etiam luxuriari solet. Ea omnis primùm radiculis nititur quæ tum arescunt & vanescunt quando primū à planta cui inuoluitur cirris suis alienum depascitur alimentum.

NOMINA.

Κασσύθα recentioribus Græcis: Cassuta, y litera in v, transeunte, vt sæpe fieri solet, Latinis appellatur: officinis & herbarijs nostræ ætatis hinc deflexa quadam pristini nominis vmbra, Cuscutha dicitur, cùm primùm Cassutha, dein conuersa Cascuta, postremò Cuscuta cœperit appellari. Sunt qui podragam lini vocant, quòd quasi compedibus id cui insederit illiget, nec vinctum eo facilè possit extricari. Germa. Filtz kraut, oder Flachszseidē, oder Todtern (Gallicè Goute de lin, ou agoure de lin) dicitur. Errant qui Dioscoridis Androsacen esse putant, cùm veteres Græci, quod sciā, de Cuscutha hodie dicta, nihil

Podragra lini.

Androsace non est Cassutha.

nihil memoriæ prodiderunt. Plinius tamen libr. xvi. cap. vltimo, eius videtur meminisse ijs verbis: Est & in Syria herba quæ vocatur Cassythas: nõ tantùm arboribus, sed ipsis etiam spinis circũuoluens sese. Cassithas enim legendũ non Cadytas: sic enim codices aliquot Pliniani, vt in suis annotationibus doctissimus Hermolaus admonet, ijq; emendatiores, habẽt. Iam igitur memoria Plinij Cassytas herba suo nomine Syriaco venerat in Latium, quod multis posteà seculis vsurpantes tam Pœni quàm Arabes, suis scriptis protriuerũt. Quòd autem Plinius sine spiritu protulit, id librariorum culpa factum esse suspicor, qui inuertentes mutarunt Cassytha in Cassytas.

Plinij locus emendatus.

FORMA.

Herbosis fruticibus adnascitur, earum adminiculo fulta: radice nulla, sed velut ab alarum sinu prodeunte cirro capillamẽtóue miræ longitudinis, statim ab eius ortu sese ramulis cõuoluente. Quæ iam veluti clauiculis nixa, sensim proserpens herbarum fastigia scandens, & crebris volutionibus opere topiario per vertices rotata, comas herbarũ complectitur: tam volubilis illi natura est. Foliȝ vidua cernitur, Florem fundit albũ, semine quoq; scatet tenui. Cirri dilutiore rutilant purpura, nõnunquam ex rubro rufescunt, fidibus lyrarum crassitie pares.

LOCVS.

Non in terra, sed in herbis arboribusq; passim

nascitur Cassytha, quas tam spisso sæpius irretit contextu, vt tentorij modo herbosum cespitẽ à sole vindicet. Nonnúquam cacuminibus impendẽs stirpes humi deturbat, propriámq; parẽtem suis laqueis strangulat, aut continuo materni alimenti fluctu perducit ad tabem.

TEMPVS.

Aestate, Iulio potissimũ & Augusto mẽsibus, maximus illius in Germania prouẽtus esse solet: hoc enim tẽpore tãta eius est luxuria, vt mole sua stirpes oneratæ ferè procumbere videantur.

TEMPERAMENTVM.

In primo calefacientium abscessu seu ordine, & desiccantium secundo statuendum: quandam enim respirat amaritudinem.

VIRES.

Abstergendi naturam obtinet, & cum quadã adstrictione roborandi facultate prædita est. Iecinoris impedimenta luxat, infracti & obstructi lienis expedit vitia, venas pituitosis atque biliosis exonerat humoribus, pellit vrinam. Regio morbo subuenit, qui iecinoris obstructionibus contrahitur. Febribus ijs auxiliatur, quæ pueros malè habẽt: sed vsu nimio stomachum sua astrictione grauat, verùm noxa tollitur, si Anisi momentum adijciatur. Natura eius flauam bilem per alui exigere, sed efficaciorem cum Absinthio præbet effectum. Hæ quidem ex Pœnorũ ac Arabum sententia facultates Cassuthæ tribuũtur, qui vtiq; vires

illã

illius longè magis gliscere pollicentur, si parentis ingeniũ ei patrocinetur. Hinc est quòd hanc forsitan veteres Græci, quamuis triuialem, eo nomine subticuerunt, quod natiuas suæ merito parentis dotes adsciuisset, è sinu cuius vernaculum ebibens humorem aleretur. Nam vt testatum ijdem Arabicæ factionis medici reliquerunt, si calidæ insidet herbæ arboriue, calidam sortietur facultatem, & si decubuerit frigidæ, vim sibi frigidã vẽdicabit.

DE CESTRO. CAP. CXXXII.

Betonica betoine, Syluestris autẽ duplex nobis armoriæ dicitur, tunica & tunicæ ablata prima syllaba, & o, in u, corrupta officinis, altilis autem nobis ocellus euillet dicitur.

NOMINA.

KEστρον Græcè, Betonica seu Vetonica Latinè: in officinis antiquum nomen retinuit, Braunbetonick Germanicè (Gallicè Betoine, ou de la Betoſne) appellatur. A varietate autem & copia remediorum, Cestron à Græcis dicta est: hac siquidẽ voce opus interpunctũ, acuue pictũ nominauere. Libri etiam à varietate subiecti ab aliquot Græcis hoc titulo inscripti sunt. Plinius quoq; aliquando Eburcestrum, id est picturatũ, dixit. Betonica verò ab inuentoribus Vetonibus Hispaniæ populis, nominata est. Cestrõ vn de dicta. Betonica.

FORMA.

Herba est caulem tenuem obtinens, cubiti altitudine, aut maiorem, quadrangulũ. Folia longa,

mollia, quernis similia, per ambitum incisuris diuisa, odorata, propè radicem maiora. In summo caulium semen veluti Thymbræ spicatum inest. Radices subsunt tenues vt Ellebori.

LOCVS.

Nascitur in pratis, sylus, mõtosis, frigidis & opacis locis, ideoq; Græcis ψυχότροφον vocata est.

ψυχότροφον.

TEMPVS.

In Maio & Iunio mensibus floribus abũdat.

TEMPERAMENTVM.

Calida & sicca in primo ordine completo, aut in medio secundi.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Folia Betonicæ carpuntur & siccantur plurimos ad vsus. Radices cũ hydromelite potæ, pituitosam vomitionem eliciunt. Folia dantur ruptis, conuulsis, vuluæ affectionibus, & eiusdẽ strangulationibus: drachmæ vnius põdere cũ hydromelite. Ternæ in vini sextarijs duobus contra serpentiũ morsus ebibuntur. Herba ipsa illita venenatorũ morsibus prodest. Aduersus etiam venena drachma ex vino pota conuenit. Hanc si quis præsumpserit, letale haustum venenũ nihil nocebit. Vrinã cit. Aluũ subducit. Medetur comitialibus & furiosis cũ aqua pota. Iecinoris et lienis vitijs drachmæ pondere cùm aceto mulso pota succurrit. Concoctionẽ adiuuat, si quis à cœna eã fabæ magnitudine cũ melle cocto deuorauerit. Eodẽ modo et acida ructantibus ꝓpinatur. Stomachicis eã mandu-

care

care et succũ deuorare proderit, si posteà dilutũ vino sorbeatur. Datur sanguinẽ excreantibus triũ oboloruũ põdere cum diluti vini cyatho vno. Ischiadicis, renum & vesicæ doloribus ex aqua. Hydropicis autem binis drachmis, febrientibus cum hydromelitæ, non febricitantibus cum mulso Regio morbo laborantes recreat. Menses ducit drachmæ pondere cum vino potæ. Aluum purgant drachmæ quatuor cum hydromelitis cyathis decem potæ. Cum melle tabidis, purulentis auxiliatur. Folia cùm inaruerint trita ad hos effectus fictili vase reponuntur. EX GALENO.

Vim habet incidendi, vt gustus indicat. Amariuscula enim est, & subacris ipsa herba, id quod & particulatim edita ostendit actio. Nam consistentes in renibus lapides rumpit, & pulmonẽ & thoracem & iecur expurgat, abstergitq;. Menses mouet, & comitialibus prodest. Rupta atque conuulsa curat, & omnibus bestiarum morsibus illita vlceri auxiliatur Acidum ructantibus & ischiadicis bibita succurrit.

EX PLINIO.

Morsibus serpentũ imponitur Betonica præcipuè, cui vis tãta perhibetur, vt inclusæ circulo eius serpentes, ipsæ sese intermant flagellando. Datur & ad ictus semen eius denarij pondere cũ tribus cyathis vini, vel farina drachmis tribus sextario aquæ imponitur. Obolis tribus in aqua, cõtra purulẽtas, contraq; cruentas excreationes facit, Faci-

les præstat vomitiones radix eius Ellebori, modo quatuor drachmis in passo aut mulso, Ischiadicos dolores & spinæ leuat eiusdē farina ex aqua mulsa. Aluum soluit drachmis quatuor, in hydromeli tis cyathis nouem. Folia siccantur in farinam plurimos ad vsus. Fit vinum ex ea & acetū, stomacho & claritati oculorum. Paralysin sanare dicitur. Eadem torpentibus membris prodest. Ad lateris & pectoris dolores farina eius bibitur.

DE BETONICA ALTERA.

CAP. CXXXIII.

NOMINA.

DVAS esse Betonicæ species præter Paulū Aegineta lib. vij. Plinius etiā lib. xxv. cap. viij. abundè docet: & in aliquibus Dioscoridis codicibus huius quoque secundæ Betonicæ mentio fit. Hanc itaque posteriorem, tam officinæ quā herbarij modici Tunicam, detractis à Betonica duabus literis prioribus, nominant. Germani Graszblumen & Negelblumen, quòd flores eius garyophyllorum odorem referant, appellare placuit.

Herba tunica.

GENERA.

Duùm est genorum. Vna siquidem syluestris est quā Germani Vuild Negelblumen, hoc est, syluestrem Garyophylleam, et Dödernegele, Feldtnegele, & Blutstropffle (Gallicè Des armoiries.) Altera altilis est, quæ alio nomine Betonica seu Vetonica coronaria, quòd illius

Syluestris.

Altilis.

in cor

in coronis nimius vſus ſit, dicitur. Germani Heymiſch Negelblumen (*Gallicè* des euilletz) *quaſi dominatam Garyophylleam appellant.*

FORMA.

Specie multũ à priore Betonica *differt Radicẽ enim totã rubram. odoratamq; habet. Folia porracea, oblonga, ſtamine quo mediũ diuiditur puniceo ac rubente, cũ recto calamo triangula, floribus in vertice purpureis. Hæc Dioſcoridis delineatio vtriq; generi cõmunis eſt: priuatim tamen ſylueſtris* Betonica *herba fruticoſa eſt, foliis porri. ob longis, anguſtis, per extremũ mucronatis, ceſijs, concoloribus calamis, teretibus, geniculatis, cubitalibus, floribus ſpecioſis, ſimplicibus, qui quinis, ſenisue foliis cõſtant, lentè fimbriatis, magna ex parte purpureis, quamuis & interdum niuei conſpiciãtur. Altilis ſeu coronaria, foliis eſt porraceis, oblongis, per extremum mucronatis, concoloratu cæſijs, teretibus cauliculis ſeſquicubitalibus, geniculatis, coëuntibus pyxidatim internodijs, floribus omnium ſpecioſiſſimus, Garyophyllorum odoratu, ſed longè ſuauiſſimo: quandoquidẽ alius coccorutilat, alius ſatutata nitet purpura, alius candido, alius emaculato blanditur colore, alius verſi colore variatur cõmiſtu. Omnibus teres longiuſculuſq; calyx ſpectatur, orbiculo ſuperiorum denticulatus, à quo quina ſenáue folia prodeunt, lentè quidem fimbriata. Nonnulli tamen flores frequentiore coma ſtipantur, geminis vtrinque*

Sylueſtris Betonica.

Altilis ſeu coronaria Betonica.

emic

emicantibus ſtamineis apicibus.

LOCVS.

Syluestris in pratis, mõtibus, nitidiſq; locis naſcitur. Coronaria verò paſsim in ſictilibus vaſis alitur, neq; facilè ædes inuenies, ante quas non expoſitam intuearis.

TEMPVS.

In æſtate vtiriuſq; magna eſt copia. Coronaria tamen longiori tempore durat, atque æſtiuas, autumnales, hyemalesq; ſtruit coronas.

TEMPERAMENTVM.

Calidam & ſiccam eſſe tum amaritudo, tum odor & alia multa declarant.

VIRES EX DIOSCORIDE

Animas hominum & corpora cuſtodit, cõtra nocturnas peregrinationes, loca inſidioſa, & diffi ciles ſomnos cõmendatur. In totum, ad omnẽ medendi rationem celebrata. Recẽs trita vulneribus capitis indita dolorẽ finit. Vulnera glutinat. Fracta oſſa extrahit, & hoc quotidie efficit, donec per ſaneſcat. Dolori capitis medetur, ſi decocta ea ex aqua caput perfundatur. aut temporibus cum bitumine, illinatur, aut radix eiuſdem ſuffiatur.

EX INCERTO.

Farina eius tam aduerſus toxica quàm ſerpentũ & ſcorpionũ ictus ex albo vino bibitur. Quartanæ reliquarumq; febriũ horrores diſcutit. Comitialibus opitulatur ſub ipſam acceſsionẽ propinata. Eadẽ per ſe carcinomatis inſpergitur, quæta-

men

men præstiterit herbæ succo prius abluisse. Estur contra ventris tænias. Succus pestis arcet cõtagia, atq; etiã haustus, si iam morbus inuaserit, liberat. Fit ex flore oleum ad canis rabiosi morsus, ad fistulas & parotidas, quibus illitu medetur. Visus aciem exacuit. Ieiuno sumpta dolorem dentiũ sedat, iure decocti colluto ore. Discutit grauedines. Partum, qui sine febre sit, accelerat. Neruorũ vulneribus imponitur. Præsumpta ebrietatem arcet. intertriginem in itinere faciundo nõ sentient, qui ex vino biberint. Fastidia cum aceto mulso discutit. Iis qui ex morbus sese recolligunt, aluum ex aqua calida deiicit, Vomitiones cohibet. Dolores pedagræ ac inflationes ventris sedat, Venena rabiosi canis morsu impressa elicit plagæ diutius ligata.

APPENDIX.

Recentiores sylvestris Betonicæ succum mirifice cõmendant in atterendo & educendo calculo, & medendis comitialibus. Altilis aũt radicẽ contra pestis contagia vtilem esse tradunt. Hanc ob causam ex floribus etiam eiusdem, medicamentũ conficiunt, quod Conseruam hodie vocãt, quod ad eundem vsum adhibent.

DE COLCHICA O. CAP. CXXXIIII.

Colchicon necandis canibus à nobis tuchien. Ephemerum non lethale nobis liliũ conuallium & grand muget.

NOMINA.

Κολχικὸν, ἢ ἐφήμερον. Græcis. Bulbus agre

sus

Hermodactylus.

Colchicũ cur dictũ.

Ephemerum.

stis Latinis, officinis & herbarijs Hermodactylus dicitur. Germanis zeitlosen (Gallicè Mort au chien) Colchicum à Colchide veneni ferace, in qua nascitur, nomen desumpsit. Dictum verò est Ephemerum, quoniam vno die sumptũ interficiat, atque adeo ab altero Ephemero, quod minimè letale est, & de quo suo loco diximus, non solùm figura, verũetiam facultatibus differt. Etsi vero Ephemeron Colchicum etiam significet, tamen præcipuè id Ephemeron quòd veneno careat, hoc nomine intelligitur.

FORMA.

Autumni exitu florem subcandidũ, crocino similem profert. Post florẽ folia Bulbo similia, pinguiora tamen. Caulem palmo altũ, rufum ferentem semen. Radicem habentem corticem in nigro rufescentem, quæ cortice suo nudata, alba, tenera, succo plena, & dulcis inuenitur. Habet Bulbus eius in medio rimã fissurámue vnde flos erumpit. Huius descriptionis in vniuersum notæ omnes ita Hermodactylo nostro cõueniunt, vt nemo, nisi Thresia cæcior sit, Dioscoridis esse Colchicũ ambigere possit. Exitu enim autumni in pratis florem ædis albicantem, croci floribus similem. Posterius, Februario nimirum mense & primo statim vere, folia Bulbi, sed pinguiora. Caulem palmeum ferentem semen rufum. Radicẽ cortice in nigro, colore rufescentẽ, quæ decorticata candicat, tenera, succo plena, & dulcis apparet. Bulbus etiam eius-

diuiso

diuisionem in medio obtinet, ex qua flos erumpit, vt pictura exquisitè tibi monstrat. His accedit, quod Serapio Arabs sub nomine Hermodactyli, Dioscoridis Colchicon prorsus depingat. Aliũ tamẽ esse à nostro Hermodactylo illũ putamus, quẽ Aëtius, Paulus Aegineta lib. vij. & Actuarius peculiariter & priuatim articulorũ doloribus cõducere scribũt. Paulus enim separatim tanquã diuersorũ mentionẽ fecit, & de Colchico & Ephemero diuersa ab Hermodactylo capita cõstituit. Hermodactylus recentiorum Græcorũ.

LOCVS.

Magnus Colchici in Messenia, & apud Colchos prouentus. Nascitur & passim in omnibus pratis Germaniæ nostræ.

TEMPVS.

Flores in Autumni exitu, vt diximus, apparẽt. Folia autem post flores generantur, & primo statim vere è terra erumpunt. Semen in æstate Iunio potissimum mense producitur.

TEMPERAMENTVM.

Calidum & siccum nonnulli Colchicum in secundo ordine, seu à medio recessu statuunt.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Radix eius comesta fungorũ modo strangulando enecat. Hanc aũt depinximus, ne pro Bulbo deuorata aliquẽ lateat. Mirũ est enim quantũ ignaros propter suauitatem inuitet. Hæc Dioscorides. Proinde satis liquet Hermodactyli huius nostri vsum minimè tutũ esse: venenũ enim est, & vsq;

ad

ad sanguinis excretionem per inferna subducit. Eius tamen, radicis potissimum & foliorum, ad enecandos ac abigendos pediculos vsus esse potest.

REMEDIA CONTRA COLCHICVM.

Remedio sunt edentibus quæcunq; contra fungos opem ferũt. Bubulum etiam lac potum, adeò vt quoties hoc assuerit, nullum præterea quærendum præsidium sit.

EX PAVLO.

Ephemeron, quod nõnulli Colchicon, eò quòd in Colchide nascatur, vocant, aut Bulbũ agreste, epotum protinus totum corpus prurire facit, velut vrtica & scilla tactum irritatumq; interiora erodit. stomachum vrit cũ ponderesa grauitate, Inualescente autẽ malo, cruenta strigmentis mista per aluum egeruntur. Succurrendũ, vt Salamandræ, vomitionibus & clysteribus. Sed antequam vires sibi adsciscat venenũ, dari debet foliorũ quercus, aut glandium, aut malicorij, aut serpylli decoctũ cum lacte bibendũ: aut Polygonij succus, aut furculorum vitis, aut rubi, aut tenerarum ferularum medullæ, aut myrti cum vino. Benefacit etiam castaneærum interior tunicula, si cum albo è succis, quos prædiximus, assumatur. Origanum quoque cum lixiuia potum, in idem efficax est. A deò verò exactum præsidium est lac vaccinum calidũ potum, & simul in ore contentum, vt hoc præsente nullum aliud desideretur.

DE

DE CLEMATIDE DAPHNOIDE.

Clematis nobis Peruinca dicitur.

NOMINA.

Κλήματις δαφνοειδὴς Græcis Clematis Daphnoides Latinis, Peruinca officinis, Vinca peruinca vulgò nominatur. Germanis, eò quòd semper vireat, Yngrun, vel Syngrun, (Galli cè Du Lisseron.) Clematida Græci, quoniam κλήματα, hoc est sarmenta seu viticulas per terram spargat, dixerũt. Daphnoida verò à foliorũ Lauri, quam eius folia habent figura. Plinius libro xxiiij. cap. xv. Clematida Aegyptiam nominat: libro autem xxi. cap. xi. Vincamperuincam alioq; nomine Chamædaphnen dici tradit, quòd scilicet humilis videatur Laurus vt nomẽ sonat. Nõ est autem cur eã Chamædaphnen putes quæ Romanis Laureola aut Laurago dicta est, hæc enim à Vincaperuinca genere & facultatibus diuersa est, & seorsim illam. Chamædaphnen depingit Plinius libro xxiiij. cad. xv. vt hinc manifestißimum sit Plinio duplicem esse Chamædaphnen. Vnam quam sic appellant Dioscorodes, Galenus, & alij Græci. Alterã quam priuatim Vincamperuincam alio nomine vocat Plinius. Sic autem quòd humi serpat, & se in modũ funiculi porrigat vicina quæq; vinciens, appellat.

Clematis

Vnde dicta

Daphnoides.

Chamædaphne.

Plinio duplex Chamædaphne.

FORMA.

Sarmenta oblonga habet, iunceæ craßitudinis. Folium exiguum, Lauro figura & colore simile

mile, multò tamen minus. Iam si quis imaginem & effigiē Clematidis daphnoidis exquisitius exploret, ea deprehendetur esse quæ hodie vulgò vinca peruinca nominatur. Hæc enim humiles & graciles spargit iuncos, foliáque Lauri figura & colore obtinet, multò tamē minora: flore hyacinthino seu in purpuram cœruleo, inodoro, rotundo, foliis quinque sed continuis distincto. Ea etiam, vt Plinius ait, semper viret, in modum lineæ foliis geniculatim circundata. Hybernas sua perpetua fronde texit coronas.

Vinca per vinca.

LOCVS.

Gignitur pingui, vmbroso, lætoq; solo, sed inculto, in agrorum vinearumq; marginibus.

TEMPVS.

Hæc etsi nunquam non virescat, vere tamen duntaxat florescere videtur, Martio potissimum mense & Aprili.

TEMPERAMENTVM.

Siccitatis in Clematide, Paulo Aegineta teste, cæteris qualitatibus prævalet. Id quod gustus etiam ostendit: gustanti enim adstrictionem quandam & amarorem habere videtur. Adstringit autē modicè, sed fortiter amara est. Siccat itaque, at citra mordicationem.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Huius caules ac folia in vino pota, alui profluuia & dysenterias finiunt. Veteri dolores cū lacte & rosaceo, aut cyprino in pesso apposita sanant.

Com

Commanducata dentium dolorem mitigant. Venenatorum morsibus impositа prosunt. Feruntur & aspidum morsibus cum aceto pota auxiliari.

EX GALENO.

Clematis daphnoides nequaquam est exulcerатoria, neque acris, imò alui profluuijs & dysenterijs cum vino pota prodest, dentiumq; dolores mansa mitigat. Vteri doloribus in pessо admodum vsui est, tantùm abest vt vrat aut vlceret.

EX PAVLO.

Clematis quibusdam Daphnoides, alijs Myrsinoides, nonnullis Polygonoides, sarmenta habet prælonga, crassitudine iunci, folium verò Lauri. Siccandi facultate pollet, qua alui fluores, difficultates intestinorum, & dentium dolores finit, Contra venenatorum morsus prodest.

APPENDIX.

Iam commemoratæ facultates satis ostendũt Clematida daphnoida esse Vincamperuincã: nã codex antiquus manuscriptus, quem in rebus dubijs lubens cito & sequor, easdem prorsus vires Peruincæ tribuit. Sanguinis enim è naribus profluuio mirum in modum prodesse tradit. Item ijs qui sanguinem vomunt aut spuunt. In summa omnem sanguinis fluxum folia eius sistere asserit ita vt euidentissimum sit Peruincam officinarũ eandem esse cum Clematide hac nostra. Quibus etiam accedit pictura & descriptio eiusdẽ, q̃ vtra que adamussim Peruincæ nostræ respondent.

DE CARDAMO. CAP. CXXXVI.

Cardamũ id est nasturtiũ narbonensibus nascĭ, à naribus torquendis dicitur nobis cressõ alenois.

Cressio hortensis.

Cardamũ vnde dictũ

NOMINA.

Κάρδαμον Græcè, Nasturtium satiuum Latinè dicitur. Officinis Latinum nomẽ retinuit. Barbari nostræ ætatis herbarij Cressionem hortensem vocant. Germanicè Garten Kreſs (Gallicè Cresson alenoys, ou nasitort) dicitur. Cardamum verò Græcis nonnulli dictum esse arbitrantur, ἀπὸ τῆς καρδίας, quòd cor foueat, & in syncope illa, quam Cardiacam nominant, plurimum valeat. Alĭj diuersa ratione vsi, sic dictũ quòd caput edomet, quasi καρηδάμον, putant. Nã arcem mentis obsidens suo ferit acremento, & ignea vi præditum caput tentat. Sũt è Græcis qui παρὰ τὸ κόρας μύλλειν, id est quòd pupillas oculorum coëuntibus vnà palpebris abscondat, ita dici censeant. Nam luminibus admotum subinde cogit conniuere. A quo, vt volunt, ἐυθὺ μυκαρδαμύττειν verbum declinarunt, quod conniuere nostra lingua dicimus. Nasturtium autem appellatum est, Varrone & Plinio testibus, à naribus torquẽdis, quòd odore & seminis acrimonia sternutamẽta prouocet.

Nasturtiũ quare appellatum.

καρδαμύττειν.

FORMA.

Nasturtium caulibus assurgit sesquipedalibus, statĭm à radice minutorũ foliorũ pediculo, floribus candidis, semine per ramorum latera copioso, firmo, calyculis orbicularibus cõtẽto, acri sapore.

LOC

LOCVS.

Passim in hortis satum prouenit.

TEMPVS.

Floret æstate, Iunio potissimum mense. Sequenti tempore semine prægnans est.

TEMPERAMENTVM

Nasturtij semen calefacit & desiccat ordine quarto. Herba quoque sicca similẽ semini facultatem possidet. Humida autem adhuc & viridis propter aqueæ humiditatis admistionem multò inferior est, adeoq; sic mordacitas eius moderata est, vt cum pane ea vti liceat seu opsonio.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Omnium semen calefacit, acre est, & stomacho inimicum. Aluum turbat. Lumbricos pellit. Lienem imminuit. Fœtus in vtero enecat. Mẽses cit. Venerem excitat Sinapis & Erucæ semini simile est. Lepras & impetigines abstergit. Lienẽ illitum cum melle extenuat & reprimit & fauos expurgat. Sorbitionibus incoctũ ea quæ in torace sunt educit. Potum serpentibus aduersatur. Suffitu eadem fugat Capillos deciduos continet. Carbunculos rumpit ad suppurationem ducens. Ischiadicis cum polenta & aceto illitũ confert. œdemata & inflãmationes discutit. Furunculos cum muria illitũ ad suppurationes ducit. Herba omnia eadem, sed minore effectu, potest.

EX GALENO.

Nasturtij semen adurentis est facultatis parti

ceps sicut Sinapi. Proinde coxendicis & capitis dolores, atque adeò quodcunque rubrificationem postulat, eo perinde atque Sinapi excalefaciunt. miscetur quoque remedijs quæ exhibentur asthmaticis, tanquam id quòd crassos humores valenter incidere valet, velut & Sinapi. Nam per omnia ei simile est.

EX PLINIO.

Nasturtium Venerem stimulat, animum exacuit, aluum purgat. Detrahit bilem potum in aqua decem denariorum pondo. Cum lomẽto strumis illitũ, opertũq; Brassica præclare medetur. Capitis vitia purgat, visum clarificat. Cõmotas mentes sedat ex aceto sumptum. Lienem ex vino potum, vel cum fico extenuat. Tussim ex melle, si quotidie ieiuni sumant. Semẽ ex vino omnia intestinorum animalia expellit, efficatius addito Mentastro. Prodest & contra suspiria cum Origano & vino dulci. Pectoris doloribus decoctum in lacte caprino. Panos discutit cum pice, extrahitq; corpori aculeos. Et maculas illitum ex aceto. Cõtra carcinomata adijcitur ouorum album. Et lienibus illinitur ex aceto. Infantibus verò è male vtilissimè. Sestius adijcit hoc serpentes fugare, scorpionibus resistere. Capitis dolores contritum et alopecias emendare addito Sinapi: grauitatẽ auriũ trito imposito auribus cum fico. Dentium dolores infuso in aures succo. Porriginem & vlcera capitis cũ adipe anserino. Furunculos cõcoquit cũ fermẽ

fermento. Carbunculos ad suppurationem perducit & rumpit. Phagedænas vlcerum expurgat cum melle. Coxendicibus & lumbis cum polenta ex aceto illinitur. Item licheni & vnguibus scabris: quippe natura eius caustica est.

DE CRINO. CAP. CXXXVII.

Lilium nomen retinet. Est nobis & Lilium rubrum, vulgò dictum a floris colore in flauum inclinante, radice bulbosa, sed crocea quod hic creceum vocat.

NONINA.

ΚΡΙΝΟΝ, καὶ Λείριον Græcis, Lilium siue Iunonis rosa Latinis, Liliũ albũ officinis, Vuciſz Lilgen, oder Gilgen Germanis (Gallicè Dulis) dicitur. Veteres Græcorum poëtæ fingũt è Iunonis lacte respersa terra natum Lilium. Nãque cùm Hercules puer, quẽ ex Alcmene sustulerat Iupiter, Iunonis dormientis vberibus admotus esset, & lacte se replesset, post suctum digressus mãma lacte copiosè profluxit. Quod in cælo à puero vago & incerto suctu perfusum est, lacteam esse cit viam: quod humi sparsum est, Lilium lacteo flore nitentem creauit, vnde rosa Iunonis dictũ.

Iunonis rosa quare dictum Lilium.

FORMA.

Lilium caule simplici, raro duplici, tricubitali, comoso, foliis longis, Satyrij effigie, ex herbaceo nitentibus, flore eximij cãdoris, foliis foris striatis & ab angustijs in latitudinẽ se paulatim laxãtibus, forma calathi, resupinis per ambitum labris, luteis emicantibus ex fundo calycis apicibus

alterius quã flos odoris, constat. Flos ille languido semper collo est, non sufficiente capitis oneri. Radix bulbosa. Hæc descriptio planè huic Lilio conuenit, quod hodie candidum vocamus. Nos alterius etiam generis picturam adiecimus, quod Croceũ appellauimus à flore eius, qui non, vt in priore, candidus, sed croceus est. Folia quoque eius angustiora sunt quàm prioris alias simile, vt pictura luculenter ostendit.

LOCVS.

Passim apud nos in hortis prouenit.

TEMPVS.

Floret initio mensis Iunij.

TEMPERAMENTVM.

Lilij flos temperaturam mistam obtinet, partim ex tenui, partim ex terrena essentia, ex qua vtique in gustu amaritudinem habet, partim ex aquea, eaq; temperata. Radix autem et folia primi ordinis sunt exiccantium & abstergentium. Plus tamen inest abstergentis facultatis in radice quàm in foliis.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Lirinum oleum. Ex Lilij flore vnguentũ fit quod ab aliis Liriniũ ab aliis Susinũ appellatur, ad emolliẽdos neruos, priuatimq; vuluarũ durities aptũ. Folia herbæ illita, serpentium morsibus subueniunt. Feruefacta ambustis prorsunt. Eadem in aceto condita, vulneribus opitulantur. Succus foliorum cum aceto & melle in æreo vase coctus, contra vetusta vlcera

vlcera, & recentia vulnera medicamentum fit. Radix assa, aut cum rosaceo trita ambustis medetur, vuluam emollit, menstrua ducit, & vlceribus cicatricem inducit. Cum melle subacta neruorum præcisionibus & luxatis auxiliatur. Alphos lepras, furfuresq; emendat. Achores abstergit, faciemq; emendat & erugat. Testiculorum inflammationes trita cum aceto, aut Hyoscyami foliis, & farina triticea demulcet. Semen contra serpentium morsus potum valet. Illinũtur sacris ignibus semen & folia cum vino trita.

EX GALENO.

Quod ex flore Lilij conficitur oleum & vnguẽtum, citra mordicationem digerendi simulq; emolliendi facultatẽ obtinet. Vnde fit vt veteri duritiebus sit aptissimum. Porrò radix foliáque per se trita desiccant, & abstergunt, & digerunt moderatè proinde quoque ambustis competunt: si quidem hæc quoque moderatè desiccantem exterg entemq; facultatem postulant. Radicem ergo assam tostamúe, ac deinde cum rosaceo contritam ambustis quoad obducatur cicatrix imponunt: quippe cùm alioqui & aliorum vlcerum omnium bonum sit inducendæ cicatrici remedium. Quinetiam veteros emollit, mensesq; prouocat. Folia verò præcoquentes, & ipsa ad obductam vsque cicatricem imponunt, non in ambustionibus dũtaxat sed alijs quoque vulneribus. Sed sunt qui aceto ea condientes ad vulnera suo tempore vtãtur. Quũ

alphos aut psoram, aut lepra, aut achoras, aut aliquid id genus extergere volumus, commiscemus illi aliquid aliorum medicamentorum validius extergentium, cuiusmodi mel est. Cæterùm si id moderatè illi ac conuenienter admisceatur, & ad neruorum diuisiones competit, & ad alia vlnera sa quæ valenter exiccari postulãt absque morsu. Imposuimus verò etiam quandoque & foliorum succum cum aceto & melle coctum. Quinque partibus succi plus vtroque erat, atque insigne medicamen ad omnia ea quæ exiccari postulant absque morsu fuit, ceu vulnera omnia ingenia, & maximè quæ in capitibus musculorum eueniũt, & quæcunque humida flaccidáve, diuturna & ægrè ad cicatricẽ perducũtur. EX PLINIO.

Lilij radices multis modis florem suum nobilitauerunt, contra serpentum ictus ex vino potæ, & contra fungorum venena. Propter clauos pedũ in vino decoquuntur, triduóq; non soluuntur. Cũ adipe aut oleo decoctæ pilos adustis reddũt. E mulso potæ inutilem sanguinem cum aluo trahunt. Lieni & ruptis & vulsis prosũt. Et mẽstruis fœminarum in vino decoctæ. Impositæq; cũ melle neruis præcisis medentur. Lichenas, lepras & furfures in facie emendant. Erugant corpora. Folia in aceto cocta vulneribus imponuntur. Epiphoris testium in melle cum Hyoscyamo & farina tritici. semen illinitur igni sacro. Flos & folia vlcerũ vetustati imponuntur. Succus qui flore expressus est

ab alijs

ab alijs mel ab alijs Syrium vocatur ad emollitã-
das vuluas vtilis. Sudores mouet supputationes
concoquit.

EX SIMEONE SETHI.

Odoratum frigido capiti prodest. Oleum verò
quod ex ipso paratur, vim habet discutiendi &
emolliendi. Huius autem radice quidam vtun-
tur ad vulnerum sanationem.

DE CVCVRBITA SATIVA.

CAPVT CXXXVIII.

Cucurbita lata longa & minor quæ nobis Ia genosa dicitur, est frequens.

NOMINA.

Κολοκυνθα ἐδώδιμος Græcis, Cucurbita Latinis vocatur: Officinæ latinum nomen retinuerũt. Germa. Kurbſz (Gallicè Vne Courge.) Græci ex aduerso vocabulum imposuere, Κολοκύνθαν nominantes quòd scilicet pumili breuesq; sint partus, quos ipsa passim emittitur, cũ tamen corporis mole omnes herbarum arborumue fructus videantur superare. Cucurbitam verò Latini à concuruatu haud dubiè dixerunt quòd facilè si quid obstiterit aut fuerit impedimento quominus extendatur, incurueſcat.

κολοκύνθα quare nominata

Cucurbita cur dicta.

GENERA.

Plinius lib. xix. c v. duo satiuæ Cucurbitæ genera facit. Vnam camerariam vocatã, q̃ facili et admodũ flexibili ramorũ curuitate, tecta, pergu-

las

las & testudines operit. Alteram plebeiam, quæ scilicet suis flagellis humi repit. Nos ad formam respicientes tria eiusdem genera fecimus. Vnam maiorem, alterã verò minorem. Maiorem vocauimus sic à floribus & fructu, quos maiores habet. Minorem contrà, quæ prædicta minora obtinet. Tertiam longiorem, à fructu oblongiore diximus.

FORMA.

Curcubita amplexicaulis est, reptantibus flagellis in altum scandens, in ramosq; vitis modo se diffundit. tamen ob caulis infirmitatem, humi spargitur, ni propius adsit cui caducus innitatur: folio rotundo, Personatiæ aut asari foliys haud dissimili: flore candido, fructu coloris herbacei primùm flaui paulò pòst, pyri forma turbinato, qui aut in longum prorogatur, aut in orbem collectus intumescit, aut in breue crassamentum cogitur. Cortex recẽti tener, inueterato durus, quo carne prius exinanito peregrè proficiscentes vrceorum vice frequenter vtuntur in eo vina condẽtes, quo per iter se à sitis iniuria vindicare possint.

LOCVS.

Amat rigua & aquosa loca Cucurbita, nec nisi sata prouenit.

TEMPVS.

Tardius in Germania ob soli frigiditatẽ fructus Cucurbitæ matureſcit, ideoq; vix ante exactum autumnum maturum eius fructum inuenies. Cibus autẽ quotidianus, donec ligneſcat esse potest.

TEM

TEMPERAMENTVM.

Cucurbita frigidæ humidæq; temperaturæ est vtraque qualitate secundi ordinis.

VIRES EX DIOSCORIDE

Cucurbita cruda trita et illita, œdemata, absessusq; mitigat. Ramenta eius infantibus contra capitis ardorem, quam sriasin vocant, in sincipite vtiliter illinuntur. Oculorum inflammationes, podagrasq; similiter iuuant. Succus è ramentis contusis per se, & cum rosaceo instillatus, aurium doloribus auxiliatur. Adustiones cutis inūctus adiuuat. Totius Cucurbitæ elixæ & expressæ succus cum exiguo melle & nitro potus, aluū leniter soluit. Si quis in Cucurbitam crudam excauatā vinū infundat, & sub dio habeat, temperatumq; ieiunus bibat, aluum leniter molliet.

EX GALENO.

Succus ramentorum Cucurbitæ ad auriū dolores cum phlegmone iunctos, cum rosaceo vtentibus prodest. Sic tota quoque illita calidas phlegmonas mediocriter refrigerat. Comesta humidæ est, & sitim arcet. Cruda cibo insuauis est, stomacho pernicioſa, & concoctu planè inexpugnabilis adeò vt si quis alterius cibi inopia ingerere eā cōpellatur, ceu quidam iam ausus est, pondus cum algore ventriculo incumbere sit sensurus, stomachumq; euertet, & ad vomitionem concitabit, quæ vna eum ab vrgentibus symptomatis liberare poteſt. Hanc igitur: aliāque ex fugacibus com

plura

plura, aut mox quam elixata est, aut frictam in sertagine, aut assam omnes homines esse consueuerunt. Ipsa quantum in se est, humidũ frigidũq; corpori alimentum præbet, ac idipsum ea de causa exiguũ, sed leniter per aluum subit, cum ob suæ substantiæ lubricitatem, tum ob communem omnium humidorum ciborũ rationem qui scilicet citra adstrictiones tales sunt. Nec sanè infœliciter conquoquitur, modo non anteuertat corruptio. Plura lib. ij. de aliment. facul. Galenus.

EX PLINIO VALERIANO.

Veteres medici de Cucurbita ita senserunt, vt eam aquam dicerent coagulatam. Galenus humidæ putat virtutis & frigidæ, idq; ex eo probat, quòd ipsa in cibo sumpta stomachum relaxat, bibendi desideria non excitat. Cætera etiam in Cucurbita talia vt apertè frigidæ potestatis exempla demonstret. Crudæ & tritæ leniunt omnem tumorem. In cibo sumptæ molliunt ventrem. Succus earum, vt Galenus ait, ad compescendum velociter auriculæ dolorem tepefactus infunditur. Idem succus & dolorem dentium mitigat, si diutius in ore teneatur. Sed & rosaceo mixtus, & vnctioni corporis admotus, febrium restinguit ardores. Cinis aridæ corticis efficaciter potest combusta sanare. Eundem cinerem didicimus ab expertis vulnera in ve retro iam in putredinem versa purgare, & ad cicatricem vsque perducere. Semini Sicco illa vis traditur, vt in puluerem tusum

& insper

& inspersum impleat vulnera quæ cauata sunt. Quidam illud in vino bibendum dedere, vt solutiones alui fluentis inhiberet. Viticulæ quoque Cucurbitæ iam senescentes cum passo & aceto dysentericis datæ miro modo saucia intestina componunt.

EX SIMEONE SETHI.

Concoctu facilis, bonique succi est, & admodum nutrit. Sitim sedat, vrinam ciet, & ventrem mouet calidis et siccis temperaturis prodest, & inflammationes ventris & iecoris sedat. Pituitosos autem lædit, coliquosq; affectus. Si malos humores assequitur, ab ijs corrumpitur, & malum succum generat. Semen genitale minuit, & Veneris appetentiam extinguit. Sanguis ex ea procreatus, cõ sistentia tenuis est. Thoraci pulmoni & vesicæ prodest. Succus ramentorum eius cum rosaceo impositus, ad aures inflammatione laborantes cõfert. In tegra verò illita, calidas inflammationes refrigerat.

DE COLOCYNTHIDE.

CAP. CXXXIX.

Colocynthis nomen retinet nobis

NOMINA.

Coloquintida.

Κολοκυνθὶς Græcis, syluestris Cucurbita Latinis, Coloquintida barbaris & officinis Germanis Vuilder Kurbſz vel Coloquini) gallicè des Coloquintes) appellatur. Sic autem nominata est quasi parua Cucurbita. Nam si eius fructu satiuæ contuleris, quantitate longè minor

Colocynthis vnde dicta.

erit

erit ac pilæ forma in orbem coactus.

FORMA.

Viticulas foliaq; per terram strata emittit, satiuo Cucumeri, ei nimirum quem Citrulũ hodie officinæ vocant similia, diuisuris scissa. fructũ rotundum, mediocri pilæ similem, vehementer amarum, fungosa candidaq; intus medulla: flores quod Dioscorides omisit, pallescentes ac luteos, Cucumeri iam nominato simules.

LOCVS.

In Germania sua sponte non nascitur, sata tamen prouenit, sed rarissimè perfectionẽ attingit, quòd frigidior sit eius terra, quàm quòd in ea fructum proferre possit. In orientalibus enim & caldioribus locis nata ad nos defertur.

TEMPVS.

Eius flores in fine ferè æstatis, fructus autem extremo autumno apparent, qui primùm quidẽ herbacei, mox pallidi fiunt. Legendi verò sunt cũ cœperint in pallidiorem colorem demutari. Et durat integris natura & viribus ad quinq; annos.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit & desiccat in tertio ordine.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Medulla fructus purgandi vim habet, quatuor obolorum pondere cum mulsa aqua sumpta, et cũ nitro, myrrha et melle coacta in catapotiũ. Arefactæ pilæ tritæ, vtiliter miscẽtur clysteribus ischiadicorum, resolutionis nervorũ, & colico dolore

lore affectorum pituitam bilem & strigmenta, interdum etiam cruenta educentes. Appositæ fœtus enecant dētium dolores, si quis repurget hanc & luto oblinat, & in aceto nitróque inferuescat & ad colluendos dentes det, tollit. Si verò quis aquā mulsam aut passam in ea decoxerit, & sub dio refrigeratum bibendum dederit crassos humores & strigmenta purgat. Stomacho supra modū aduersatur. Sedi etiam ex ea balani subiiciuntur ad excrementa eiicienda. Quinetiam virentis succo, ischiadici vtiliter perficantur.

EX GALENO.

Colocynthis gustu amara est. Sed quæ amarissimo dum potatur ad sunt opera medicamento ea euidenter efficere nequit, ob purgatoriam facultatem quam validam in se continet, nimirum cum iis quæ expurgat, per aluum & ipsa excernē prævertens. Viridis ipsius succus intritus ischiadē cis prodest.

EX PLINIO.

Herbacea arefacta per se inanit aluum. Infusa quoque clysteribus intestinorum omniū vitiis medetur, & renum, & lumborum, & paralysi eiecto semine. Aqua mulsa in ea decoquitur ad dimidias sic tussienti infunditur obolis quatuor. Prodest & stomacho, farinæ aridæ pilulis cū decocto melle sumptis. In morbo verò regio vtiliter semina eius insumuntur, & protinus aqua mulsa. Carnes eius cum absinthio & sale dentium dolorē tollūt. Succus verò cum aceto calefactus mobi-

les sistit. Item spinæ & lumborum ac coxarũ dolores, cum oleo si infricetur. Præterea, mirum dictu, semina eius si fuerũt pari numero adalligata febribus, sanare dicuntur quas Græci periodicas vocant.

DE COTONEA MALO. CA. CXL.

NOMINA.

Κυδωνια μηλία, Græcis, Malus Cotonea & Cydonia Latinis, officinis Citonia, Germanis Kutzembaun (Gallicè Vne coingnaciere)

Cydonya vnde dicta. nominatur. Cydoniã verò Græci à Cydone Cretæ oppido, vnde primũ aduectaest, dixerũt. Cotonea verò à Sidonte Corinthi vico nominata est. Sũt

Cotonea. temen qui sic vocatã velint, quòd mala eius lanã quadam tegi videantur, quæ coton dicitur. Atqui in re non admodum magni momenti, parum refert vtram amplectaris sententiam.

GENERA.

Cotoneæ arboris mala Dioscoride & Galeno autoribus duum sunt generum. Alia enim minora, rotunda, odoratioráque sunt, quæ vera Cotonea appellantur. Alia autem maiora, dulciora, ac minus acerba, Galeno in fine libri sexti de tuẽ

Struthea. da sanitate teste, Struthea nuncupantur.

FORMA.

Arbor notior est quàm vt debeat repræsentari Malo vulgari haud dissimilis est, nisi quòd infra magnitudinem illius subsidet, fructu scilicet incurvatos deprimente ramos, prohibentéque pare

tem

tem crescere: Folium quoque eius angustus à terra albicat. Poma tenui lanugine pubescunt, & incisuris crispantur, vt pictura affabrè ostendit.

LOCVS.

In cultis & hortis prouenit. Locū tamē peculiariter & frigidum & humidū desiderat. Si in calido statuitur assidua irrigatione illi succurri opus est: fert tamen mediocris situs, inter frigoris et caloris naturā, statū. Planis et decluuis gaudet.

TEMPVS.

Autumno poma eius matureſcunt.

TEMPERAMENTVM.

Mala cotonea frigido & terrestri temperamento donata sunt propterq; vincentem adstrictionem minus cæteris malis humida existunt. Frigida itaque sunt primo ordine et sicca secūdo.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Cotonea stomacho accōmodata sunt urinā mouēt. Tosta mitiora fiūt. Cœliacis, dysentericis, pustulēta excrcātibus, cholericis prorsunt, præsertim cruda. Maceratorū liquor potus stomachi atq; alui fluxionibus opitulatur. Succus crudorū assumptus orthopnoicis auxilio est. Decoctо eorum sedes & vuluæ procidentes proluuntur. Quæ melle condiuntur, vrinā cient, mel autem naturam eorū induit: quippe adstringēs & conspissans obstruēsue fit. Quæ autem cum melle coquūtur, stomacho vtilia sunt, & gustu iucunda, minus autē cōstringūt. Cruda cataplasmatis miscentur ad cohiben-

dam aluum, contráque ſtomachi ſubuerſionem & ardorem, mammarum inflammationes, lienes induratos & condylomata. Fit vinum ex ijs tuſis & expreſsis, ſed quò perduret, ſedecim ſextarijs ſucci, vnus mellis adijcitur, alioquin aceſcit. Prodeſt autem ad omnia quæ dicta ſunt. Vnguentum etiam ex ipſis conficitur, quod Melinũ appellatur, quo vtimur quãdo adſtringenti oleo opus eſt. Eligi oportet vera, quæ parua, rotũda et odorata ſunt Struthea autem vocata & magnæ minus vtilia. Flos & viridis & ſiccus cataplaſmatis vtilis, ijs potiſsimum quæ adſtrictionẽ deſiderant conueniens. Inflammationibus oculorum ſanguinis reiectionibus, alui fluxionibus, menſiúmque impetui cum vino potus prodeſt.

Vnguẽtũ Melinum

EX GALENO.

Eximium quid Cotonea præ alijs malis poſſident: nam & plus adſtringunt, & durabilẽ ſuccum habent, ſi cocta cum melle aſſeruare quis cupiat. Aliorum ſuccus repoſitus aceſcit, vtpote frigida humiditate multa redundans. Struthеorum quoque ſuccus perennare poteſt: vbi rectè fuerit præparatus, quẽadmodum & Cotoneorum: verùm hic minus ſuauis & iucundus eſt, maximè que adſtringit, ita vt huius quoque aliquando vſus ſit idoneus ad ventris maiorem in modũ diſſoluti robur reſtituendũ. EX PLINIO.

Cotonea cocta ſuauiora. Cruda tamen duntaxat matura proſunt ſanguinem excreantibus, ac dyſent

dysentericis, cholericis, cœliacis. Nō idē possunt decoc̄ta, quoniā amittūt constringentē illā vim succi. Imponūtur & pectori in febris ardoribus, et tum decoquūtur in aqua, ad eadem quæ suprà scriptæ sunt. Ad stomachi aūt dolores cruda decoc̄táue cerati modo imponūtur. Lanugo eorū carbūculos sanat, coc̄ta in vino, & illita cū cera. Alopecijs capillū reddūt. Quæ ex ijs cruda in melle cōdiūtur, vrinā mouēt. Mellis aūt suauitati multū adjiciūt, stomachoq; id vtilius faciūt. Quæ verò in melle cōdiūtur coc̄ta, quidā ad stomachi vitia trita cū rosacceo folijs decoc̄lis dant pro cibo. Succus crudorū lienibus, orthopnoicis, hydropicis prodest. Itē mānis, cōdylomatis, varicibus. Flos & viridis & siccus, inflāmationib. oculorū, excreatiōibus sanguinis, mēsibus mulierū. Fit & succus ex ijs mitis, cū vino dulci tusus, vtilis & cœliacis & iecinori. Decoc̄to quoq; eorū fouētur, si procidant vuluæ & interanea. Fit & oleum ex ijs, quod Melinum vocauimus, quoties non fuerint in humidis natæ. Minus vtilia Struthea, quamus cognata.

EX SIMEONE SETHI.

Stomachū adstringūt & corroborāt, et ante cibū sumpta ventrem cohibent, vrinam prouocant. Si ad satietem edantur, difficulter concoquūtur. Dulcia minus adstringunt, acida verò magis. vomitumq; cōpescunt. Post cibū sumpta ventrē mouent: sed quibus est imbecilla facultas ventris retentrix, & excretrix valida, plus cibi accipiant.

Mansa à potu vini vaporẽ in caput distribui pro hibent. Si qua prægnans, vt fertur, crebrius hæc comedat, puerum industrium & versutũ pariet.

DE CASTANEA. CAP. CXLI.

NOMINA.

Κάσανα, ἡ διός βάλανος, ἡ σαρδιανὰ βάλανος, ἡ λόπιμος Græcis: Castanea, Sardiana glãs, Iouis glans. Nux quoq; castanea Latinis appellatur. Germanis nostris Castani, vel Kesten (Gallicè Chastaignier) vocantur. Castaneæ autẽ à Castano Magnesiæ oppido, vnde primùm aductæ sunt, nominatas esse constat. Sardianæ verò glandes, quoniam in Sardinia optimæ nascantur.

Castaneæ vnde dictæ.

Sardianæ glandes.

FORMA.

Arbor est vulgò cognita, Iuglãdi haudquaquã dissimilis, folio tãtùm venosiore et fimbriato. Nux quã producit intus solida, & plurimũ plana, triplici tegminis ambitu septa, membrana primũ amara, mox lento cortice, demũ echinato calyce.

LOCVS.

Purã & resolutã terrã desiderat, opacoq; & septẽtrionali cliuo lætatur. Mõtes & valles diligit. In plerisq; Germaniæ locis copiosissima prouenit.

TEMPVS.

Ineunte vere germinat, seriusq;, Vergiliarum occasu fructificat.

TEMPERAMENTVM.

Adstringit et exiccat Castanea haud secus quã aliæ glãdes. Calida verò et sicca est primo ordine.

VIR

VIRES EX DIOSCORIDE.

Castaneæ adstringunt, eademq; quæ glandes possunt. Potissimum autē quæ inter carnē & corticem membrana est. Caro his qui Ephemeron, hoc est Colchicon, biberunt, accommodata est.

EX GALENO.

Castaneæ inter omnes glandes principatū tenent, solæq; sylvestrium fructuum alimentum memorabile corporibus præbent.

EX PLINIO.

Castaneæ vehementer sistunt stomachi & ventris fluxiones, sanguinem excreantibus prosunt, carnes alunt.

EX PLINIO VALERIANO.

Castaneæ ex omnibus fortissimum quidē cibū corpori præstāt, sed qui difficile cōcoquatur. Castaneæ autē in carbonibus, vel in fictili vase sicco assæ tæ, & cū melle ieiunis datæ, tussientibus prosunt. A qua in qua cū suo cortice decoquuntur, cœliacis, dysentericis, sanguinemq; excreātibus bibendæ haud inutiliter propinatur. Interior membrana quæ corticem fructumq; discernit, ad tertiam partem decocta in aqua & potui oblata, mirè alvum fluentem refrenat, adeò vt Dioscorides putet etiā cathartico dato, per hanc potionem iri obuiam posse, si plusquam necesse sit, purget.

EX SIMEONE SETHI.

Copiosum corpori alimentum præbent, tardè transeūt, & difficulter coquūtur. Crassum humo-

rem, capitis dolorẽ, & flatus efficiunt, ventremq; sistunt. Si torreantur, aut siccentur. multum nocumenti deponunt. APPENDIX.

Capitis dolores creant. Inflationes pariunt, concoctu difficiles. Tostæ tamen crudis innocentiores sunt. Arefactæ multum noxæ remittũt. Tritæ cũ melle & sale rabiosorum canũ morsibus imponũtur. Mammarum duritias discutiunt, cum hordeaceo polline & aceto impositæ, ὑσῷ; vino maceratis, & cum farina subactis, passi vicevtuntur ad suppurimendos menses.

DE CARYO BASILICO.

CAP. CXLII.

NOMINA.

Κάρυον Βασιλικὸν Græcis, Regia nux et Persica, Iuglansq; Latinis. officinis Nux simpliciter, Germanis Vuelschnusz (Gallicè Noix) appellatur Κάρυον autem Græcis à capitis grauedine vocatam esse notissimum est. Nam folia arboris huius graue expirant halitum, viresq; eius in cerebrum penetrãt, atq; adeò eos sopore tentans lædit qui sub arbore decubuerint Basilicam verò, Regiámue & Persicam, eò quòd è Perside primũ in Græciam à regibus delata sit, dictam esse constat. Iuglandem à iuuando & glande nominatam existimant.

Cayrõ vnde Græci appellarint.

Basilica et Persica cur dicta.

Iuglans.

FORMA.

Arbor est prægrandis, multis prælongisq; nixa radicibus, procero caudice, multis summatim ra-

ramis

mis ingẽtibus brachiato, ad binùm ternùmue cubitorũ complexus sæpius crassescente, cortice hiulco, & in rimas altas dehiscente, foliis latis, oblongis, è iucũdo grauiter subolentibus, patulámq; iaculantibus vmbrã & insalubrem, per autumnũ deciduis. Verni temporis initio veluti quodã gestiente foliorũ conceptu, panicula prælonga, collo squamatim compactili protracta, ordine nucis pineæ protuberat, dehiscitq; Flauescẽs statim quàm frondem facere cœpit, nutãs caducaq; prolabitur. Tum super ramenti huius pediculũ flos erũpit, totidemq; calyculacea tegumenta quot flores petiolo contrahuntur, singulisq; ijs singulæ includũtur nuces, multis munitæ inuolucris, primum herbaceo cortice, mox ligneo putamine, dein tenui tunica. Crispi intus nuclei quadripartitò digeruntur, lignosa intercedente membrana.

Vmbra in glandis arboris insalubris.

LOCVS.

Mõtibus lætatur, aquasq; odit. Passim in omnibus ferè Germniæ hortis prouenit. TEMPVS.

Germinat post afflatum Fauonij, non cacumine, vt maxima pars arborum, sed lateribus impulso priore pullulo. Fructificat autumno.

TEMPERAMENTVM.

Huius temperamentum ex virium enarratione patebit. Virides verò nuces primo ordine siccæ, secundo verò calidæ censentur.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Nuces inglandes difficiles cõcoctu, stomacho in-

utiles, bilem augent, capitis dolorẽ faciũt, tussientibus inimicæ. Ad vomitiones ieiunis in cibo vtiles. Præsumptæ & à cibo comestæ cũ caricis & ruta letalibus venenis aduersantur. Largius esitatæ latos lũbricos pellunt. Illinũtur mammarũ inflãmationi, abscessibus, luxatisq; cũ exiguo melle et ruta. Cũ cepa verò, sale & melle, canis hominisq; morsui conferunt. Tormina cũ putamine suo crematæ et vmbilico admotæ sedãt. Cortex cõbustus, tritusq; in vino & oleo, infantibus inunctus capillos elegãtes efficit, alopeciasq; replet. Sistit menses crematũ tritumq;, cum vino admotũ quod intra nuces clauditur. Vetustarũ aũt nucum nuclei illiti, gangrænas, carbunculos, ægilopas & alopecias cõmẽducati & impositi celeriter sanant. Fit etiã ex ijs cõtusis & expressus oleum. Recentes nuces stomacho minus nocent, dulciores enim sunt. Quam ob causam alijs miscentur, vt acrimoniam auferant. Illitu luores quoq; tollunt.

EX GALENO.

Arbor tum in germinibus, tum in folijs adstrictionem quandam possidet. Cæterùm euidentem & plurimam in nucis putamine recenti & sicco: proinde eo fullones quoque vtuntur. At nos ea exprimentes, succo similiter vt mororum & ruborũ decocto in melle, vt stomatico medicamento vtimur, & ad omnia reliqua ad quæ modo dicti succi conueniunt. Porrò nucis ipsius quod edendo est, oleosum est & tenuium partium, ideoq; etiam facilè

cile †exprimitur: & quo diutius reconditum fuerit, magis tale efficitur. Quamobrem oleum ex eo inueterato exprimere licet, tunc sanè admodum discutiens fit, vt eo nonnulli gangrænas, & carbunculos, & ægilopas sanèt, nonnulli verò etiam ad neruos vulneratos vtuntur. Ceterùm si recens sit adstringentis nonnihil qualitatis quoque obtinet. At quod imperfectum est etiamdum, & nõdum siccum, veluti reliqui fructus omnes qui virides sunt, plenum est semicoctæ humiditatis. Cortex tamen eius vbi inaruit, tenuium partium & exiccatorium est medicamentum, morsus expers. † Alias ἐκχολοῦται, in bilem vertitur.

EX PLINIO.

Arborũ ipsarum foliorumq; vires, in cerebrum penetrant. hocq; minore momento, sed in cibis nucleifaciũt. Sũt aũt recentes iucũdiores, siccæ vngui nosiores, & stomacho inutiles, difficiles concoctu, dolorẽ capitis inferentes, tussientibus inimicæ, & vomituris ieiunis aptæ in tenasmo solo: trahunt enim pituitam. Eadẽ præsumptæ venena hebetãt. Item anginam cum ruta & oleo. Item aduersantur cepis, leniuntq; earũ saporem. Aurium inflammationi imponuntur cum mellis exiguo. Itẽ cum ruta mammis & luxatis. Cum cepa autẽ & sale & melle, canis hominisq; morsui. Putamine nucis iuglandis, dens cauus inuritur. Putamen cõbustum tritumq; in oleo aut vino, infantium capite perunctlo, nutrit capillũ: & ad alopecias sic vtuntur. Quo plures quis nuces ederit, hoc facilius

tineas

tineas pellit. Et quæ perueteres sunt nuces, gangrænis & carbunculis medentur. Item sugillatis. Cortex iuglandium lichenum vitio & dysenteriacis prodest. Folia trita cum aceto, aurium dolori. In sanctuarijs Mithridatis maximi Regis deiecti, Cn. Pompeius inuenit in peculiari cõmentario ipsius manu compositionem antidoti, duabus nucibus siccis, Item ficus totidẽ, & rutæ folijs viginti simul tritis, addito salis grano: & qui hoc ieiunus sumat, nullum venenum nociturum illo die. Contra rabiosi quoq; canis morsus, nuclei à ieiuno homine commanducati illitiq;, præsenti remedio esse dicuntur.

EX PLINIO. VALERIANO.

Nux viridis, vtpote adhuc aquatioris humoris, styptica & frigida virtute censetur. Potest deniq; & stomacho aliquid vigoris acquirere, & ventrem cum garo sumpta mollire. Nuces aũt siccæ, duræ, cum caricis duabus, & viginti rutæ folijs addito salis grano simul cõteruntur, nullisq; venenis opprimi poterit ea die quisquis ieiunus accepit. Inter Calendas & Idus Iulij cẽtum numero nuces statim vt arbori dẽptæ sunt, cortice adhærente quassantur: his admiscentur aluminis sciissi libræ tres, & in nouo ficlili vase ponũtur: super hæc infunduntur olei boni libræ tres, & diligenter in loco neq; humido, neq; nimium sicco obruuntur, post nonagesima dies dabunt oleum, quod fluentium capillorum damna restituit.

EX

Virides ventrẽ mouent, quamobrem quidam ante cibum cum ſapo comedunt. Facilius etiam quàm amygdalæ concoquuntur, Aridæ in ore inflammationes & plagas efficiunt. Stomacho meliores fiunt, ſi cum caricis edantur. Ferunt etiam eum qui nuces cum caricicis & ruta ante reliquos cibos eſitauerit, nõ magnopere à venenatis medicamẽtis lædi. Concoquũtur facilè nuces in frigidis ventriculis, in calidis verò in bilẽ magis mutãtur. Fauciũ & capitis dolorẽ afferunt, & tuſſes augẽt. Ante aũos cibos ſumptæ, vomitum adiuuant. Ad ſatietatem comeſtas, lumbricos educere ſcimus. Ad dentium pruritum vtiles ſunt.

DE CALTHA. CAP. CXLIII.

Caltha ſeu calẽdula nobis Soulſie, à ſolſequio dicitur, quòd flos cum ſolis ortu aperitur, & occaſu clauditur.

NOMINA.

QVO nomine Græci plantam hanc appellauerint, fateor ingenuè mihi nondum conſtare. Latinus aũt dicta videtur Caltha vel Calthula, quam vocem deinde corrũpẽtes offi cinæ, in Calendulam immutarunt. Quanquam quare diueriſimile etiam ſit, ſic nominatam eſſe, quod omnibus menſiũ Calẽdis fruticare cõperiatur. Atq; hinc fit quòd nõnulli florẽ omniũ menſiũ appellẽt. Germani Ringelblumen, (Gallicè Souſie) vocant, ab intorto, & in circulum acto ſemine.

Calẽdulæ. Flos omnium menſium.

EOR

FORMA.

Herba est fruticosa, caule dodrãtali, lignoso, foliis longiusculis, in angustum desinentibus, floribus speciosis croceis luteisue, non ingrati, quamuis grauis odoris, qua dote in coronamenta venit: semine, cuius vagina scorpionis caudã imitatur: radice simplici, multo capillitio fibrata. Cur aũt hãc herbam caltham esse credam, facit in primis Plinius, qui lib. xxi. cap. vi. caltha odore graue esse scribit. Dein Virgilius qui Aeglogа secũda sic canit: Mollia luteola pingit vaccinia caltha. Luteolam à luteo florum hauddubiè colore, nominans.

LOCVS.

Prouenit in cultis, atq; vix hortum inuenies in quo copiosè nascatur.

TEMPVS.

Singulis ferè mensium Calendis, vt diximus, florere deprehenditur, Maio incipiens mense: Magis autem autumno eiusdem emicant flores.

TEMPERAMENTVM.

Calidam & siccam esse statuunt, neq; id immeritò, quandoquidem dulcedine modica cũ amaritudine coniuncta participet.

VIRES EX RECENTIORIBVS.

Herba ipsa adhibetur condimentis & aceatarijs. Flos ex vino potus ciet menses: item herbæ succus, quo in dẽtium dolore os præsentaneo remedio colluitur. Nõ parũ etiã eius flos ad flauos reddendos capillos cõducit. Idem perinde atque ipsa herba,

ba, secundas educit mirificè, si aridus suffitibus admotus fuerit.

DE CARYOPHYLLATA.

CAP. CXLIII.

Caryophilata quod radix siccata Caryophilum olet, nobis Sana munda ab effectis vocatur, accetarijs etiam folio expetita herba.

NOMINA.

QVALITER Græcus & antiquis Latinis scriptoribus hæc herba nominata sit, mendū compertum habeo. Cur enim Dioscoridis Lagopum non esse credam, etsi paniculum pedi leporino prorsus similem habeat, facit quòd in manuscripto & peruetusto herbario seorsim descriptam & depictam vtranq; herbam viderim. Pictura autem Lagopi longè aliam herbam, quæ in segetibus nascitur, quam sit Caryophyllata, exprimit: de qua suo loco dicemus. Neq; desunt qui herbam hanc de qua agimus, Geum Plinio dictam velint, quorū certè sententia periculo vacat, quòd eadem facultas vtriſq; radicibus sit. Sed ad institutum reuertamur. Herbam quā recentiores Latini Caryophyllatam, ab odoris suauitate quā radices de se præbent, nominant, vulgus herbam Benedictam, à diuina sua efficacia, & Sana mundam appellant. Germani Benedicte nurtz. (Galli L'herbe benoitte.

Chryophyllata non est Lagopus.

Benedicta Sanamunda.

GENERA.

Duo esse eius herbæ genera animaduerti, non tamen multum à se disidentia. Primum genus

Cary

Caryophyllata hortẽsis.

Caryophyllatam hortẽsem vocauimus, cui ex cultura aliqua teneritas accedit in foliis, floribus & paniculis. Flos huic paulò minor & pallidior quàm syluestri. Germanicè Garten, oder heymisch Benedictenwurtz appellari potest. Alterum huius herbæ genus Caryophyllatam syluestrem diximus, quòd scilicet citra culturam proueniat. Flores eius multò maiores, magisq; ad croci colorem accedunt. Germanicè Vuild Benedicten vurtz nominari commodè potest. Differentiam tamen nemo rectius quàm ipsa pictura demonstrabit.

Caryophyllata syluestris.

FORMA.

Caulis illi sesquicubitalis, geniculatus, angustus, terna è pediculo longo folia articulatim exeuntia, per ambitũ serrata, bina etiam prioribus minora, singula genicula cingunt. E medio alarũ sinu ramuli funduntur tenues, quibus in summis flos luteus emicat, quo succusso caput extuberat circinatis acinulis cumulatè stipatũ, quasi rudimẽtũ eluceat naturæ fragum inchoantis. Radix multis luteis capillamentis fibrata, Caryophyllon olet.

LOCVS.

Primum in hortis plantatum prouenit. Alterum in montanis, opacis, & iuxta sepes nascitur.

TEMPVS.

Floret Maio & Iunio mensibus.

TEMPERAMENTVM.

Recentiores, & peruetustus etiam herbarius, calidam & siccam esse in secundo ordine statuũt.

Fol

Folia sanè in gustu non mediocrem adstrictionem ostendunt. Radix itidē haud paruam adstrictionem obtinet.

VIRES EX RECENTIORIBVS.

Radix eius luto & sordibus eluta siccatur, & imbre aceti respersa arcas & vestes iucundo commendat odore. Decoctum huius sumitur ad perficiendas concoctiones, sedandosq; coli dolores. Radix eius pectoris laterisq; dolores & cruditates iucundo sapore discutit. Manuscriptus herbarius facultatem habere dissoluendi, digerēdi, & obstructiones tollendi scribit. Fomentum item ex vino decoctionis eius menses ciere. Contra venena tritam cum vino sumptam valere. Concoctionem præterea roborare dolorem ventriculi & intestinorum à frigiditate aut flatibus ortum, decoctam in vino sanare ait. Mirificè etiam ad interna vulnera huius herbæ decoctum confert. Externa verò ex ea collui debent.

DE CENTAVRIO MINORE.

CAP. CXLV.

Centaurium paruum nomen nobis retinet, Centore.

NOMINA.

Κεντώριον μικρὸν, ἢ λιμνήσιον καὶ λιμνάσιον *Græcis, Febri fuga & Fel terræ. Lat. officinis Centauria minor, Germanis* Klein Tausendt gulden kraut, Fieber kraut, Erdtgall. & Biber kraut, (*Gallis* Centaure, ou Fiel de

terre) appellatur. Centaurium, quòd ea curatus dicitur Chiron Centhaurus, cũ Herculis excepti hospitio pertractanti arma sagitta excidisset in pedem. Limnesion & Limnæum, quod secundũ aquarum scatebras ac paludes, quas Græci λίμνας dicunt, nascatur. Febrifuga, eò quòd febres fugat, et procul è corpore pellat. Fel terræ, ob summam quam habet amaritudinem.

Cẽtauriũ vnde dictum.
Limnesiũ.
Febrifuga
Fel terræ.

FORMA.

Herba est Hyperico Origanóve similis caulẽ habens altitudine supra dodrantem, angulosum. Flores in puniceo colore subpurpurascentes, ad Lychnidis flores accedentes. Foliys paruis & oblongis veluti Rutæ, Semen tritico simile. Radicem exiguam, inutilem & leuem.

LOCVS.

Propter lacus & rigua loca, Dioscoride autore, nascitur. Apuleio verò teste in solidis & fortibus quoque locis prouenit, id quod non rarò in Germania nostra accidere compertum habeo.

TEMPVS.

Floret æstate & autumno, quo maximè tempore quia semine est prægnans colligitur.

TEMPERAMENTVM.

In foliys et floribus vincit qualitas amara paululum obtinens adstrictionis, atque propter eiusmodi temperamentum admodum exiccatorium est medicamentum, expers mordacitatis.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Herba ipsa adhuc virens tusa & illita vulneragla

ra glutinat. Vlcera vetera purgat, & cicatrice obducit. Biliosa & crassa per aluum ducit. Decoctum eiusdem ischiadicis cõmodè infunditur, sanguinem educens, & à dolore leuans. Succus ad oculorum medicamenta perutilis, cum melle quæ pupillas obtenebrant expurgans. In pessο admotus menses ac fœtus educit. Priuatim potus neruorum affectibus succurrit. EX GALENO.

Centauri minoris radix prorsus inefficax est. Rami verò & potissimum folia quæ in ijs sunt atque flores, vtiliora. Vlcera magna herba ipsa adhuc recens illita glutinat. Vetera quoque & q̃ ægrè ad cicatricem perduci possunt eodem modo vtentibus cicatrice obducũtur. Arefacta glutinatorijs & desiccatorijs miscetur facultabus, ijs videlicet quæ sinus & fistulas sanare sunt natæ, et veteres durities emollire. tũ vlcerũ maligna sanare. Miscetur etiam ijs q̃ rheumaticis affectibus medentur, in quibus ea medicamẽta optima sunt q̃ vehementer desiccantia cũ quadã adstrictione nullã habẽt mordacitatem. Decoctum herbæ quidã Ischiadicis infundũt, ceu biliosa ac crassa ducens: nam & talia purgat. Quanquã quũ adeò vehementer operabitur, vt cruenta euacuet, tunc magis proderit. Succus porrò eius quũ adsimilis sit facultatis, hoc est, exiccatoriæ & absterſoriæ, & reliqua iã dicta pulchrè efficere potest. Cum melle etiã oculis illinitur. menses q; & fœtũ appositus in pessο euocat. Sũt qui ipsum præbeãt et ijs

quibus nerui affecti sunt, vt qui euacuet & desiccet innoxiè quæ impleta sunt. Optimum etiã medicamentum est ad iecinoris obstructiones soluendas. Bonum quoque lieni indurato foris impositum, & nihilo secius si quis bibere sustinuerit.

EX PLINIO.

Purgat aluum succus Centaurij minoris, drachma in hæmina aquæ cum exiguo salis & aceti, bilemq; detrahit.

DE CYAMO. CAP. CXLVI.

NOMINA.

KYαμ⊙-Græcis, Faba Latinis dicitur. Officinæ Latinum nomen retinent. Germanij Bonen, (Gallis Vne Febue) appellatur.

FORMA.

Sola Faba inter legumina sine adminiculo nititur, folio carnoso, Portulacæ simili, flore cristato versicolore, partim albo partim purpureo, atris quibusdam maculis notato, quas M. Varro lugubres vocat literas: siliqua plærunque semipedali, fructu ītus lato humani vnguis effigie, colore nõ simplici, sed aut fuluo, aut nigro iam verò etiam herbaceo & coccineo: radice singulari, lignosa, & capillata fibris. Quæ hic à quibusdam, quasi nostra non esset vera Faba, afferuntur argumẽta, non tanti momenti sunt vt confutatione indigeant: constat enim nostram, eas quas veteres illi adscripserunt, habere notas & facultates. Nõ tamen negamus in diuersis terris maiorem aut minorem

norem produci posse. LOCVS.

Passim in hortis sata prouenit. Lætatur loco pinguissimo & stercorato.

TEMPVS.

Floret æstate.

TEMPERAMENTVM.

Faba in refrigerando & exiccando ad mediã temperaturam propinquissimè accedit. Est itaq; frigida & sicca in primo ordine.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Spirituosa, inflans, concoctu pertinax insomnia tumultuosa faciens. Tussi tamen confert, carnesq; generat. Decocta in posca, & cum cortice comesta, dysenterias & cœliacas fluxiones sistit. Vtilis contra vomitiones in cibo sumpta. Minus inflat priore aqua in decoctõe effusa. Viridis magis stomacho nocet, plusq; inflat. Farina eius per se & cum polenta illita, ex plaga inflammationes mitigat, & cicatrices ad reliqui corporis colorem reducit. Mammis in quibus lac in grumos cogitur, & inflammatione laborantibus auxiliatur, lacq; extinguit. Cum melle & fœnigræci farina furunculos, parotidas, ac sugillata oculorum discutit. Cum rosa, thure, & oui albo, procidẽtes oculos, staphylomata & œdemata compescit. Macerata in vino suffusiones & ictus oculorum sanat. Ad sistendas fluxiones sine cortice commanducata fronti imponitur testium inflammationes in vino decocta sanat. Puerorum pubi illita diu

impuberes seruat. Alphos exterit. Euulsos piles vt non nutriantur & graciles fiant, cortices illiti efficiunt. Cum polẽta, alumine & oleo veteri illiti strumas discutiunt. Decoctum illorum lanas tingit. Factas ab hirundinibus sanguiniseruptiones, cortice ablato, Faba qua parte cohæret diuisa, si dimidia apponatur, compescit.

EX GALENO.

Caro Fabæ paulùm quid abstergentis facultatis continet, sicut cortex adstringentis: idcirco medicorum nonnulli totam Fabam cum polenta decoctam dysentericis, cœliacis & vomentibus exhibuerunt. Porrò vt edulium flatulenta est. & coctu difficilis: vt si quid aliud. Excreationibus quidem ex thorace & pulmone idonea. Vt medicamentum verò foris imposita sine molestia exiccat In podagricis ea sæpenumero vsi sumus ex aqua decocta, deinceps adipem suillũ admiscentes. Ad neruorum tum contusiones, tum vulnerationes, farinam eius cum oxymelite imposuimus. Ad eos qui ex ictu iam phlegmone occupabantur, cum polenta. Sed & testium & mammarum bonũ est cataplasma. Nam hæ partes cum phlegmone tenentur, moderatè refrigerari amant, maximè cũ mammæ ex lacte in ipsis cõcreto phlegmonen patiãtur. Quin lac quoque ab eo cataplasmate extinguitur. sicut puerorum pubes farina fabacea illita plurimo tempore glabra permanet. Manifestè fabacea farina cutis sordes detergere conspi-

ci-

uitur quod intelligẽtes mãgones ac mulierculæ in balneis quotidie hac vtũtur. Illinũt præterea & hac faciem quemadmodum ptisana: Nã quæ in summa cute eminent lentes exterit, & maculas velut ex sole contractas. EX PLINIO.

Faba hebetare sensus existimata, insomnia quoque facere. Solida fricta, feruensq; in acri aceto coniecta, torminibus medetur. In cibo frixa, & cum allio cocta, contra deploratas tusses suppurationesq; pectorum, quotidiano cibo sumitur, & commanducata ieiuno ore, etiam ad furunculos maturandos discutiendosue imponitur, & vino decocta ad testium tumores & genitalium. Lomento quoque ex aceto decocto, tumores maturat atque aperit. Item liuoribus, combustis medetur. Voci etiam prodesse, autor est M. Varro. *Fabalũ etiam siliquarum cinis, ad coxendices, & ad neruorũ veteres dolores, cũ adipis suilli vetustate pdest, Et p se cortices decocti ad tertias sistũt aluũ.*

DE CONSOLIDA MEDIA.

CAP. CXLVII.

Quã hic dat consolidã mediã vulneribus glutinandis aptissimam, nouimus à media nobis dicta diuersissimam. NOMINA.

INTER multas alias herbas quibus vulnera glutinandi facultas inest, & hæc cuius picturam damus connumeratur. Hinc est quòd vulgus herbariorum illam Consolidam mediã nominet. Qua etiam appellatione nos vti voluimus Consolida media.

quòd nobis quo nomine veteribus Græcis aut Latinis appellata sit, nondum constaret. Rectius tamẽ Solidago diceretur. Germanis Gulde gunt zel nuncupatur.

FORMA.

Caulem habet quadrangulum, lanuginosum, ex quo per interualla folia bina ex singulis gemculis in extremitatibus laciniata. Menthæ similia emicant. A medio caulis ad fastigium vsque ex singulis foliorum alis flores sex aut septem in purpureo cœrulei exeunt. Radix illi subest lignosa, quæ multas à se exiguas radices capillamentorum instar per terram latè serpentes propagat.

LOCVS.

Passim in pratis nascitur.

TEMPVS.

Floret copioſẽ Maio mense.

TEMPERAMENTVM.

Gustu adstringit & amara est, vt calidam et siccam esse nemo dubitare possit.

VIRES.

Vulnera glutinat. Sanguinis grumos ex casu vel contusionibus coactos in corpore discutit & dissoluit. Præsens remedium est aphthis & vlceribus in ore serpentibus. Decoctum eius tumoribus illitum eos dissipat. Vsus etiã eius ad intertrigines vlcera pudendorum, & intestinorum exulcerationes prodest.

DE

DE CANNABE. CAP. CXLVIII.

NOMINA.

Κάνναβις Græcis, Cannabis Latinis, Barbaris & vulgò Canapus dicitur, Germanis autem Hanff (Gallis Du chanure.)

GENERA.

Cannabis duo sunt genera. Vna enim satiua est quam Græci χοινόσποφον, quòd magni in vita vsus sit ad robustissimos funes texendos. Germani Zamer hanff dicitur. Altera syluestris, quam Latini Terminalem vocant Germani Vuilden hanff. χοινόσποφον.

FORMA.

Satiua Cannabis folia fert fraxino similia, grauis odoris, caules longos, inanes q; semen rotundum. Syluestris verò virgas fundit Altheæ similes nigriores, asperiores et minores, cubitali altitudine. Folia satiuæ similia, asperiora & nigriora. Flores subrubeos, Lychnidi similes. Semen & radicem Altheæ similia. Eius effigiem videre nobis nondum licuit. Satiua Cannabis. Syluestris.

LOCVS.

Satiua in locis cultis sata prouenit. Syluestris in syluis & asperis locis, Apuleio q; teste, iuxta semitas & sepes nascitur.

TEMPVS.

Herba ad vsus medicos carpitur dū maximè viret. Semen autē eius, Plinio autore. cùm maturū est, id quod prope autumni æquinoctium accidit.

TEMPERAMENTVM.

Admodum calefacit & exiccat.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Satiuæ maiori copia sumptum genituram extinguit, Ex viridi autem succus expressus, contra aurium dolores vtiliter instillatur. Syluestris radix decocta illitáque, inflammationes mitigat. Tumores discutit, & callos disijcit. Huius cortex texendis funibus vtilis est. EX GALENO

Cannabis semen flatus extinguit, adeoq; desiccat, vt si plusculum edatur genituram exiccet. Sunt qui ex viridi succum exprimentes, ad aurium dolores ab obstructione, vt mihi videtur, natos vtuntur. Semen etiam Cannabinum difficulter concoquitur, stomacho & capiti aduersatur, prauosq; humores creat. Admodum excalfacit, ideoq; caput æstuoso ac medicamentoso halitu sursum misso tentat. EX PLINIO.

Semen Cannabis extinguere genituram virorum ducitur, Succus ex eo vermiculos auriũ, & quodcunque animal intrauerit, ejicit, sed cum dolore capitis Tãtaq; vis ei est, vt à q̃ infusa, coagulare dicatur, & ideo iumentorum aluo succurrit pota in aqua. Radix contractos articulos emollit in aqua cocta. Item podagras et similes impetus Ambustis cruda illinitur, sed sæpius mutatur priusquam arescat.

EX SIMEONE SETHI.

Semen Cannabis comestũ idẽ nocumentũ quod

Coriã

Coriandrum affert: immodicè enim si estur, vt illud, delirium facit. Folia verò arida pota, veluti farina, aut magis pro potione hæc farina exiccata, ebrietatem quandam hospitalẽ facit, & quæ ab hauriente non sentiatur. Apud Arabas enim pinsitur, subigitúrve pro vino, & inebriat. Desiccat verò semen genitale vt Caphura.

APPENDIX.

Quum ex iam dictis constet Cannabinum semẽ caput facilè tentare, atque adeo lædere, imprudẽter faciunt, qui vulgi errorem sequentes, in morbis ijsq; maximis, capitis ex hoc semine confecta iuscula ægrotãtibus magno eorũ malo exhibent.

DE CARDIACA CAP. XLIX.

Cardiaca nobis Agria palma haud scio qua ratione dicitur, nisi fortè à rudi foliorum fissura tanquam in digitos, à qua sed perfectiore ricinus vulgò etiam Palma Christi nuncupatur: Amara sorba in hortis spõte sua passim luxuriãs.

NOMINA.

QVO nomine herba hæc veteribus sit appellata, nondũ nobis constat, Nostri tamen tẽporis herbarij Cardiacã vocant. Germa. Hertzgspã, oder Hertzgsper. Cardiaca verò haud dubiè à recentioribus nominata est. quòd cordis palpitationi, quã illi perperã καρδιακὴν appellãt mirificè conferre videatur. Alia est hæc à Ballote de qua suo loco diximus. Cardiaca cur dicta.

FORMA.

Cardiaca caulẽ ex se mittit qua drangulum genicula

niculatum, nigrum folia lac iniata, nigra per interualla in caule ex singulis geniculis prodeũtia: flores in candido purpureos orbiculato ambitu caules circumiacentes: radicem luteam, intortam capillamentis fibratam.

LOCVS.

Passim in ruderibus & circa sepes nascitur.

TEMPVS.

Iulio mense floribus abundat.

TEMPERAMENTVM.

Amara admodum existit, vt hoc nomine calidã esse in secũdo ordine, & siccam in tertio cõstet.

VIRES.

Recẽtiores rectè cõtra cordis palpitationẽ conuulsionẽ et resolutionẽ cõducere tradũt: põt enim quũ amara sit herba, sua caliditate & siccitate crassos humores qui in venis & aliis partibus, neruosis potissimum, sunt, incidere, extenuare, & discutere. Hac etiam ratione morbo comitiali cõfert vrinas mouet, & menstrua educit, aliasq; facultates quas Galenus libr. iiij. de Simp. med. facul. cap xvij. amaris tribuit, obtinet.

DE CARO. CAP. CL.

NOMINA.

Carui. Κάρος Græcis, Caron vel Careum Latinis, officinis Carui nominatur Germanis Mattkumich, oder Vuysenkumel, (Gallis Des carottes) dicitur. A Caria fortè regione, in qua laudatissimum nascitur, appellationem accepit.

Carceũ vnde dictũ.

FOR

FORMA.

Caules emittit quadrangulos ab vna radice multos. folia Staphylini, flores cãdidos, & in caulium ſummo ſemen anguloſum ac copioſum, radicem oblongam & luteam.

LOCVS.

Paſsim in pratis Germaniæ noſtræ prouenit. Optimum tamen eſt quod in Caria, vt diximus naſcitur.

TEMPVS.

Iunio menſe floribus & ſemine prægnans eſt.

TEMPERAMENTVM.

Cari ſemen calfacit & exiccat tertio quodãmodo ordine, moderatè acrem qualitatẽ poſsidẽs.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Semen Cari calfacit, vrinã cit, Stomacho & ori gratum accommodumq;. Concoctiones adiuuat. Antidotis & oxyporis vtiliter miſcetur. Aniſo proportione reſpondens. Radix elixa Paſtinacæ ſylueſtris modo edendo eſt.

EX GALENO.

Flatus extinguit & vrinas ciet, non ſemen tãtum ſed & planta.

DE CARYO PONTICO. CAP. CLI.

NOMINA.

Κάρυα πόντικὰ, ἢ λεπτοκάρυα Græcis Auella Auellanæ nuces, et Præneſtinæ Latinis, Haſelnuſz Germanis, (Gallicè Noyſette, ou Aucline) Pŏticæ quæ nominatur. Ponticæ autem vocantur, quòd in Aſiã re vocatæ.

Græci

Græciáq; è Ponto venerunt. Paruæ, quod Iuglandibus minores sint.

GENERA.

Duo eius sunt fastigia. Vna enim est syluestris quam priuatim Germani nostri Haselnutz nominant. Altera verò vrbana seu domestica, quã ijdem Rotnusz, oder Rurnusz appellant.

FORMA.

Corylus. Corylus arbor inqua Auellana nux prouenit. caudice est multis infernè stolonibus fruticante, supernè ramis brachiato, virgis breuibus, sine alarum sinu enodibus, crassisq; nonnullis, foliis ab vna parte nigris, altera verò subalbis, per ambitum serratis, materia admodũ lenta, cortice summo tenui, pingui, maculis albis vario, medulla tenui & flaua. Non floret, sed floris vice quidam in eo peculiares compactili callo racematim cohærẽtes, & veluti prælongi vermes singulari pediculo pensiles iuli erumpunt, qui ineunte vere debiscunt ac defluunt cum folia prosiliunt, ac tum calyculacea tegumẽta totidem summatim fimbriata, quot Iuli supra pediculum exeunt, eorumq; singulis nuces singulæ insunt. Domestica non differt à syluestri, nisi quòd eius foliũ maius, et cau-

Iuli.

Domestica dex procerior melior fructus, rubra membrana inclusus.

LOCVS.

Gaudet argillosis & vliginosis locis: nascitur itaque in planò. Nemora etiam & montes Gorylis vestiuntur.

TEMPVS.

Autumno leguntur Auellanæ nuces.

TEM

TEMPERAMENTVM.

Tum cortex, tum planta, tum fructus gustanti austerior quàm Iuglans apparet, plus itaque habet essentiæ terrestris & frigidæ, Simeon Sethi cæ lidas & humidus esse Auellanas asserit.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Stomacho aduersantur Auellanæ Tritæ in aqua mulsa, & potæ veterem tussim sanant. Tostæ verò & cum exiguo pipere comestæ destillationem maturant. Totæ crematæ tritæ cum axungia aut seuo vrsino et inunctæ, alopecias explent. Ferunt aliqui vsta earum putamina, & in puluerem redacta cum oleo cæsiorum oculorum pupillas infantibus denigrare, perfuso syncipite.

EX GALENO.

Valentiores sunt Auellanæ quàm Iuglandes. nam densior strictiórque his est substantia, ac minus oleosa. Cætera magnæ nuci similia sunt.

EX AETIO.

Auellana, quæ & Nux pontica nuncupatur, quòd in Euxino ponto frequens sit, præter quod frigidior, austerior, terrestriorq; est, in reliquis Iuglandi assimilatur. Comesta dolorem capitis inuehit.

EX SIMEONE SETHI.

Magis nutrit quàm Iuglandes nuces, difficiliusq; concoquuntur. Inflationes faciunt, &, vt quidã aiũt, ieiunũ intestinũ lædũt. Facilius autẽ concoquuntur, minusq; ventrẽ sistunt si interior earum cortex abyciatur. Dicitur quod si quis

ante

ante reliquos cibos cum ruta sumpserit, huic neq; morsus, neque venena officere illo die posse, & scorpiones ab ipso fugere. Sumptæ cum caricis, iam à scorpione ictos iuuant. Ad aciditatẽ à nigro humore exiccatam omnino confert.

DE CENTVM MORBIA CAP. CLII.

An hæc centummorbia sit vulgò dictum & putatum gramen Parnasi explora.

NOMINA.

Centum. morbia vn de dicta. Nũmularia.

HVIC *herbæ, vt alijs multis, nomẽ aliud imponere non licuit, quã quo vulgo hodie appellari solet, Centummorbiæ. Sic autem haud dubiè à chirurgis, qui illa quotidiè vtuntur, à mirifica sua quam in plurimis vlceribus medẽdis obtinet facultate, dicta est. Sũt qui à foliorum similitudine, quæ nummi speciem referunt, Nũmulariam vocant. A nonnullis Hirundinaria, quòd posśim terræ hirũdinis instar affixa sit, dicitur. Nec; desunt qui Serpentariam appellent, quòd cõpertum sit serpentes hac herba si vulnerentur sibi mederi Germanicè* Egelkraut, oder Klein Naterzung, oder Pfennig Kraut *nomi nominatur.*

FORMA.

Serpit per terram exiguis q; radiculis è coliculis latis prodeũtibus nititur. Folia habet ex vtroque caulis latere rotunda, pinguiaq;: flores luteos

LOCVS.

Prouenit in locis humidis potiśimum verò circfluenta

ca fluenta.

TEMPVS.

Maio mense apparet, Iulio autem floret.

TEMPERAMENTVM.

Gustu admodum adstringit, vt hinc constet secundi au tertij ordinis exiccantium esse herbam.

VIRES.

Huius flores & folia trita adeò desiccant adstringuntq; vt quæuis vlcera glutinare valeãt. Ideoq; pota cum vino dysenterias, ventris imbecilitates fluxusq; ac humiditates sanant. Cataplasmatis ritu illita vlcerum putredinosa iuuãt. Prosunt etiam ad sanguinis reiectiões, profluuia muliebria, & ad omnia interanea vulnera & vlcera, potißimum pulmonis. Externis etiam vlceribus summè confert, si vino in quo herba hæc decocta est, lauentur atque abstergantur.

DE COCCIMELEA. CAP. CLIII.

NOMINA.

Κοκκιμηλία Græcis, Prunus Latinis & officinis, Germanis eius arboris fructus Pflaumẽ oder Prumen,) Gallis Vng Prunier) dicuntur.

GENERA.

Duo sanè prunorum habentur genera. Vnum satiuorum, in quo genere sunt nigra candicantia, versicoloria cerea, hoc est, ex cãdido in luteũ Satiua.
paleſcẽtia, purpurea, Damascena, & si qua sunt Prima.
alia. Alterum syluestrium, quæ Galeno lib. ij. de alimentorũ facultatib. ἀγριοκοκκιμήλα, & in Pruncola.
Asia προῦμνα, Pruneola siue Prunula vulgò no-

minantur, Germanicè Schlehen. Caue eorum amplectaris sententiam, qui Poterium esse putãt: neq; enĩ facultates, neq; notæ Prunulis respõdent.

FORMA.

Prunus arbor est radicibus summo cespite vagantibus paucis, caudice subrecto, scabro, multis brachiato ramis, folio ex oblongo ferè rotundo, per oras minutim serrato, flore candido, foliato pomo, carne, cuteq; vestito, osse intus duro in quo nucleus includitur. LOCVS.

Satiua Prunus in hortis nascitur. Damascena in Damasco Syriæ, à quo cognominata sunt. Syluestris autem passim in sepibus reperitur.

TEMPVS.

Satiua in æstate poma sua profert, syluestris autem autumno.

TEMPERAMENTVM.

Satiuæ pruni fructus mediocriter humectant & refrigerant. Syluestris adstringunt, vt fusius ex eorundem facultatibus innotescet.

VIRES EX DIOSCORIDE

Eius pomum estur, stomacho tamen aduersatur. Aluum mollit. Syriaca autem pruna, & præsertim in damasco genita, exiccata stomacho vtilia sunt, & aluũ cohibẽt. Folia in vino decocta & gargarissata columellã, gingiuas, & tonsillas fluxione laborantes reprimunt. Præstant idẽ & syluestriũ Prunorum fructus cum maturuerunt siccati. Cum sapa decocti stomacho vtiliores

& ad

& ad cohibendam aluum aptiores reddũtur. Gũmi Prunorum glutinat. Potum in vino calculos cõterit. Ex aceto illitũ, ẽpetigines infantiũ sanat.

EX GALENO.

Pruni fructus ventrẽ subducit, recens quidem plus, aridus verò minus. Cæterùm Dioscorides, haud scio cur, Pruna Damascena siccata ventrẽ sistere ait, quum tamen & ipsa palam etiã subducant, minus tamen ijs quæ importantur ex Iberia. Damascena quidem magis adstringunt: at quæ Iberia fert, dulciora sunt. Quin et ipsæ arbores fructibus proportione respondẽt: minus enim astringunt quæ in Iberia nascuntur, magis verò quæ Damasci. Porrò vt in summa dicam, quarum in folijs aut germinibus adstrictio quædam ineſſe apparet manifesta, ijs decoctis phlegmonæ in columella aut tonsillis existentes colluũtur. Syluestrium fructus euidenter adstrictorius est, ventremq; sistit. Gummi autem arboris sunt qui dicant cum vino potum lapides confingere, cum aceto verò puerorum sanare impetigines. Ac si id præstat, clarum est incidendi tenuandiq; illi facultatem ineſſe. Rarò fructum hunc austerũ aut acidum, aut omnino iniucundum inuenias, vbi exactam maturitatẽ fuerit assecutus. Priusquã enim eò perueniat, nullus est fermè qui non acorẽ aut acerbitatẽ præ se ferat: est qui & amaritudinẽ. Proinde ex hoc fructu minimũ alimẽti corpus accipit. Verũ quũ humectare & refrigerare me

diocriter ventrem ſtatuemus, vtilis erit: quem ſubducit humiditatis & lentoris ſui gratia. Prunis porrò æquè ac ficubus conceſſum eſt, vt vel exiccata vtilia permaneant. Damaſcenis prima laus bonitatis magna hominũ opinione defertur. Proxima ijs quæ in Iberia & Hiſpania proueniũt. Probatiſſima in Damaſcenis ſunt, quæ cum mediocri adſtrictione magna laxáque ſunt. At parua dura, acerbáq; et in cibo permoleſta, & vētri ſubducendo minus idonea, cui officio Iberica maximè conueniunt. In melicrato plus mellis habente, abundè ventrem molliunt, etiam ſi ſola comedãtur, & multò magis ſi melicratum ipſum ſubſorbeatur.

EX PLINIO.

Pruni folia decocta tonſillis, gingiuis, vuæ proſunt in vino decocta, & ſubinde ore colluto. Ipſa Pruna aluum molliunt. Sylueſtrium quidem Prunorum baccæ, vel è radice cortex, in vino auſtero ſi decoquatur, ita vt triẽs ex hemina ſuperſit, aluum & tormina ſiſtunt. Satis eſt ſingulos cyathos decocti ſumi. Et in ijs & ſatiuis Prunis eſt limus arborum quem Græci Lichena appellãt rhagadijs & condylomatis mirè vtilis.

DE CONIO. CAP. CLIIII.

Cicuta nobis eſt maior, cuius caule cauo Pibant ruſtici, bibeul dicitur: Gall. Cigue. Alia eſt minor, odore non ingrato, tenera multũ, Cætera priori ſimilis quæ arboreſcit terra pingui.

NOMI

NOMINA.

Κωνειον græcè, Cicuta Latinis & officinis, Germanis Vutzerling, Vundtscherling, Schirling, oder Vuterich, (Gallicè Cigue) quasi tyrannus dicitur, quòd scilicet hominem interficiat: si intra corpus sumatur. Hinc est quòd Athenienses eius succo in interimẽdo sapientissimo philosopho Socrate, quẽ falsò Anytus & melytus quasi parum rectè de Dijs sentiret, accusarũt, vsi sunt.

FORMA.

Caulẽ profert geniculatũ, Fœniculi modo, magnum. Folia ferulæ, vel, vt Plinius ait, Coriandro similia, angustiora tamen & graueolẽtia. In cacuminibus adnascentes ramulos & vmbellã. Florem subalbum, semen Aniso simile, albidius tamen. Radicem concauam nec profundam.

LOCVS.

Passim in pratis, locis incultis, & vmbrosis nascitur.

TEMPVS.

Iulio mense flores & semina profert.

TEMPERAMENTVM.

Summam habet refrigerandi vim Cicuta, atque adeò venenum est.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Inter letalia cõnumeratur Cicuta, sua frigiditate enecans. Remedio est meraci vini potus. Succus exprimitur ex eius cacuminibus contusis, priusquam semen & coma arescat, expressusq; in sole desatur. Multus aridi ad medẽdi rationẽ vsus est.

Miſcetur vtiliter collyrijs, quæ leuandi doloris gratia adhibentur. Herpetas & eryſipelata illitus reſtinguit. Herba cũ coma trita & teſtibus circũlita, libidinum in ſomno imaginationibus auxiliatur, ſed genitalia illita reſoluit, languidaq; reddit. Lac extinguit, mãmas in virginitate increſcere prohibet. Puerorũ teſticulos tabeſceret facit.

EX PLINIO.

Cicuta venenum eſt, publica Athenienſiũ pœna inuiſa, ad multa tamẽ vſus nõ omittendi. Semini & foljs refrigeratoria vis, quæ ſi enecat, incipiunt algere ab extremitatib. corporis. Remedio eſt, priuſquã perueniat ad vitalia, vini natura excalefactoria. Sed in vino pota, irremediabilis exiſtimatur. Succus exprimitur foljs floribuſq; tunc enim maximè tempeſtiuus eſt & melior. Semine trito expreſſus, & ſole dẽſatus in paſtillos, necat ſanguinẽ ſpiſſando. Hæc altera vis. Et ideo ſic necatorũ maculæ in corporibus apparẽt. Ad diſſoluẽda medicamẽta vtũtur illo pro aqua. Fit ex eo ad refrigerandũ malagma. Præcipuus tamen eſt ad cohibendas epiphoras æſtiuas, oculorumq; dolores ſedandos circunlitus. Miſcetur collyrijs, & alios omnes rheumatiſmos cohibet. Folia quoq; tumorẽ omnem doloremq; & epiphoras ſedant. Anaxilaus autor eſt, mammas a virginitate illitas ſemper ſtaturas. Quod certum eſt, lac puerperarum mammis impoſita extinguit, veneremq; teſtibus circa pubertatem illita.

DE

DE CYNOGLOSSO OFFICINARVM. CAP. CLV.

NOMINA.

Κυνόγλωσσον Græcè, Latinè Lingua canina: officinæ Græcam appellationem retinuerunt. Germanicè Hundszzung (Gallicè Langue de Chien) appellatur. Animaduertendum tamen nos non temerè adiecisse officinarum: neque enim Dioscoridis damus Caninam linguam, quæ vidua caule est, & viribus etiam ab hac nostra diuersa.

Lingua canina.

Dioscoridis Cynoglosson.

FORMA.

Caulem obtinet cubitalem, & interdum lõgiorem, hispidum, sirculosum: folia angusta, prælonga & lanuginosa, non venosa, molliaq;: florẽ primùm purpureum, dein cœruleum, stamina habentem purpurea: radicem oblongam, & pronsundè terram penetrantem.

LOCVS.

Passim circa itinera prouenit.

TEMPVS.

Iunio & Iulio mensibus floret.

TEMPERAMENTVM.

Recentiores herbarij frigidam & siccam esse statuunt in ordine secundo.

VIRES.

Oris & alijs maleficis vlceribus medetur. Dysenteriæq; etiã prodest. Debet ita illius herbæ vsus

esse in omnibus vlceribus, vulneribus, scabie Hispanica, & similibus morbis. Auxiliatur etiam gonorrhœæ & destillationibus: atq; hinc est quòd catapotiorum compositioni, quorum nomenclatura est ad oës morbos catharri, aut de Cynoglosso, admisceatur.

Catapotia de Cynoglosso.

DE CNICO. CAP. CLVI.

NOMINA.

Cartamus Crocus hortensis.

KNικὸς Græcè, Cnicus & Cnecus Latinè nominatur. Officinæ Cartamũ & Crocum hortensem appellant. Germani Vuilden gartensaffran, (Gallicè Saffran sauluaige) ad differentiam Atractylidis, de qua suprà dictum est.

FORMA.

Folia habet oblonga, incisuris diuisa, aspera, aculeata. Caules cubitales, in quibus capita olivæ magnitudine. Florem similem Croco, semen candidum rufum, oblongum, anguloſum.

LOCVS.

Nascitur in hortis & agris satus.

TEMPVS.

Floret Iulio & Augusto mensibus. ac subinde semen etiam profert.

TEMPERAMENTVM.

Tertij est ordinis excalefacientium eius semen si quis foris eo vti volet.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Huius flore vtũtur in opsonijs. Semẽ tunditur & ex eo exprimitur succus, qui cum hydromelite aut

aut gallinaceo iure datus aluum purgat. Stomacho tamen aduersatur. Fiunt etiam placentæ quæ aluum emoliunt, si succus eius amygdalis, nitro, aniso, & melli coćto misceatur. Oportet autē ante cœnā in partes quatuor diuisas Iuglandis nucis quantitate duas aut tres sumere. Eas hoc modo cō ficere oportet. Sumatur Cnici candidi sextarius, amygdalarum tostarum & decorticatarum cyathi tres, anisi sextarius vnus, aphronitri drachma vna, caricarū triginta carnes. Seminis succus lac cogit, & ad soluendum aluum efficacius efficit.

EX GALENO.

Cnici semine dūtaxat ad purgatiōes vtimur.

DE CENCHRO. CAP. CLVII.

NOMINA.

Κεγχρος Græcis, Milium Latinis & officinis, Germanis Hirsz (Gallicè du Mil ou du Millet) appellatur. Nomen, Festo autore, à milia ria summa deriuatum. Milliū vn de dućtū.

FORMA.

Frumenti genus stipula cubito altiore, geniculata, folio arundinaceo, semine in iuba tereti & pendulo, folliculo concluso. radice numerosa, capillata, ac multiplici fructicante culmo.

LOCVS.

Satum in aruis prouenit. In frigido & aquoso solo prius serendum, postea in calido præcipiunt. Gaudet solo limoso vliginosoq;.

TEMPVS.

Augusto mense demetendum.

TEMPERAMENTVM.

Milium primo ordine refrigerat, exiccat autem tertio exoluto, aut certè secũdo intenso. Paululum etiam tenuium est partium.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Minus cæteris frugibus alit. In panes aũt coactum, aut tanquã pus confectũ aluũ sistit, vrinã aũt mouet. Tostũ verò saccis inditũ et fomãti loco appositũ, torminibus et alijs doloribus auxilio est.

EX GALENO.

Milium vt ferculũ comestũ inter omnia frumẽtacea edulia minimũ nutrimenti confert. Sed & ventrem desiccat. Porrò foris impositum in sacculis idoneum est fomentũ ijs quæ citra morsum exiccari postulant. Cataplasmatis etiam modo illitũ exiccare potest, attamẽ admodũ friabile est, proinde difficilis est eius in cataplasmatis vsus. Panis ex milio axigui est alimenti & refrigerantis. Constat insuper præaridũ & instar arenulæ aut cineris friabilem esse: caret enim penitus glutinoso pinguiue iure itaq; aluum humentẽ desiccat. Milium tamen ad omnia panico præstantius, nã & suauius editur, facilius concoquitur, ventremq; minus cohibet, ac magis nutrit. Huius farinam lacti incoctam esitant, veluti triticeã agricolæ: clarumq; est id edulij tanto quàm illa quæ per se sola sumuntur melius esse, quanto lac milij natura ad boni succi procreationẽ, aliaq; omnia eminentius habetur. Dico aũt alia omnia, concoctionem,

Panis ex milio,

ver-

ventris subductionẽ, in totum corpus distributionẽ, adeoq; ipsam in edẽdo suauitatẽ ac voluptatẽ.

EX PLINIO.

Milio sistitur aluus, discutiũtur tormina, in quẽ vsum torreatur antè. Neruorum doloribus & alijs feruẽs in sacco ponitur, neq; aliud vtilius, quoniã leuissimum mollissimumq; est, & caloris capacissimum. Itaq; talis vsus eius est od omnia quibus calor profuturus est. Farina eius cũ pice liquida serpentium & multipedæ plagis imponitur.

EX SIMEONE SETHI.

Difficulter concoquitur, ventrẽ sistit parumq; nutrit. Iuuat eos qui refrigeratione & exiccatiõe ventriculi indigent. Sumptũ cum lacte, vel amygdala thasia facilius cõcoquitur, et humidius fit.

DE CRAMBE SATIVA.

CAP. CLVIII.

Brassica nobis à caule insigni & arboreo caulis dicitur. Ea nobis multiplex magis est, quam quæ hic scribitur & pingitur.

NOMINA.

Κράμβη ἡ ἥμερος Græcè, Brassica satiua Latinè, officinis & vulgò Caulis, Germanicè KOL (Gallicè Des chauls) appellatur. Crãbe Græcis dicta censetur quasi κορέμβλη, quòd pupillas oculorum, quas Græci κόρας vocant, obtundat, hebetetq;. In qua certè sententia fuisse Columellam hoc eius de cultu hortorum carmen testatur.

Nunc

Nūc veniat quamuis oculis inimica Corāble.

Attici integro nomine κορέμβην protulerūt, alio sed potiore etymi sensu, quasi κορῶ ἄμβη, vel rectius ἀντίβη, id est crapulæ satietatiq; contrauenit. Nam vino aduersatur, vt inimica vitibus. Antecedens in cibis ebrietatem arcet, & posteà sumpta crapulam discutit.

GENERA.

Etsi plurima sint Brassicæ genera, vt ex veteribus rei rusticæ scriptoribus liquet, quatuor tamen duntaxat, quæ hodie vsitatæ sunt, producemus: quarū vna Græcis λεία, hoc est, leuis nominatur, grādibus & latis folijs, caule magno: Germanis breiter oder grosser Kol vocatur. Altera crispa, quæ à similitudine apij σιλινοειδὴς, id est, Apiana nuncupatur. Vulgò crispus caulis, Germanicè Krauser kol. Tertia propriè vocatur Crābe, minutioribus caulibus, & tenuioribus folijs, flore luteo, Germanicè Kleiner kol, vt ab alijs discernatur, nominari potest, aut simpliciter & sine adiectiōe Kol. Quarta sessilis est, folio & capite patula. Vulgus caputos caules, quasi capitu latos appellat, quoniā in capitis formam extuberant. Folia enim horū in orbem glomerantur, exterius calloſa & per ambitū rugata, multis intus carinarum voluminibus, externus semper interiora cōplectentibus. Huc alludentes Germani Cappisz kraut vocant. Nōnulli à candore foliorum Brassicā albā, & caules albos appellare maluerunt.

Braßica leuis.

Apiana.

Crambe.

Capitata.

runt. Hoc genere Brassicæ in plærisq; Germaniæ partibus, Boioaria potissimum, per integrum anni curriculum quotidie victitant, quòd illic eius prouentus sit vberrimus.

FORMA.

Caule est Brassica leuiter rubente, crasso, folio prægrandi, carnoso, ex cæsio candicante, in latus vtrinq; diffuso, prominulis venarũ toris fructicãte, cymapatula, flore tum luteo, tum albo, semine in siliquis.

LOCVS.

In hortis hodie passim prouenit Brassicæ. Frigidis verò & pluuijs regionibus positio earundem optima.

TEMPVS.

Augusto mense potissimum florent, ac subinde semen etiam proferunt.

TEMPERAMENTVM.

Brassica tum manducata, tum foris imposita exiccat. Sicca verò & calida primo ordine.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Bassica satiua aluo est idonea, si leuiter ferue facta edatur. Percocta verò aluum sistit, & multo magis bis cocta, & in lixiuio decocta. Aestiua stomacho nocet & acrior est. In Aegypto propter amaritudinem nõ estur. Obscuritate visus laborantibus & tremulis comesta auxiliatur. A cibo sumpta ex crapula & vino noxas restringuit. cymaeius stomacho vtilior, sed acrior, & ad ciendam vrinam validior. condita sale stomacho inimica est, aluumq; cõturbat. Crudus eius succus cũ ir ide

& ni

& nitro deuoratus aluum mollit. Cũ vino potus viperarũ morsibus succurrit, Cũ Fœnigræci farina, podagricis & articulorũ dolorib. correptis, vlceribusq; sordidis & vetustis illitus prodest. Caput purgat per se naribus infusus. Mẽses ducit cũ loliacea farina inditus. Folia per se aut cũ polenta trita, omnibus inflãmatiõibus & œdematis cõferũt. Erysipelatis, epinyctidus & lepris et medẽtur. Cũ sale carbũculos rũpunt. Capillorũ in capite defluxũ retinẽt. Cocta aũt & melli mixta gangræ narũ pascentibus malis opitulãtur. Cruda ex aceto comesta lienosis prosunt. Mansa verò deuorato succo vocem amissam restituũt: Decoctum eius potum, aluũ & menses mouet. Flos post conceptionẽ in pessõ subditus sterilitatẽ facit. Semen eius præsertim quæ in Aegypto nascitur, potũ lũbricos pellit. In antidota cœliacorũ additur. Faciem lentigines q; expurgat. Cauliculi virides cũ radice cremati, & adipe porci vetusto excepti, diuturnos laterum dolores impositi mitigant.

EX GALENO.

Brassica esculenta desiccandi vim habet tum esa, tum foris imposita, nõ tamen etiã admodũ acrẽ. Alioquĩ & vlcera glutinat, & maligna vlcera sanat. Præterea phlegmonas iam induratas, ac ægrè solubiles. et id genus quoq; erysipelata. Eadẽ facultate epinyctidas & herpetes sanat. Habet quiddã etiã in se absterſoriũ, quo lepras curat. Porrò semen eius potum lumbricos interficit, maximè

Bras

Brassicæ Aegyptiæ, quanto ea scilicet tẽperatura siccior est. Sanè amaræ qualitatis particeps semen est, sicut videlicet omnia alia medicamẽta quæ ad lumbricos idonea sunt. Secundũ eandem facultatẽ ephelidas, lentigines, & quæcunque alia modica absterſionem postulant, adiuuat. Caules Brassicæ combusti, cineres efficiunt admodũ desiccantes, vt videlicet iam & adurentem vim participẽt. Hac ratione enim veterem adipem cõmiscentes, ad inueteratos laterũ dolores, & si quid eius fuerit generis, adhibent. Nã valenter digerens medicamentũ efficitur. Brassicæ quoq; succus purgandi quãdam vim obtinet: contrà solidum eius corpus siccitatis ratione cohibere magis quàm incitare deiectionem potest. Proinde quum expellere alui excrementa propositum erit, aheno in quo elixa vnà cũ aqua fuit, propius admoto, ipsam eximere confestim, vasculoq; in quo paratur, oleum cum garo inijcere oportebit. At humentem aluum siccare volentes, quum mediocriter bullijsse videbitur, priore aqua effusa repentè aliam calentem inijcimus: ac ita rursus in ea discoquimus vsq; dum tenera flaccidaq; euaserit.

EX PLINIO.

Cato crispam maximè probat, dein leuem grãdibus folijs, caule magno. Prodesse tradit capitis doloribus, oculorũ caligini, scintillatiõibusq;, vel stomachi doloribus, crudam ex aceto & melle, coriandro, ruta, mentha, laseris radicula, sumptam

acet

acetabulis duobus matutino. Tantamq; esse vim, vt qui terant hæc valdiores fieri se sentiant. Ergo vel cum vino tritam, sorbendam, vel ex olei intinctu sumendam. Podagræ aũt, morbisq; articularijs illini cum rutæ, coriandri & salis mica, hordei farina. Aqua quoq; eius decocta, neruos articulosq; mirè iuuari. Si foueãtur vulnera & recentio & vetera, etiam carcinomata, quæ nullis alijs medicamentis sanari possunt. Foueri prius aqua calida iubet, & bis die tritam, imponi. Sic etiã fistulas eluxatas, & tumores reuocari, quæq; discuti opus sit. Insomnia etiam, vigiliasq; tollere decoctam, si ieiuni edant quãplurimam ex oleo & sale. Tormina, si decocta iterũ decoquatur, addito oleo & sale, cumino, polenta. Si ita sumatur sine pane, magis profuturam. Inter reliqua bilẽ detrahit per viniũ nigrum pota. Quin & vrinam eius qui Brasicam esitauerit, asseruari iubet, calefactamq; neruis remedio esse. Auribus quoq; ex vino succũ Brasicæ tepidũ instillari suadet. Idq; etiã tarditati audientiũ prodesse asseuerat. Et impetigines eadẽ sanari sine vlcere. Græci biles detrahere nõ percoctã putant. Itẽ aluũ soluere, eandemq; bis coctam sistere. Vino aduersari, vt inimicam vitibus. Antecedẽte in cibis caueri ebrietatẽ. Postea sumpta crapulam discuti. Hunc cibũ & oculorũ claritati conferre multũ, succo verò crudæ angulis vel tantũ tactis cum Attico melle, plurimum, Hippocrates cœliacis, dysentericis bis coctam cum

sale

sale dari iubet. Item ad tenasmon. & renum cau
sas. Lactis quoque vbertatem puerperis hoc cibo
fieri iudicans, & purgationem fœminis. Crudus
quidem caulis si edatur. Partus quoque emortuos
pelli Inuenio & à podagra liberatos edendo eam
decoctæq; iusculbibendo. Hoc & cardiacis datum et
comitialibus morbis addito sale. Itē spleneticis in
vino albo per dies quadraginta. Contra verò sin
gultus coriandro, & anetho, & melle, ac pipere,
& aceto. Illitam quoque prodesse inflationibus
stomachi. Item serpentium ictibus, & sordidis
vlceribus et vetustis, vel ipsam aquam cū hordea
cea farina. Succum ex aceto vel cum Fœnogræco.
Sic aliqui & articulis, podagrisq; imponunt. Epy
nyctidas ac quicquid aliud serpit in corpore im
posita leuat. Item repentinas caligines: has & si
manditur ex aceto. Sugillata verò & alios liuo
res pura illita. Lepras & psoras cum alumine ro
tundo ex aceto. Sic & fluentes capillos retinet.
Epicarmus testium & genitalium malis hæc vti
lissimè imponi asserit. Efficatius eandem cum fa
ba trita. Item conuulsis cum ruta. Et muris ara
nei morsus, foliorum aridorum farina alterutra
parte eximunt. Stirpium Brassicæ aridorum cinis
inter caustica intelligitur. Ad coxēdicum dolores
cum adipe peruetusto. Plura de Brassicæ viribus
vide apud Catonem de re rustica, cap. clvij.

EX SIMEONE SETHI.

Malum & malancholicum succū procreat. Vi

sum hebetat, & somnum per contraria insomnia interturbat. Succus eius aliquatenus purgat: corpus verò eius ventrem sistit. Quapropter in quibus humectam aluum exiccare volumus, ipsam modicè decoquentes, aquámque primam abijcientes, confestim alteri aquæ feruenti indimus, nihil enim neque aëris, neque frigidæ aquæ quod bis coquitur, tãgere debet. Aestiua Brassica peioris succi est quàm hyberna. Cit vero vrinam, lumbricos interficit, et ijs qui ex vino crapula laborãt auxiliatur. Fertur autem quòd ab humiditate ortam hebetudinem sanet. Cocta cum pingui carne, plurimũ noxæ atque vitij amittit. Flos eius proprietate quadam semen genitale corrũpit, vtero impositus, & mulieres concipere prohibet. Pulmonẽ lædit. Traduxt quoque si ante alios cibos assumpta fuerit ebrietatem arcere. Et quòd eius succus cum melle sumptus, magnificè defectiões vocis iuuet. Vulneribus imposita, ea conglutinat. & maligna vlcera, & maduratas inflãmationes sanat.

DE CRVCIATA. CAP. CLIX.

Cruciatam habemus aliam à foliorum quatuor, situ in cucis formam, flore pallido, denso, enterocelis efficacem.

NOMINA.

QVO nomine veteres hanc herbam appellauerint, nondum compertum habeo. Neq; enim Satis est, quam vulgus Saponariam vocat, vt suo loco docebimus, ideoq; nomen quo illam nomi

minaremus fingendum fuit. Ad imitationem autem Germanicæ nomenclaturæ Cruciatam diximus, quòd eius radix in modum crucis transfossa sit. Vt hoc etiam nomine Græcè σαυρότυρον di ci posset. Germanicè Creutzuurtz, Sperenstich & Madelgeer (Gallicè La Cruciate) nuncupatur.

FORMA.

Caulem rotundum obtinet, dodrantalem, in summo rubentem, alas multas habentem, è quibus singulis bina folia crassa, angusta & oblonga, florésque orbiculatim purpurei è siliquis coloris herbacei prodeunt. Radicem albam, longam, crucis instar ab vtroque latere perforatam, à qua illi nomen inditum est. Cruciata. cur dicta, σαυρότυρος.

LOCVS.

Nascitur locis incultis.

TEMPVS.

Floret Iulio mense.

TEMPERAMENTVM.

Admodum amara est, vnde facilè colligere licet calidam & siccam esse.

VIRES.

Recentiores eius esse magnum contra pestillentiæ venena vsum tradunt. Item quòd ea quæ in thorace sunt educere valeat. Quæ sanè singula præstare posse, amarus sapor qui illi inest abundè docet. Abstergunt enim expurgántq; amara, & q̃ in vemis est crassitiè incidũt, Galeno libro quarto de simpl. medicamentorum facultatibus. c. deci

mo septimo, autore. Quamobrem menses etiã monet, comitiali morbo competit, & alia quæ amaris ab eodem tribuuntur, præstare potest. Vulneribus etiam glutinandis mirificè conducit.

DE CISSO. CAP. CLX.

NOMINA.

Cissos. cur nominata Dionisia.

KIσσὸς Græcè, Hedera Latinè, Epheuu germanicè (Gallicè du Lierre) dicitur. Athenienses Baccum appellarunt Citton, quo nomine rigens Hedera quæ sine adminiculo stat, sola omnium generum ob id vocata est cissos è diuersonũ quam nisi repens humi Chamæcissos. Sic Dionysia, hoc est, Bacchica nominata est à Baccho, qui primus ex Indis in Græciam Hederam asportauit: vel quòd in tutela eius fuerit. Nam vt ille inuenis semper, ita hæc viret. Nec secus omnia sicut ille mentes hominum, illigat. Hedera verò dicta est, quòd vetustis parietibus hæreat: vel potius quia ædita petat, & altè diuagetur: vel quia id cui adhæserit, edat atque corrumpat.

Hedera vnde appellata.

Candida.

GENERA.

Plurimas, Dioscoride autore, sigillatim habet species, sed maximè generales tantùm tres. Candida enim quædã dicitur, eo, quòd candidum fert fructum hæc fœmina à Plinio vocatur. Germanis Vueisser Epheuu nominari commodè potest.

Nigra.

Altera nigra, quæ nigrum producit fructũ: hæc Plinio mas nominatur. Germanis schuuartzer Epheuu. Hæc etiã parietibus obrepit, murisq;

pertin

pertinacius hæret quã vt possit abire, hinc Mau repheuu *Germanis vocatur, & Baumepheuu, quòd scilicet arbores suo complexu strãgulet* Helix. *Tertia priuatim Helix, id est clauicula, & hederula nuncupatur. Germanis* Klein Epheuu, oder Erdepheuu.

FORMA.

Nigra quæ in Germania nostra prouenit, arbores & parietes radicosis amplectitur brachijs, in totũ fruticosa, folia primũ cũ pubescit angulosa, complurimum in triangulam faciem exeũtia habens. Vetustiori rotundantur, pinguia, dura, immortali virore flore exili, vtigineo, non inodoro baccis primùm herbaceis: mox atris, & nonnunquam croceis, longiori pediculo in vuæ modum dependentibus, sparsioribus racemis non inglobum candidæ modo coeuntibus sed in acinos discretis. Nigra. Candida.

Radice numerosa, densa, flexuosa, cõtorta, ac surculosa, nec admodum profunda. Candida inter, media folia emittit brachia, quibus arbores cõplectitur, maximè ramosa & robusta, corymbis, hoc est racemis in orbem circumactis, aut folio albicat. Helix quantumuis diu viuat, Theophrasto autore nunquã fert fructum, adeoq; sterilitate à cæteris distat. Parua tenuiáve huic folia, angulosa & rubra, viticulæq; tenues sine corymbis. Helicis.

LOCVS.

Hedera aquis gaudet. Nigra passim circa muros crescit. Helix verò in syluis humi serpit.

TEMPVS.

Nusquam non viret Hedera.

TEMPERAMENTVM.

Hedera ex contrarijs composita est facultatibus: habet enim quiddam adstringentis substantiæ, quæ terrena & frigida est. Habet etiam nonnihil acris, quæ calida est. Nec deest tertia, aqueã nanque substantiam quandam tepidam obtinet, certè si viridis sit. Siquidem dum arescit, hæc prima exhalet necesse est, manetq; quæ terrea est & frigida adstringensq;. & ea quæ calida & acris

VIRES EX DIOSCORIDE.

Hedera omnis acris & adstringens est. Nervos tentat. Flores trium digitorum carptu, in vino bis die poti, ad dysentericos faciunt. Ambustis cum cerato illiti prosunt. Tenera folia ex aceto, cocta, aut cruda cum pane detrita, lienes sanant. Foliorum & corymborum succus cum irino unguento, melle, aut nitro naribus infunditur. Et contra veteres capitis dolores valet, atque eo perfunditur caput cum aceto & rosaceo. Dolentibus & purulentis auribus cum oleo medetur. Nigræ hederæ succus, aut epoti corymbi imbecillitatẽ pariunt, mentẽq; turbãt largius sumpti. Pilulæ quũque corymborũ tritæ calefactæq; in malicorio cũ rosaceo si instilentur in contrariã aurẽ dolorẽ dentiũ mitigant. Denigrant capillũ, illiti corymbi, Folia in vino decocta, omnium vlcerum generi, etiã si cacoëthe sint, illinuntur. Vitta cutis in facie &

cie & ambusta, vti iam diximus decocta, sanant. Mouent menses triti & subditi corymbi. Idē poti post purgationes fœminarum drachmæ pondere sterilitatem faciunt. Pediculus foliorum melle irrigatus, ac vuluæ inditus, menstrua & fœtus extrahit. Succus instillatus in naribus, graueolentiam & putredines expurgat. Lachrima eius depilat, pediculosq; illita necat. Radicum succus cū aceto potus, phalangiorum morsibus succurrit.

EX GALENO.

Viridis, foliis eius in vino decoctis, vlcera grandia conglutinat, quæq; maligna sunt, ad sanitatem reducit. Igne etiam factas exulcerationes cicatrice includit. Cum aceto decocta folia lienosis prosunt. Flores autem quodāmodo validiores sunt vt ad leuorem redacta cum cerato ambustis cōueniāt. Præterea succus medicamentum est, quod naribus infusum capiti purgando idoneum existit. Vetustas aurium fluxiones sanat: ad hæc vlcera vetera tum in auribus, tum in naribus. Porrò si acrior appareat aut rosaceo, aut dulci oleo misceatur. Lachryma eius pediculos interimit, pilis nudat, vsque adeo calidæ potestatis vt obscurè adurat.

EX PLINIO.

Natura omnium Hederarū in medicina anceps. Mentē turbat & caput purgat largius pota. Neruis intus nocet. Iisdē neruis adhibita foris prodest. Eadē natura q̄ & aceto, ei est. Omnia genera eius refrigerāt. Vrinam ciūt potu capitis

dolorem sedant, præcipuè cerebro: continentiq; cerebrum membranæ vtiliter mollibus foliis impositis, cum aceto & rosaceo tritis & decoctis, addito postea rosaceo oleo. Illinuntur autem fronti, & decocto eorum fouetur os caputq; perungitur. Lieni & potæ & illita prosunt. Decoquuntur & contra horrores febrium, eruptionesq; pituitæ, aut in vino teruntur. Corymbi quoque poti vel illiti lienē sanāt: iecinora aūt illiti. Trabūt et mēses appositi. Succus Hederæ tædia narium graueolētiaq; emendat, præcipuè albæ satiuæ. Idem infusus naribus caput purgat, efficacius addito nitro. Infunditur etiam purulentis auribus, aut dolentibus cū oleo. Cicatricibus quoque decorē facit. Ad luenes efficacior albæ est, ferro calefactus: satisq; est acinos sex in vini cyathis duobus sumi. Acini quoque ex eadē alba terni, in aceto mulso poti, tineas pellunt: in qua curatione ventri quoque imposuisse eos vtile est. Hederæ quam chrysocarpon appellauimus, baccis aurei coloris viginti, in vini sextario tritis, ita vt terni cyathi potentur, aquam quæ cutem subierit, per vrinam educit. Eraſistratus: Eiusdem acinos quinque tritos in rosaceo oleo calefactosq; in cortice punici, instillauit dentium dolori à contraria aure. Acini, qui croci succum habent, præsumpti potu, à crapula tutos præstant. Item sanguinem excreantes, aut torminibus laborantes. Hæderæ nigræ candidiores corymby poti steriles etiā viros faciūt. Illinitur decocta in vino

no omnium vlcerum generi, etiãsi cacoëthe sint. Lachryma Hederæ psilothrum est, phthiriasimq; tollit. Flos cuiuscunque generis trium digitorum carptu, dysentericos & aluum citam emendat in vino austero bis die potus. Et ambustis illinitur vtiliter cum cera. Denigrant capillum corymbi. Radicis succus in aceto potus, contra phalangia prodest. Huius quoque ligni vase spleneticos bibẽtes sanari inuenio. Et acinos terunt, moxq; comburunt, & ita illinunt ambusta, prius perfusa aqua calida. Sunt qui & incidant succi gratia, eoq; vtantur ad dentes eroſos, frangiq; tradunt, proximis cera munitis ne ledantur. Gummi etiã in Hedera quærunt, quod ex aceto vtilissimũ dẽtibus promittunt.

DE CERASO. CAP. CLXI.

NONINA.

Κερασος Græcis, Cerasus Latinis, Germanis Kirschenbaum (Gallis Vng Cerisier) dicitur. Cerasum autem arborem, vt Athenæus refert lib. ij. Dipnosoph. à Cerasunte Pontica ciuitate, primus in Italiam Lucullus intulit, debellato Mithridate. Ille idem est qui etiam fructum cognomine ciuitatis appellauit Cerasum. Cerasus vndedicta ¦Primùm.

GENERA.

Multa Cærasiorum sunt genera, in Germania tamen tria, quòd sciam, duntaxat proueniunt. Primi enim generis sunt rotunda, ac maximè rubẽt, suaq; voce illis dicuntur Amarellen. Alte- Secundum

rius generis, quoad ad figuram attinet, prioribus
Tertium. similia sunt, differunt, autē colore qui illis ad nigredinem accedit. Vocantur autē horum lingua Vueischel. Tertij generis prædictis minora sunt ac longiora, partimq; rubent, partim nigricāt: à nonnullis priuatim Kirschen vel Kerschen appellantur. Nos vna icone omnia tria complexi sumus. Quæ in vtroque genere nigra sunt, ea vescentium manus & labra succo suo, qui sanguineus est mororū instar inficiunt. FORMA.

Cerasus folio fere Mespili, duro latiore, & in ambitu serrato constat, cortice læuo, in cādido nigricante, flore albo racematim congesto, fructu rubro aut nigro, magnitudine fabæ.

LOCVS.

Frequens est in omnibus ortis Cerasus. Quæ tamen posteriorus generis Cerasia profert, in syluis nonnunquam & nemoribus etiā reperitur. Gaudet autem aquosis montibus.

TEMPVS.

Iunio ac Iulio potissimum mensibus fructus maturitatem consequitur. Flores primo statim vere apparent.

TEMPERAMENTVM.

Cerasorū non vnum idemq; est temperamentū quod ex eorundem facultatibus perspicuū fit. Simeō tamē Sethi frigida & humida esse tradit.

VIRES EX DIOSCORIDE

Cerasia quidem ipsa si viridia sumantur, vē-

tri

tri vtilia sunt. Eadẽ siccata aluũ sistũt. Gũmi Cerasorum cũ vino diluto sumptũ, vetustæ tussi medetur. Colorẽ cõmẽdat. Visũ exacuit. Appetẽtiã inuitat. Idẽ ex vino potum calculosis auxilio est.

EX GALENO.

Cerasus arbor fructũ fert nõ paris adstrictionis in oĩbus particulatĩ plãtis participẽ. Nã et in horũ, sicut etiã malorũ granatorũ, et malorũ quibusdã austera qualitas, in quibusdã verò dulcis ĩ nõnullis autẽ acida exuperat. Quẽtiã ipsorũ dulciũ ea quæ nondũ concocta sunt ac matura, quædã admodũ acerba sunt, quædã similiter moris acida. Sed in moris immaturis acida qualitas acerbã exuperat, in Cerasys non semper. Ergo quæ dulcia sunt magis quæ in intestinis sunt, subducunt, sed minus apta stomacho sunt. Contrà austera. Quæcunque verò acida sunt ea pituitosis excrementosisq; stomachis conueniunt. Siquidem austeris magis exiccant, & nonnihil etiam incidũt. Porrò ipsius arboris gummi communẽ omnibus viscosis & mordacitatem expertis medicamentis facultatem obtinet, quæ ad arterias exasperatas accommoda est. Propriè autem (si quidem verum est quod quiddam scribũt) calculis vexatos cum vino potum adiuuat. Nã sic illi tenuium partiũ quædam facultas inest. EX PLINIO.

Cerasa & aluũ molliunt, stomacho vtilia. Ea dẽ siccata aluũ sistunt, vrinam ciũt. Inuenio apud autores, si quis matutino roscida deuoret cum

suis

suis nucleis, in tutum leuari aluum, vt pedes morbo liberentur.

EX SIMEONE SETHI.

Ceraſia mali ſucci ſunt: ventrem ſubducunt, humidum ventriculum lædunt, præſertim cũ non ſunt matura. Proſunt autem calidis & ſiccis ventriculis ac temperaturis. Gummi verò arboris cũ vino ſumptum calculoſis auxiliatur.

APPENDIX.

Sunt qui tradunt gummi quod ex arbore deſtillat veteri tuſsi mederi: exq; vino ſumptum, gutturis lenire aſperitates, faſtidia diſcutere, & ciborum appetentiam moliri. Colorem cutis facere gratiorẽ, & oculis afferre claritatem. Lichenes infantium ex aceto ſanare.

DE CYANO. CAP. CLXII.

Cyanus vt Græcis dicitur, à colore floris ſic nobis Bluet & percele, cur verò Gallis Aubifoin, velut ab albo fœno dicatur, non video niſi forte quòd in eo genere quædam flore ſunt etiã albo, & q purpurei ſunt in ſerta ligati, & aquæ inferna parte immiſſi tandem albeſcunt.

NOMINA.

Κύανος Græcis, Plinio & Latinis alijs Cyanus appellatur. Nonnullis Bapti ſecula, quòd ſecantibus & metentibus officiat retuſa in eius occurſu falce. Nam & ſeculam veteres falcem dixerunt. Rectius tamen Blaptiſecula vocaretur, quòd βλάπτειν Græcis nocere ſignificet. Noſtri florem

florem frumentorum, Germani autem Blau-Kornblumē, Galli) Blaucole, ou Aubifoin ou Bluet, ou Bleuet) nominant, quòd scilicet in frumentario nascatur agro. Cyanos verò dicta est hæc planta, ob florem quem profert cæruleum, aut quòd honorem nomenq; dederit cæruleo colori. Hinc est quòd pueri in hodiernum vsque diem barbulas calycibus erutas, ex candido oui liquore terant, quo in pingendis grādioribus literis cærulei nitorem mentiantur. Flos frumentorum. Cyanos. cur dicta.

FORMA.

Caulis illi est angulosus, folia angusta & oblonga, calyces rosarum sed squarosi atque tristes, quos plurimæ cæruleæ stipant Barbulæ. Radix oblōga, lignosa, fibris quibusdam capillata.

LOCVS.

Trivialis flos est, passim in frumentis nascens

TEMPVS.

Iunio potissimum mēse floret, nec parum gratiæ suo cæruleo colore frumentis adfert. Hinc est quòd rusticorum etiam coronis inseratur, quāquā inodorus prorsus sit.

TEMPERAMENTVM.

Frigidæ est temperaturæ atque adeò repellentis id quòd gustus etiam facilè indicat, viscositatem manifestam, & nullum prosus caloris indicium præse ferens.

VIRES.

Recentiores rectè tradunt huic herbæ facultatem

tem ineſſe, qua oculis aliſq; partibus inflammatione laborantibus proſit.

DE CROMMYO. CAP. CLXIII.

NOMINA.

KPόμμυον Græcis, Cæpa, & in neutro Cepe, Latinis dicitur. Officinæ genuinum nomẽ retinuerũt. Germa. Zuuibel (Gallis Oignon) appellatur: quod ſanè vocabulum à Gallico detortum eſſe videtur: quandoquidem Galli ſua lingua Cepam vocent Siboulam Crommyon autem Ariſtotele in problematis autore, dictũ eſt, quòd oculi pupillam comprimi cogat. Nam oculos vellicando expreſsis ſubinde lachrymis contrahi pupillas certum eſt. Itidẽ lib. ix. Dinoſoph. teſtatur Athenæus. Cepa verò à capitis magnitudine.

Crõmyon vndedictũ Cepa qua re vocata.

FORMA.

Folia habet ferè porracea, intus concaua caulem teretem rotundumq;, per cuius faſtigium flores primùm candidi, ac ſubinde ſemen, in orbem ſpargũtur: radicem capitatam pluribus compactam tunicis, quæ ſummatim prætenuibus rufisq; veſtitur membranis, vertice nigricantem, à quo fibræ capillitij modo fruticant.

LOCVS.

Terram Cepæ amant pinguem vehementer ſubactam & irriguam, paſsimq; hodie in omnibus plantantur hortis.

TEMPVS.

Floret Iulio potiſsimum menſe, & deinceps ſemen

men profert, quod non antè legendum, quàm cũ nigrũ colerem præ se ferret. Siquidem eo colore perfectionẽ fatetur, nigritiaq; maturitatis ẽdex est.

TEMPERAMENTVM.

Ex quarto est ordine excalefacientium, essentiaq; eius crassarum est partium. Si succum eius exprimas, quod reliquũ est admodum terreæ substantiæ est, eiusq; calidæ at succus aqueæ aëriæq; caliditatis.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Cepa longa acrior est quàm rotunda, item flauа quàm candida, sicca quàm viridis, & cruda quàm cocta, aut sale cõdita. Omnes tamẽ mordicant, flatus gignunt, appetentiam invitant, extenuant, sitim excitant, fastidium pariunt & expurgant. Aluo vtiles sunt. Detractis tunicis inq; oleum coniectæ, ac pro glandibus subditæ hæmorrhoidas, reliquasq; excretiones aperiunt. Succus cum melle illitus, oculorum hebetudinibus, argemis nubeculis, & incipientibus suffusionibus auxiliatur, anginaq; laborantibus. Suppressos menses mouet. Caput purgat naribus infusus. Canis morsibus cum sale, ruta & melle illinitur. Cum aceto autem in sole inunctus alphos sanat. Cũ parisspodio, scabra, lippitudines sedat. Varos cũ sale reprimit. Cõtra calceamẽtorũ attritus, cũ gallinaceo adipe vtilis est. Alui fluoribus ꝑdest. Auriũ grauitati, ac somnui cõfert. At purulẽtas aures et eliciẽdã aquã i ijs intercepta valet.

Alopeciæ

Alopeciæ earum ſucco vtiliter perfricantur: celerius enim quàm Alcyonium pilos euocat. Largior Ceparum cibus capitis dolores ciet. Cocta vehemẽtius vrinam pellit. In morbis cocta etiã, copioſius comeſta, lethargum efficit. Cum paſſis vuis & ſico illita tubercula concoquit & rumpit.

EX GALENO.

Hæmorrhoidas aperit, tum appoſita, tum cũ aceto inuncta. In ſole alphos abſtergit, & alopecijs attrita pilos Alcyonio citius reſtituit. Porrò ſuccus eius ijs qui ſuffuſione oculorum laborant, aut eciem oculorum obtuſam præ craſſitudine humorum obtinent, inũctus prodeſt. Tota Cepa mãducata flatuoſa eſt. Itaque quæ tẽperatura ſunt ſicciore, minus flatuum generant. Craſſos corporis humores extenuat, glutinoſoſq; incidit. Bis tamen aut ter in aqua decocta, acrimonia ſpoliatur quanquam ne ſic quidem vim perdit extenuandi: verùm facultatem quandam obſcuriſſimam alendi corporis exinde acquirit, cuius antea quã decoqueretur, nihil prorſus obtinebat.

EX PLINIO.

Cepæ olfactu ipſo & delacrimationi, & caligini medentur magis verò ſucci inunctione, Somnum etiam facere traduntur, & vlcera oris ſanare, commanducatæ cum pane. Et canis morſus virides ex aceto illitæ, aut ſiccæ cum melle & vino, vtà vt poſt diem tertium ſoluantur. Sic & trita ſanant. Toſtã in cinere epiphoris multi impoſuere

cum

cum farina hordeacea, & genitalium vlceribus. Succo & cicatrices oculorũ, & albugines, & argemas inunxere, & serpentium morsus, & omnia vlcera cum melle. Item auricularum cum lacte mulierum, & in ijsdem sonitum ac grauitatem emendantes, cum adipe anserino, aut cũ melle stillauere. Et ex aqua bibendum dederunt repente obmutescentibus. In dolore quoque ad dentes colluendos instilauere, & plagis bestiarum omnium, priuatim scorpionum. Alopecias fricuere & psoras tusis cepis. Coctas dysentericis vescẽdas dedere, & contra lumborum dolores. Purgamenta quoque earum cremata incinerem, illinentes ex aceto serpentium morsibus, inter ipsas quoque multipedes ex aceto. Reliqua inter medicos mira diuersitas. Proximi inutilia esse præcordijs & cõcoctioni, inflationemq; & sitim facere dixerũt. Asclepiadis scola ad validum quoque colorem profici hoc cibo. Et si succum ieiuni quotidie edãt firmitatem valetudinis custodiri, stomacho vtilia esse, ac spiritus agitationi, ventrem mollire, hæmorroidas pellere subditas pro balanis, succum cum succo fœniculi contra incipientes hydropises mirè proficere. Itẽ contra anginas, ruta & melle. Excitari eisdem lethargicos.

EX SIMEONE SETHI.

Cepa lotum cit, & semen genitale gignit. Cibi appetentiam excitat. Capitis dolores facit, & stomacho officit. Rationem etiam, vt aliqui ferũt

lædit. Si verò coquatur, plurimum malignitatis deponit, & vtilis sit ad thoracis asperitates, & tusses. Hæmorroidas imposita apperit, & cum aceto inunctum alphos extergit. Et si autem crassarum partium substantiam habeat, humores tamen crassos & lentos extenuat. Ventriculum verò instat. Si crebius quis ea vtatur, in lienis vitia incidit.

DE CAMPANVLA. CAP. CLXIIII.

Campanula huius videtur nobis Gantelee, & Gan nostre Dame à dactylothecæ in floribus forma.

NOMINA.

Campanula vnde dicta.

Ceruicaria.

QVVM *nobis non constet quo nomine veteribus appellata sit hæc herba, placuit illã Campanulam à florum similitudine, qui campanam planè referunt, nominare. Germanis* Halszkraut, *hoc est Ceruicaria (Gallis Des gans nostre Dame, ou des Ganteletz) dicitur, quòd scilicet ad oris, & ceruicis, fauciumq; mala mirificè conferat.*

FORMA.

Caulem profert quadrangularem, hirsutum, rubescentem, folia oblonga, hirsuta in extremitatibus incisa & serrata, ad Vrticam proximè accedentia flores purpureos campanæ aut calatho similes in medio luteum quid prominens obtinẽtes, quibus emarcescẽtibus in rotundis capitulis semẽ prouenit. Radicem multifariam intortam, & candidam.

LOC

LOCVS.

Gignitur in pratis siccis, in quibus dumeta plurima existunt. Propemodum enim nunquam nisi in dumetis reperiri potest.

TEMPVS.

Floret Iunio & Iulio mensibus.

TEMPERAMENTVM.

Gustu astringit, vt hinc exiccãdi illi vim esse quisque conijcere queat.

VIRES.

Adstringendi habet facultatem, ideóque decoctum illius vnicè ad oris exulcerationes, aliaq; eiusdem mala quæ adstrictione indigent, cõfert. Vtilis etiam haud dubiè ad alia quæuis vlcera, ob insignẽ quã obtinet in exiccando facultatem.

DE CALAMINTHA

CAP. CLXV.

Quænam herbæ Calaminthis genera apud Dioscoridem & Galenum explicant, hodie, parum constat, vt Musæ Ruellius repugnet, ob historię Dioscoridis & Galeni obscurã breuitatẽ.

NOMINA.

Καλαμίνθη Græcis, *Calamintha* Latinis, officinis *Calamentum* nominatur. Germanicas appallationes paulò pòst indicabimus. *Calamintha* verò dicitur, quasi vel bona, vel vtilis mentha: nanq; nidore suo serpentes fugat. Quod testatur etiam Aristophanes ijs verbis: οὐ δὲ ὀζὴς καλαμίνθης, ὀφιῶς κιλασικοῦ *Nisi quis existi-*

Calamintha quare dicta.

met à κάλος, hoc est, ligno, quasi lignosam appellari mentham.

GENERA.

Calaminthæ Dioscorides tria facit genera. Primum amat montes, ideo huius generis Calamintha mõtana vocatur. Germani. Stein oder Katzenmuntz (Gallis Calament, ou Poliot sauuage, ou herbe au Chat.) dicitur. Alterum Latini propriè Nepetam, vulgus eò quòd Pulegio simile sit, sylueſtre Pulegium nominat. Germani etiam vulgi opinionem sequẽtes, Vuilden Poley & Kornmuntz vocant. Officinæ pro Calamento hoc solo genere vtuntur. Tertium Mentaſtro simile est, Germanicè Geelmuntz commodè appellatur.

FORMA.

Primum. Primum Calaminthæ genus folia Ocymo similia habet, ſubalba ramulos anguloſos, florem purpureum. Alterum Pulegio simile est, maius tamen propter quod quidam, vt dictum est, ſylueſtre Pulegium nominant, quoniam & odorem illius æmuletur. Tertium Mentaſtri similitudine est, longioribus foliis, caule & ramis prædictis maius, ſed minus efficax: flore luteo.

Secundũ Pulegiũ ſylueſtre.

LOCVS.

Primi generis Calamintha in montibus & aſperis gignitur, vnde & montana dicta est. Alterius in campeſtribus & agris. Tertij in aquoſis locis

Tertium.

TEMPVS.

Florent Iunio potiſſimum verò Iulio Menſe.

TEM

TEMPERAMENTVM.

Calamintha essentia est tenui & calida, siccaq; in tertio quodãmodo ordine. Horũ manifesta sunt indicia, partim gustu apparẽtia, partim experientia cognita. Gustu quidem acris & palàm calida est, ac paulũ omnino amaritudinis obtinet.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Omnium folia gustu ferentia admodũ & acria. Radix inutilis. Pota aut illita demorsis à serpente opitulatur. Decoctum eius potũ vrinas & menses expellit. Ruptis, cõuulsis, orthopnœæ, tormínibus, choleræ, rigoribusq; auxiliatur. Præsumpta in vino venenis resistit. Regiũ morbũ expurgat. Lumbricos & ascaridas cum sale & melle pota, enecat. Nec secus cocta crudaq; si teratur. Elephanticos esitata adiuuat, si postea serũ lactis bibatur. Folia trita & apposita, menses ducũt, & fœtus interimunt. Accensa aut substrata serpẽtes fugant. Nigris cicatricibus candorem reddunt, in vino cocta & illita. Sugillata tollunt. Ischiadicis imponitur, vt humorẽ ex alto euocet, meatusq; trãsmutet, summam cuteũ exurens. Vermes necat succus auribus instillatus.

EX GALENO.

Periclitantibus & corpori admonẽtibus extrinsecus imposita, primũ quidẽ valde excalefacit & mordicat, cutemq; laniat, postremo etiam vlcus efficit. In corpus autẽ introsumpta, tum ipsa per se sicca, tum etiam cum melicrato, perspi-

cuò calfacit, & sudorem ciet, omneq; corpus tum digerit, tum exiccat. Ea ratione ducti quidam ipsam contra rigores per circuitum repetētes adhibuerunt, foris quidem oleo incoctam toti corpori inungentes cū frictione non segni, intrò verò assumentes, sicuti est dictum. Quinetiam & coxendi cibus eam quidam in ægritudinibus ischiadicis tanquam strenuum remedium illinunt: trahit enim quæ in profundo hærent, totúmque adeo articulum excalfacit, cutémque nō obscurè adurit, mensèque tum potæ, tum appositæ admodum efficaciter prouocat. Bonum etiam elephanticorum remedium, non eò tantùm quòd strenuè tenues humores digerat, verumetiam quia extenuet & incidat valenter crassos, quales sunt qui hunc morbū procreant. Sic & cicatricibus atris candorem reddit, et sugillata digerit. Sed ad talia recentem magis quàm arentē adhibere præstat. Quippe arefacta vehemētior redditur, & ad vrendū prōptior. Porrò talis cùm sit, ad venenatarū bestiarū morsus assumitur, velut etiam cauteria, & quæcunq; medicamēta calida sunt et acria, tenuiúmque partiū, quæq; facilè ex alto ad sese circūtrahentem omnē humiditatē possunt attrahere. Cæterū quæ illi inest amaritudo, planè exigua est, verùm ad quædā ita efficaciter agit, vt quæ valētissima est, nimirū quum coniuncta sit vehementi calori cū tenui essentia. Quare & ascaridas & lumbricos succus eius infusus aut potus enecat. Eadē ratione

tione auriũ vermes, aut si alicubi in parte corporis sinuosa, aut implicata quæ putredine tentetur, talis prouenerit affectus. Sic & conceptum seu potata, seu admota interimit & eijcit. Igitur inciden di quidẽ ei vis adest propter calorẽ eius, tenuitatẽ, & amaritudinẽ: abstergendi verò propter vnicã amaritudinẽ. Itaq; asthumaticis ob omnia antedicta prodest. Clericus verò potissimũ ob amaritudinẽ, sicut alia ferè omnia amara, vtpote abstergẽtia & expurgãtia in iecinore prouenientes obstructiones. Ad omnia iã dicta efficacior est montana.

EX PLINIO.

Decocta in aqua ad tertias discutit frigora. Mulierum menstruis prodest. Aestate sedat calores. Vires quoq; contra serpẽtes habet. Fumum ex ea nidorémque fugiunt, quam & substernere in metu obdormituris vtile est. Tusa ægilopi imponitur, & capitis doloribus recens, cum tertia parte panis temperata aceto illinitur. Succus eius instillatus naribus supinis, profluuiũ sanguinis sistit. Item radix cum myrti semine in passo tepido gargarizata, anginis medetur.

DE CRITHE. CAP. CLXVI.

Hordeum polystichon seu hexastichon à disticho Picardis distinguitur, Parisiensibus confunditur.

NOMINA.

KPiθὴ Græcis, Hordeum Latinis & officinis dicitur. Germanis Gerſten, (Gallis Orge.)

Polenta. Ex eo polenta, quam Græci ἄλφιτον nominant, & Ptisana. medicamenta veteribus usitatissima conficiuntur.

GENERA.

Hordeum polystichũ. Rustici duo esse Hordei genera tradunt. Vnũ Polystichũ, quod sic dictum est, quia in multos versus spicatur. Sunt enim ex hoc genere quæ spicam tribus, interdum quatuor, nunc sex, nũc octo versibus distincta proferũt. Germanus Grosz Gerst,

Distichũ. hoc est. Hordeum magnum vocatur. Alterum Distichum nominatur, quòd scilicet in duos duntaxat versus spicetur. Germani klein Gersten, id est, Hordeum exiguum appellant.

FORMA.

Culmum habet tritici, fragilioreẽ tamen minoremq;, quinq;, sex, & interdũ pluribus geniculatum articulis, simplici in stipula folio, & eo quidẽ scabro ac lato. Grana ferè nuda, longiore capillamento, mordaciq; arista. In versus spicatur. radice frequenti, capillis fibrata.

LOCVS.

Hordeum Pinguissimum amat agrum.

TEMPVS.

Erumpit à primo satu die septimo, & caput alterum grani in radicem exit, alterum in herbam. Metitur Augusto mense.

TEMPERAMENTVM.

Hordea primi sunt ordinis in exiccando & refrigerando.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Hordeum optimũ est candidum, purumq;. Minus

nus quàm triticum nutrit. Ptisana tamẽ ob cremorem in elixatione redditum, plus alimenti præbet quàm polenta ex hordeo facta. Cõtra acrimonias atq; fauciũ scabritias, exulcerationesq; pollet, quibus etiã triticea ptisana præsidio est, sed plus alit, magisq; vrinã mouet. Lac abũdè suppeditat, si cũ Fœniculi semine decocta sorbeatur. Abstergit, vrinã ciet, inflat, stomacho aduersatur, & œdemata cõcoquit. Farina hordeacea cũ fico in mulsa aqua decocta, œdemata & inflãmationes discutit. Duritias cum pice, resina & fimo columbino concoquit. Cum meliloto autem & papaueris calyce dolores finit qui latus excruciant. A duersus intestinorũ inflationes, cum lini semine, fœnogræco & ruta illinitur. Strumas cũ pice liquida, cera, oleo, & impubis pueri vrina, ad concoctionẽ perducit. Cum Myrto aũt, aut vino, aut sylueſtribus pyris, aut rubo, aut malicorio, alui profluuia sistit. Podagricis inflammationibus cum cotoneis, aut aceto prodest. Decocta in acri aceto, modo quo hordeaceum cataplasma, & calida imposita, lepris medetur. Liquata eadem cum aqua, atq; cum pice & oleo decocta, pus excitat. Cum aceto autem liquata, & cum pice decocta, contra articulorum fluxiones prodest. Farina ex ijs aluum cohibet, inflãmationesq; mitigat.

EX GALENO.

Hordea pauxillum etiam absterſionis habẽt. Paulò etiã plus deſiccant quàm farina fabacea,

cui non insint cortices. Cætera verò similia sunt foris vtentibus. In cibo autem hoc præstant fabis, quòd flatuosam naturam exuant: fabis quantũcunq; coxeris, flatuosa natura remanet: sunt enim crassioris essentiæ quàm hordea, quãobrẽ ijs plus etiam nutriunt. Quoniam verò ambo paulum à medio recesserunt, multo sunt vsui. Nam talia medicamenta multis alijs miscẽtur ceu materiæ quædam: itaq; etiam cera & oleũ paucis medicamentis coniunguntur. Polenta verò multo plus hordeo desiccat. Plura de hordeo, ptisana & polẽta apud Galenum libro primo de alimentorum facultatibus offendes.

EX PLINIO.

Farina ex hordeo & cruda & decocta, collectiones impetusq; discutit, lenit & cõcoquit. Decoquitur alias in mulsa aqua, vt fico sicca. Ad iecinoris dolores eam in posca positã concoqui opus est, aut cũ vino. Cum vero inter coquendũ discutiendumq; cura est, tunc in aceto melius, aut in face aceti, aut cotoneis pyrisue decoctis. Ad multipedũ morsus cum melle, ad serpentium in aceto & contra suppurantia, ad extrahendas suppurationes ex posca, adita resina & galla. Ad concoctiones verò & vlcera vetera cum resina. Ad duritias cũ fimo columbino, aut fico sicca, aut cinere. Ad neruorum inflammationes, aut intestinorum, vel laterum, vel virilium dolores, cũ papauere, aut meliloto, & quotties ab ossibus caro recedit. Ad strumas

mas cum pice & impubis pueri vrina. Cum oleo & fœnogræco contra tumores præcordiorum, vel in febribus cum melle, vel adipe vetusto. Suppuratis triticea farina multò lenior. Nerus cũ Hyoscyami succo illinitur. Ex aceto et melle lentigini.

DE CROCO.

CAP. CLXVII.

NOMINA.

Κρόκος Græcis, Crocus Latinis appellatur. Officinæ antiquum nomen retinuerunt. Germani Saffran. (Galli Safran) vocant simpliciter, aut cum adiectione, zamer saffran. Sic verò vocatus à Croco iuuene, qui propter amorẽ Similacis virginis, in florem sui nominis versus est: quod Ouidius testatur, qui sic scriptum reliquit:

Et Crocũ in paruos versum cũ Similace flores. Crocus vn de dictus.

FORMA.

Crocus folio est angusto adusque capillamenti penè exilitatem: flore purpureo Colchici floribus non admodum dissimili, in quo flammea Croci stamina: radice bulbosa, copiosaq; ac viuaci.

LOCVS.

Nascitur in Coryco monte Ciliciæ optimus. Proxima nobilitas ei qui in Olympo Lyciæ monte prouenit. Dein ei qui ex Aegis Aetoliæ vrbe affertur. Nunc in plerisq; Germaniæ locis plantari cœpit haud infœliciter, quòd viribus è locis iam commemoratis allatis haud cedat.

TFM

TEMPVS

Florem ante folium ædit: per autũnum nanq; Vergiliarum occasũ floret, neq; vltra mensis spacium flores durant. Postquam autem hi decidunt, statim folia angusta & oblonga prodeunt, virentq; tota hyeme.

TEMPERAMENTVM.

Crocus paulum quid adstringẽs obtinet, quod terreũ frigidumq; est: sed superat in eo calefaciens & qualitas & facultas, vt tota essentia secundi sit ordinis excalefacientiũ, & primi exiccantiũ.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Crocus emollit, concoquit, leniter adstringit, vrinam cit, & coloris bonitatem efficit. Arcet crapulam cum passo potus. Fluxiones oculorum cum lacte mulieb ri inunctus sistit. Potionibus quæ pro interaneis parantur, vtiliter miscetur: itẽ ijs quæ vuluæ sediq; subijciuntur & illinuntur. Venerem stimulat. Inflammationes erysipelatosas inunctus lenit. Aurium remedijs vtilissimus est. Letalem sanè dicunt hunc si trium drachmarum pondere cum aqua bibatur. Radix eius cum passo pota, vrinam cit.

EX GALENO.

Crocus concoquendi vim quandam habet, adiuuãte scilicet in hoc & pauca adstrictione. Quippe quibus medicamentis, quum nõ admodum excalfaciant paucula adest adstrictio, ea parem facultatem habent essentijs emplasticis nominatis,

quas

quas cum iunctas caliditati non vehementi contigerit, concoquentes esse constat.

EX PLINIO.

Discutit inflammationes omnes quidem, sed oculorum maximè ex ouo illitum. Vuluarũ quoq; strangulatus. Stomachi exulcerationes, pectoris & renum, iecinorum, pulmonum, vesicarumq;, peculiariter inflãmationi earum vehementer vtile. Item tussi & pleuriticis. Tollit & pruritus. Vrinam cit. Qui Crocum prius biberint, crapulã non sentient. Ebrietati eo resistunt. Coronæ quoq; ex eo mulcent ebrietatem. Somnum facit. Caput leniter mouet. Venerem stimulat. Flos eius igni sacro illinitur cum creta Cimolia. Ipsum plurimis medicaminibus miscetur.

EX SIMEONE SETHI.

Stomacho bonus est, ciborumq; concoctionem efficit. Obstructiones tollit. Pituitosa & letargica vitia iuuat. Discutiendi quoq; vim obtinet & visceribus vtilis est, ad spiritusq; difficultatem conducit. Si quis illo mediocriter vtatur, bonum colorem habebit: sin verò citra modum, pallorem contrahet, & capitis dolorem, cibiq;, inappetentiam faciet. Cum opio & lacte & rosaceo pedum doloribus impositus vbi dolet, summopere prodest, superpositis Betæ foliis.

DE CYNOCRAMBE.

CAP. CLXVIII.

Hæc

Hæc brasſica canina licet mercurialis mas dicatur ob eius ſimilitudinem, tamen Dioſcoridi diuerſæ ſunt plantæ.

NOMINA.

Κυνοκράμβη. ἡ κυνία ἡ λινὸ ζωστὸ ἄγρια ἄρρην Græcis, Canina Braſsica Cynia, & ſylueſtris Mercurialis mas Latinis, Vuild Bingelkraut das mennle, Hundſzkol Germanis appellatur.

FORMA.

Caulem ex ſe mittit dodrãtalem, tenerum & ſubalbidum. folia Mercuriali ſimilia, albeſcentia ex certis interuallis. Semen prope folia paruum, rotundum. Ex qua quidem delineatione ſole meridiano clarius eſt, herbam cuius picturam damus eſſe Cynocramben. Siquidẽ ea caulem binùm palmorum altitudine habet, mollem & ſubcandidum. Folia Mercuriali ſimilia admodum, certis interſtitijs, ſubalbida. Semẽ item iuxta folia exiguum, rotundum, geminorum inſtar teſticulorũ connexum: & in ſumma, nihil eſt quòd non in ea deſcriptioni adamuſim reſpondeat.

LOCVS.

In ſyluis copioſè prouenit.

TEMPVS.

Semen veris initio, nempe Aprili menſe, profert, matureſcit autem Maio.

TEMPERAMENTVM.

Quũ guſtu nihil à ſatiua Mercuriali diſtet Cynocram

nocrambe, colligitur hinc idem quod illa obtinere temperamentum.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Caulis & folia pota, & olerum modo comesta alaum cient. Ius verò decoctorum bilem & aquosa detrahit.

APPENDIX.

Alia est Cynocrambe ab hac nostra, ea cuius mentionem facit Galenus, Paulus & alij, adde etiam Dioscorides, verùm sub nomine Apocyni: quod lectorem, ne diuersas herbas vnam esse putaret, monere volui.

DE COLVTEA. CAP. CLXIX.

Colutea nobis Baguenaudier, cuius folia & folliculos sene loco non sine viribus substituunt pauperes.

NOMINA.

Κολυτέα Græcis, Colytea & Colutea Latinis (Gallicè Baguenaudier) dicitur: à nullo tamen, quod sciam, veterum, quàm à Theophrasto lib. iij. de plant. hist. cap. xvij. celebrata. Colutea.

GENERA.

Duo eius sunt genera. Vnum quod priuatim Colutea vocatur, officinis incognitum. Germani Vuelch Lisen appellant. *Alterum officinis cognitũ & frequẽti vsu à medicis vsurpatũ, Mauritano sermone Sena nominatur.* Germani ad eã alludentes appellationẽ, Senet nũcupant. *Differũt autem inter se magnitudine: siquidẽ primũ genus*

maius

maius est altero, vtpote quod quodriennio. Theophrasto loco paulò antè citato teste, se in arborem efferat. Siliquæ etiam illius magis turgido spiritu distenduntur. Sena verò siliquas profert lunatas, nec ita prætumidas. Semen deniq; Coluteæ rotundū, lentis obtinens similitudinē: Senæ autem oblongum, cordisq; humani instar acuminatum.

Coluteæ descriptio.

FORMA.

Frutex est ramis exilibus. folio fœnigræci. flore geniſtæ aut ipsi luteo, membraneo folliculo, pellucēte, prætumido, & veluti quodā spiritu distendente turgido, ita vt digitis si præmatur, crepitū is dissiliat, in quo semen atrum, durum, latū, lentis magnitudine, pisi gustu, in ordinem ḍq; digestum clauditur.

LOCVS.

Satum vtrunq; in hortis provenit.

TEMPVS.

Floret Coluteæ Maio & Iunio mensibus, ac subinde in siliquis oblongis semen profert.

TEMPERAMENTVM.

Arabes calidam in principio secundi, & siccā in primo ordine statuunt.

VIRES EX ACTVARIO.

Sene siliquoſus quidam fructus à barbaris appellatur, qui citra noxam drachmæ ponduſculo potus, pituitā & bilem deijcit: post hos reliquos, humores modestissimè purgat, retorridam atramq; bilem, eiusq; suffusiones ex gallinaceo iure depellit.

lit. Vetusto capitis dolori, scabiei, comitialibus, impetigini succurrit. Sed feruefacti ius potius quã triti farina propinatur. Interaneorũ obstructiones tollit.

APPENDIX.

Quum non forma tantùm imò etiam sapore duo hæc Coluteæ genera sibi similia sint, facilè etiam hinc colligitur facultate inter se minimè differre. Quare vtrunque citra molestiam atram bilem retorridamq; educit, caputq; ac cerebrum, & instrumẽta sensuum à noxijs purgat humoribus. Quid multa aduersus oĩa vitia ab atra bile nata valet. APPENDIX ALTERA.

Dum hosce commentarios conscribere mus non erat ad manum græcus Theophrastus quare cũ Latino tantùm vtendum esset exemplari Theophrasti, non satis conijcere potuimus, an per υ aut per ϐ vox ipsa scriberetur, cùm non rarò Latini eas voces in quibus Græcè υ est per v efferant. Quare Latinè dici hanc herbam Coluteam & Colyteam putauimus. Sed nactò tandem Græco Theophrasti codice, statũ deprehẽdimus κόλυτέαν à κολυτία diuersam esse: idipsum enim Theophrastus manifestè innuit. In Latina verò Theodori versione perperam pro Colytea scribitur Colycea: id quod nobis etiam tenebras offudit. Colutea differt. Colytea.

DE CORONOPO.

CAP. CLXX.

Coroponum, id est, pedẽ cornicis pingit quã

nos merito cornu ceruí vocamus, quòd adulta eius folia carnu ceruini effigie ramosa sint. Coronopus nobis alius est in siluis frequens folio inferne violam nigram aut geranium referente superno exiguo in pedis cornicis formã planè diuiso, cui flos supereminet luteus paruus.

NOMINA.

Pes cornicis. Κορωνόποδος, ἢ ἄσπρου Græcis, Pes Cornicis et Sanguinaria Latinis dicitur. Officinis incognita herba. Germanis commodè Kraen oder Rappenfusz (Gallicè Capriole, ou sanguinaier, ou dent au Chien) appellari potest.

Coronopus vnde dicta Sãguinaria. Coronopus enim non alia ratione dici cœpit, quã quòd Cornicis pedem effigie repræsentet. Sanguinaria autem Sanguinalisue vocata est, quòd sanguini sistendo apta sit herba. Sunt qui herbã Stellæ nominant, alludentes haud dubiè ad Græcam appellationẽ astrion. Nonnulli quòd folium eius multipartitò consectũ in ceruini cornu imaginẽ effigietur, Ceruinũ cornu vocarũt. FORMA.

Herba stellæ. Herbula est oblonga, per terram strata, foliis fissis, radice gracili & adstringente. Ex qua quidem descriptione, etsi concisa admodum, satis liquet, herbam hanc cuius picturã damus esse Coronopum. Herbula enim est foliis oblongis & scissis, ac in multas partes laciniatis, atque adeò cornicis pedem effigie referẽtibus, humi quoque semper sparsa proserpit: radice denique tenui admodum & adstringente prædita. Quibus omnibus id quoque accedit, quod Dioscorides Psyllium folia

lia Coronopo similia habere scribit: quod si verũ esse ex vtriusq; herbæ collatiõe experiri volueris, senties coronopi huius nostri folia planè Psyllij foliis similia esse potissimum vbi primum è terra erumpunt: imò quòd ad folia, flores & semina attinet, omnia in vtrisque sibi similia deprehendes in eoq; solo distare comperies, quòd Psyllium folia non fissa habeat, & in altum surgat, singulaq; iam dicta maiora producat: contra Coronopus humi repat, minoraq; omnia proferat. Vtraq; igitur herba luteos obtinet flores, & semina in capitulis pulicibus similia. Capitula verò in Coronopo sunt multò quàm in Psyllio tenuiora ac longiora, id quod picturagraphicè monstrabit. Ex ijs quoque manifestum fit errare illos toto cœlo, qui gramen aculeatum & Coronopum vnam & eandem herbam esse contendunt, cùm tamen forma non parum distare videantur. Atq; hinc est quòd omnes veteres tam Græci quàm Latini vtranque herbam seorsim & in diuersis locis descripserint. Plinius siquidem lib. xxiiij. cap. xix. aculeatum gramen in cacumine aculeos plurimũ quinos habere, atque adeò Dactylon vocatum esse hoc nomine, quòd scili. et digitorum speciem referat, scribit. Coronopus verò neque quinos, neque in cacumine aculeos obtinet, sed tantùm folia fissa, vel si aculeos placet appellare has fissuras, non in cacumine, sed in ambitu passim foliorum eas reperies vt certum sit.

Coronopum non esse aculeatum gramen.

LOCVS.

Dioscorides in incultis, semitis, & iuxta domicilia nasci tradit. In Germania tamen, quòd sciam, nusquam nisi sata prouenit.

TEMPVS.

Floret Iunio mense, ac subinde in oblongis capitulis semen profert.

TEMPERAMENTVM.

Ex adstrictione ipsa satis constat radicē ipsam siccandi vi præditam esse.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Herba costa estur olerum modo radicem habet in cibo adstringentem quæ cœliacis conducat.

EX GALENO.

Coronopodis radix comesta cœliacis prodesse creditur.

EX PLINIO.

Seritur interim Coronopus, quoniam radix cœliacis præclarè facit in cinere tosta.

DE CYCLAMINO. CAP. LXXI.

Cyclaminus frequens in luco Aurelianensi, in hortis etiam nostris prouenit.

NOMINA.

Κυκλάμινος ἢ χθονόθριον Græcis, Rapũ & tuber vmbilicusq; terræ Latinis, Cyclamē officinis mutata voce, panis porcinus & terræ, atq; Arthanita à nostræ ætatis herbarijs, Germanis Erduurtz oder Apffel, Schuucin oder Seuubrot

uubrot (Gallicè Pain de Porceau) dicitur.

Cyclamino Græci nomen fecerunt, circunactam, in orbem eius circinationẽ contemplati, ἀπὸ τοῦ κύκλου, quasi ab orbe Cyclaminon, hoc est, orbiculare dixerũt. Fuitq; hæc prior et antiquior plãtæ huius appellatio. Ichthyotheron verò ijdem, quòd pisces ea necantur, nominauerunt Rapum terræ, quoniam eius radix in terra velut Rapum extuberat. Qua sanè ratione terræ tuber, quòd in molem quandã intumeat: aut vmbilicum terræ, quoniam vt vmbilicus circinata forma emergit, sic & Cyclaminus sub terra conspicitur, etiam appellarunt. Panem porcinum haud dubiè primùm vocarunt subulci, qui pecori suo radicẽ huius gratam pabulis cognouerunt. Cæteri antiquum Cyclamini nomen ignorantes quòd sæpius radicem in orbem circumatam intuerentur, quæ non in globum intumescens, sed veluti pressa sese in latitudinem explicaret, qua forma quotidiano vsu panes visuntur, terræ panem cœperunt appellare.

Cyclaminus. Ichthyotheron. Rapũ terræ. Tuber terræ Vmbilicus terræ. Panis porcinus. Panis terræ.

FORMA.

Folia Hederæ habet, purpurea, varia supra in fraq; albicantibus maculis. Caulem longitudine quatuor digitorum, nudum, foliysq; carentem, in quo flores rosarum effigie purpurei. Radicem nigram, rapo similẽ, in latitudinem se pandentẽ.

LOCVS.

Nascitur in vmbrosis & vepribus, maximè

sub arboribus. TEMPVS.

Cyclaminus ad finem Augusti folia sua quæ per integrum retinuit annum, amittit, & subin de noua emittit, atque statim inter ea flores ostendit, qui integro durant autumno.

TEMPERAMENTVM.

Clarũ est particularibus operationibus, quas statĩ subijciemus Cyclaminũ esse calidã & siccã in tertio ordine. VIRES EX DIOSCORIDE.

Radix Cyclamini cum hydromelite pota pituitam, aquamq; per inferna trahit. Menses pota et apposita cit. Tradunt si prægnans mulier radicem transgrediatur, abortum fieri. Partum appensa accelerat. Bibitur & in vino contra letalia præsertim leporem marinum. Illita contra serpẽtium ictus remedio est. Immista vino ebrietatem facit. Regium morbum sistit tribus drachmis pota cum passo, aut diluta mulsa Sed oportet eum qui bibit cubiculo calido reclinare, multis vestibus contectum, quò sudet. Ejectus verò sudor felleus colore inuenitur. Succus eius ad purgandũ caput, naribus instillatur. Sedi etiam ad dejcienda excrementa in lana subijcitur. Vmbilico, imo ventri & coxæ illitus succus aluum mollit, verũ abortum efficit. Suffusis & hebetibus oculis inunctus cũ melle succus prodest. Medicamẽtis abortũ inferentibus admiscetur. Sedẽ procidẽtẽ cũ aceto inũctus succus compescit Exprimitur tusa radice succus, & ad mellis crassitudinem decoquitur.

Rad

Radix cutem extergit. Exãthemata reprimit. Vulneribus per se ex aceto aut melle medetur. Illita lienem minuit. Vitia cutis in facie à sole & alopecias emendat. Decocto eius luxata, podagra & capitis vlcuscula, pernionesq; vtiliter fouẽtur. Ipsaq; in vetere oleo feruefacta ad cicatricẽ perducit quæ oleo illo inuncta fuerint. Cauata radix oleo expletur, & cineri feruenti imponitur, adiecto interdum thyrrenicæ ceræ modico, vt strigmẽti crassitudinem contrahat vnguentum, cum primis vtile pernionibus. Radix Scillæ modo concisa reponitur. Narrant ad amatoriam assumi contusam, & in pastillos conformatam.

EX GALENO.

Cyclaminus varias vires obtinet, nã & extergit, & incidit, & ora venarũ aperit, et attrahit & discutit. Clarũ verò id est ex particularibus operibus. Nã succus eius hæmorroidas reserat, vio lenterq; ad secessũ prouocat in floccis appositus. Sic etiã medicamẽtis tubercula, strumas, aliasq; durities discutiẽtibus cõmiscetur, ac suffusis cum melle illitus cõpetit: ad hæc quoq; per nares expurgat. Adeò est vehemẽs eius facultas: vt abdomine illito vẽtrẽ subducat, & fœtũ interimat. Nã & alioqui validũ interimẽdo cõceptui medicamẽ est in pessũ addita. Tota verò radix succo imbecillior est, quãquam & ipsa vehemẽs sit. Nã & menses siue epota, siue apposita euocat, & regio morbo prodest nõ modo ipsũ viscus expurgãs, sed etiã q̃

in toto corpore bilis fuerit, eam per sudorem excernẽs. Proinde à potione omnibus modis sudoris adiuuanda prouocatio est. Modus eius bibendi est drachmarum trium, siue cum melicrato, siue cũ passo. Cutem extergit cùm in alijs, tum quòd alopecias, ephelidas, omniáque exanthemata curet. Lienẽ quoque induratum iuuat illita, tum recens tum arida. Sunt qui radicem siccam asthmaticis exibeant.

EX PLINIO.

Cyclamini radix contra serpentes omnes bibitur. In omnibus serenda domibus, si verum est, vbi sata sit, nihil nocere mala medicamenta: amuletum vocant: narrãtq; ea ebrietatẽ repræsentari, addita in vinũ radice. Et siccata Scillæ modo concisa reponitur, decoquiturq; eadem ad crassitudinem mellis. Suum tamẽ venenum ineſt ei, traduntq; si prægnans radicem eam transgrediatur, abortum fieri. Radix denique tribus drachmis bibitur in loco calido, & perfricti clonibus tuto sudores enim felleos mouet.

DE CYPERO CAP. CLXXII.

Cyperus nobis Souchet, forte à radice quam Galli Souche vocant, cuius vis & vsus est præcipuus.

NOMINA.

Κύπειρος κύπερος Græ. *Cyperus et Cyperus* Latinis dicitur, *Quum enim Græci quandoque diphthongo, vt Theophrastus, quandoque*

vocali breui, quamadmodum Dioscorides, Galenus & alij quidam, penultimam scribãt, sit vt aliqui, e, alij verò i, retineant. Poëtæ qui e ex diphthongo retinuerunt, merito penultimã in Cypero producunt. Officinæ latinum nomem retinuerunt. Germanis Vuilder Galgan (Gallicè Souchet) vocatur.

FORMA.

Cyperus porri folia habet, longiora tamẽ, graciliora & solidiora. Caulem cubitalem, & nõnũ quam altiorem, angulosum schœno similẽ, in cuius cacumine minutorum foliorum ac seminis producẽtio est. Radices illi subsunt. quarum vsus est, oblongæ, oliuarum modo sibi inuicem commissæ, aut rotundæ, nigræ, suauiter olentes, & amaræ: vel vt Theophrastus delineauit, inæquales, partim crassæ, carnosæq; partim graciles atque surculosæ. Ex qua descriptione omnibus esse perspicuũ arbitramur, stirpem cuius nunc picturam damus esse Cyperum. Si quidem folia fert porracea, longiora exiliora q;: caulem altitudine cubiti, aut altiorem, angulosum, in cuius cacumine minuta folia prodeunt. inter quæ semẽ residet. Radices huic sunt oblongæ, oliuarum modo inter se connexæ ac inuicem implexæ, aut rotundæ, nigræ, iucundè spirãtes, gustu amaræ. Præterea magna inæquatate notantur, quòd pars quædam crassa carnoaq;, quædã gracilis atq; lignosa sit. Nemo enim non videt radicis tenuitatẽ surculosam protinus

in oliuaria tubercula verticillari. Nascitur quoque è latere huius radicula, quod Theophrastus etiam notauit, vnde cauliculus erumpit alius, vt pictura affabrè monstrat. LOCVS.

Nascitur in locis cultis & palustribus In Germania certè non nisi cultus in hortis prouenit.

TEMPVS.

Minuta folia in cacumine cum semine Iunio & Iulio mense producit.

TEMPERAMENTVM.

Cyperi radices maximè vsui sunt, excalfacientes pariter & exiccantes citra mordacitatem.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Radici Cyperi calefaciendi vis inest, vrinã mouendi. Calculosis & aqua inter cutem correptis pota succurrit. Aduersus scorpionum ictus remedio est. Refrigerationibus vuluæ & præclusionibus fotu auxiliatur. Pellit menses. Arida tritæ oris vlceribus, etiam si depascant, prodest. Malagmatis calefacientibus miscetur, & vnguentorũ spissamentis accomodatur.

EX GALENO.

Cyperi radices maximè vsui sunt, excalefaciẽtes pariter & exiccantes citra mordacitatem. Itaque vlceribus quæ præ nimia humiditate cicatricem difficulter admittunt, mirificè prosunt: habent enim quiddã etiã adstringens, quapropter vlceribus item oris conueniunt. Quin & incidendi vim quãpiã illis ineſſe testificandũ, qua & calcu-

culo vexatis cõgruunt, et vrinã menses q; mouẽt.

EX PLINIO.

Cypero vis in medicina pſilothri. Illinitur pterygẽs, vlceribusq; genitalium, & quæ in humore ſunt omnibus, ſicut oris vlceribus. Radix aduerſus ſerpentium ictus & ſcorpionum præſertim remedio eſt. Vuluas apperit pota. Largiori tãta vis expellit eas. Vrinam ciet & calculos: ob id vtiliſſima hydropicis. Illinitur & vlceribus quæ ſerpunt, ſed his præcipuè q̃ in ſtomacho. ſunt ex vino vel aceto illita. Iunci radix in tribus heminis aquæ decocta ad tertias tuſsi medetur. Semen teſtum & in aqua potum, ſiſtit aluum & fœminarum menſes capitisq; dolores facit.

DE LATHYRI. CLXXIII.

Lathyris nobis à purgandi violentia Eſpurge dicitur.

NOMINA.

ΛΑθυρὶς Græcis, Lathyris Latinis officinis Cataputia minor, quòd in piluli quibuſdam, ſeu potius catapotijs, ſemen ferat: aut, quòd veriſimilius eſt quia granis eius ad aluum ſubducendam pro catapotijs vtantur. Germani Springkraut, Springkorner oder Treibkorner (Gallicè Eſpurge) appellant, quòd ſemẽ ſcilicet niſi in tempore auferatur, ſua ſponte ex loculamentis ſaliendo excidat.

Cataputia minor quare dicta.

FORMA.

Caulem profert cubitalẽ, vacuũ, digiti craſſitudi

tudine: in eius cacumine sunt alæ. Folia in caule oblongæ, amygdalinis similia, latiora tamen & læuiora. Quæ verò in summis sunt ramulis, minora, Aristolochiæ aut oblongæ Hederæ figura. Fructum fert in summis ramis tribus loculamentis distinctũ, rotundum ceu Capparin, in quo terna sunt semina putaminibus inuicem discreta, rotunda, maiora eruis, quæ quum corticibus exuuntur, candida sunt, & gustu dulcia. Radix illi tenuis & inutilis. Totus autem fructex lacteo liquore, Tithymali modo, plenus est. Hanc certè descriptionem, si singula comparare velis, ita Cataputiæ minori quadrare inuenies, vt nulla prorsus sit nota quã non pictura referat. Nam hæc caulẽ cubitali emittit longitudine & digitali crassitudine. Gignuntur in fastigio alæ & folia in caule oblonga, amygdalæ proxima, latiora & læuiora. Quæ autem in summis emicant ramulis, minora ijs quæ caulem ambiunt conspiciuntur, Aristolochiæ aut longioris Hederæ figura. In cacuminibus fructum gerit triplici cellula conceptaculoue distinctum, ceu Capparin rotundum, in cuius vẽ triculis grana tria intercursantibus membranis diuisa cõtinẽtur eruis maiora rotunda: quæ corticibus exuta alba spectantur, gustatu dulcia.

Cataputiæ minor.

LOCVS.

Nascitur locis cultis & sabulosis.

TEMPVS.

Carpitur autumno dum fructu prægnans est, seménque

semenq; eximitur dū tunicule quibus includitur in aruerunt.

TEMPERAMENTVM.

Calidam in tertio, & in primo ordine humidam statuunt.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Purgant aluum grana eius sex vel septē sumpta incata potio, aut comesta, aut cum caricis aut palmulis deuorata frigida superpota aqua. Ducunt autem pituitam & bilem, & aquas. Succus Tithymali modo exceptus, eundem effectum præstat Folia cum gallinaceo aut oleribus decoquuntur ad eosdem effectus.

EX GALENO.

Sunt qui Lathyrin dicant Tithymali esse speciem, tum quòd similiter illis succum habeat, tum quòd eodem modo purget, vniuersaq; illis facultate similis sit, nisi quòd semen gustantibus videatur dulce: quod sanè etiam maximè purgatoriā vim obtinet. EX PLINIO.

Grana vicena in aqua pura aut mulsa pota, hydropicos sanant. Trahunt & bilem. Qui vehementius purgari volunt, cum folliculis ipsis sumunt ea, nam stomachum lædunt: itaque inuentū est vt cum pisce aut iure gallinacei sumerētur.

DE LEVCOIO DIOSCORIDIS.

CAP. CLXXIIII.

Leucoia nobis à cariophylli in floris figura & acrimonia Gyroflee dicuntur, & vnum genus

nus luteũ officinis cum Mauris Keiri.

NOMINA.

Viola alba. Cheiri.

Ἀευκόιον Græcis, Viola alba, vel Viola simpliciter Latinis, officinis Mauritana voce Cheiri vel Keirim appellatur, Germanis Veiel (Gallicè Gyroflée.) Non autem temere adiectum est Dioscoridis: hac enim voce à leucoio Theophrasti, de quo suo loco dicemus, segregare voluimus.

GENERA.

Etsi Leucoÿ nomine Viola significetur candida, tamen & pro lutea, & cærulea & purpurea solet vsurpari. Quatuor itaque Violæ huius sunt genera, quæ sola florum diuersitate inter se differunt. Alia enim candida, alia lutea, alia purpurea. Non est tamen quòd per purpureã hic intelligas eã quæ Græcis ἰοειδὴς, & Latinis propriè Viola dicitur: nam eius alia ab ea de qua hic agimus familia est, huicq; tum qualitate tum facultate, ad de etiam forma, cõtraria. Ea enim quæ ἰοειδὴς, Græcis vocatur, humilis est, ob id à nonnullis Sessilis dicta, & latiore folio. Contrà nostra illa, vt mox dicemus, cubitali est altitudine, & minimè sessilis. Idem de candida dictum putes, nam ea quoq; duplex est: vna de qua hic fit sermo, alia sessilis, de qua in præsentia nihil dicemus. Nos tria duntaxat genera picta damus: cæruleas enim videre nõ licuit. Quare supposititi hoc verbũ in Dioscoride puto maximè cũ Plinius lib. xxi. vbi de satiuis Violis loquitur, purpurea scilicet lutea & alba

Viola purpurea duplex

Viola candida duplex.

ba, nullam de cœrulea mentionem fecerit.

FORMA.

Cubitali altitudine prosiliũt, ramosæ, caule Brassicæ exiliore: folio longo, molli, canescente, flore quadrifolio, Violæ syluestris odorem referente, non vnius coloris, nam alij candidi, alij lutei, alij purpurei. Semen foliaceum tenuibus quidem, sed quincuncialibus siliquis continetur.

LOCVS.

Vbique ferè in hortis & cultis reperiuntur. Non enim nascuntur magna ex parte nisi satæ fuerint.

TEMPVS.

Primo vere & Maio potissimũ mense, inter flores emicat Leucoiõ. Hoc itaque tempore flores carpendi. Semen inter æstatis initia profert.

TEMPERAMENTVM.

Leucoion abstergentem facultatẽ possidet, & tenuium est partium, Galeno autore, proinde vt calidum sit necesse est.

VIRES EX DIOSCORIDE

Lutea in medicina præcipui vsus est. Huius flores aridi efferue faci in desessionibus, contra vuluæ inflammationes valent, & menstrua educũt. Cerato excepti rimas sedis sanant: cũ melle oris vlcera. Semen eius duùm drachmarum pondere ex vino potum, aut cum melle appositum, menses secundas & fœtus educit. Radices cum aceto illitæ reprimunt lienem, & podagricos iuuant.

EX

EX GALENO.

Leucoïj frutex vniuersus extergentem facultatẽ obtinet, ac tenuium partium est, plus tamen flores, & inter hos qui sunt sicciores magis etiã quã virides, adeò vt & oculorum crassas cicatrices extenuent. Tum menses quoque decoctum eorũ mouet, & secundas fœtumq; emortuum elicit, & si bibatur, abortum facit. Est ergo id medicamentum, vt si quod aliud, amarum. Quòd si quis virium eius vehementiam multa aqua admista mitiget, aut certè id genus aliquo, habebit & ad phlegmonas bonum medicamentum. Sic decoctũ eius si non merum fuerit, vteri phlegmonas identidem perfusum sanat, potissimum quæ diutino tempore ad scirri modũ indumere. Sic cũ cerato vlcera ægrè ad cicatricem peruenientia curat. Sunt verò etiam qui cum melle ad oris vlcera adhibeant. Semen quum eiusdem sit facultatis, aptissimum est duarum drachmarum mensura potum tum mensibus ciendis cum melle appositum conuenire creditur, fœtumq; viuentem interficere ac mortuum eijcere. Radices similis quoque facultatis, nisi quatenus crassioris sunt essentiæ, & magis terreneæ, cũ aceto lienes induratos sanãt. Nõnulli verò & plegmonas induratas ijs curant.

EX PLINIO.

Extenuant, menstrua & vrinã ciũt. Minoris est recẽtibus, ideoq; aridis post annũ vtẽdum. Lutea dimidio cyatho in aquæ tribus, menses trahit. Ra

his. Radices eius cum aceto illitæ sedant lienẽ. Item podagram, oculorum inflammationes, cum myrrha & croco. Folia cum melle purgant capitis vlcera, cum cera rimas sedis, & quæ in humidis sunt. Ex aceto verò collectiones sanant.

DE LAPATHO. CAP. CLXXV.

Oxylapatum à lapato, vulgus Lapatience & Parelle. Secundum genus Lapatum, rotũdũ vulgò dictum videtur, aut ei affine rhabarbarũ cartusianorum. Tertium genus est oxalis. Turonice nobis dicta. Quartum oxalis vulgaris, nomen Parisijs oxaile retinens.

NOMINA.

Λάπαθον Græci Rumicẽ Latini, *barbari* Lapathũ. Lapatium vocant. Lapathum autem ab effectu nomen accepit, quòd scilicet exinaniat: etenim λαπάζειν vacuare vel exinanire Græcis est. omnium siquidem generum folijs decoctis aluus mollitur.

Lapathum vnde dictum.

λαπάζειν. *Primum.*

GENERA.

Huius quatuor genera facit Dioscorides. Primũ oxylapathon Græcis & Latinis dicitur. Ossicinæ Lapacum acutum, Germani, Mengel uurtz Grindtuurtz, Streyffuurtz, Zitteruurtz, Vuildãpffer (*Gallicè* De la parelle, ou de Lapacience) nominãt. Oxylapathum quãuis anceps in acidũ saporẽ vel acutã figuram videatur significatio tamè nomẽ hoc à folijs quæ in mucronẽ desinunt accepisse videtur. Secundũ genus hortense priori dissimile, non quidem in v-

Lipatium acutum.

niuer

niuersum, sed duntaxat in foliis, quæ Serapione teste, multò sunt latiora. Hoc genus hauddubiè est Rhabarbarum monachorũ, quod passim hodie in hortis plantatur: Oxylapatho enim per omnia ferè simile est, folia tamen latiora obtinet & ob cultum paulò tenerius est. Cùm autem primùm erumpũt folia, purpurea ferè sunt deinquo tidie viridiora fiunt, vt pictura ipsa monstrat.

Secundum

Tertium. Tertium syluestre, paruum plantagini simile, molle & humile est, quod vulgato nomine bonus Henrichus, germanicè guter Heinrich dicitur id quod ex forma primùm colligitur: folia enim eius oxalidi, nisi quòd ampliora sunt atque adeo ad plantaginis nonnihil accedunt folia similia sunt. Flores autem eius & semen sic Oxylapathum referunt, vt vix ab inuicẽ discerni queant. Dein vires etiam conueniunt: vulneraria enim herba est Bonus Henrichus, ac mirificè ad sordida purganda, ac glutinanda vlcera confert, sic vt appensa etiam ac trita vulneribus impositaver mes qui in ijs nati sunt excidere faciat. Quartũ genus Græci ὀξαλίδα, Latini Oxalidem officinæ Acetosam Germani Saur Ampffer nominant. Oxalis autem ideo dicta est, quòd in gustu acorem planè resipiat, vnde etiam vulgus Acetosam vocauit. Hanc propriè Romani appellarunt Rumicem, forsitan quòd ab ea succus non aliter atque mamma, quam Rumen veteres dixerunt, sitientibus exugi soleat. Galenus tria tantùm ge-

Quartum

Acetosa.

Rumex vndedicta

nera

nera Lapathi, facit, Oxaliden, Oxyapathon & Hippolapathon, quòd sic Græci quasi grande Lapathum dicunt, magnis amplisq; rebus hippo præponere soliti, ab equo excellentis amplitudinis animali magnitudinem mutuantes. Hippo. Oxylapathi.

FORMA.

Oxylapatum foliis duris & in cacumine acutis, semine herbaceo acuminato ex minutissimis pediculis dependente, radice longa & lutea vel potius Crocea. Secundum genus Oxylapatho per quàm simile est foliis tamen latioribus ac tenerioribus. constat, caule bicubitali interdum striato, floribus exiguis, lutei, semine vt Oxylapathon triãgulari radice longa & lutea seu crocea. Tertium genus quod vulgus hodie bonum Henrichum vocat, folium Oxalidi, latius tamen, aut Aro, vel vt Dioscorides inquit, plantaginiue simile obtinet. Aliqua enim Ari, aliqua autem plantaginis folia referunt. Caulem prioribus duobus humilio rem in quo flores & semina racematim multa dependent. Radicem verò longam & subflauam. Oxalis autem folia syluestri & paruo humilitie Rumici similia habet. Caulis eius non adeò grandis est, sesquicubitum altus. Semen acuminatum, rubrũ quòd folliaceo vestitur inuolucro, sapore acri, quod in caule & adnascentibus coliculis nascitur. Oxylapathi. Oxalidis.

LOCVS.

Oxylapathon in palustrib. & circa fossas potissimũ nascitur. Secũdũ genus hodie in multorũ

hortis consitum prouenit. Tertium passim in areis sepibus & circa itinera crescit. Oxalis in omnibus pratis copiosissimè prouenit.

TEMPVS.

Aestate antequam prata demetantur omnium copia haberi potest.

TEMPERAMENTVM.

Recentiores Acetosam statuunt esse frigidam & siccam in secundo. Atqui quale huius & reliquarum Rumicum sit temperamentum, ex facultatibus earundem, quas mox dicemus, facilè deprehendent studiosi. Secundi generis Rumex in foliis manifestissimam aciditatem ostendit, vt hinc etiam conijcere liceat esse Rumicē, vtcunque monachi & cum ijs multi quoque medici, Rhabarbarum esse contendant.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Omnium Rumicum olus decoctū aluum mollit. Crudum illitum cum rosaceo aut croco melicerides discutit. Semen syluestris & Oxylapathi & Oxalidis cum aqua aut vino vtiliter contra dysenterias, cœliacos affectus, stomachi fastidia, scorpionumq; ictus bibitur. Si quis etiam in potu præsumat, nihil ictus patietur. Radices ipsarum ex aceto & crudæ illitæ, lepras impetigines, scabrosq; vngues sanant. Sed antea locus aceto & nitro in sole perfricandus est. Pruritus decoctū earum sedat si eo foueatur. Coctæ in vino si cum iure colluantur, aurium dentiumque dolorem mulcent.

Stru

Strumas parotidasq; discutiunt si cum vino decoctæ illinantur, Lienes aũt cum aceto. Aliqui vtuntur radicibus contra strumas, vinculo collo eas appendentes. Tritæ & appositæ fœminarum fluxiones sistunt. Decoctæ cum vino & potæ regio morbo correptos emendant. Calculos vesicæ comminuunt. Mense cient. Scorpionum ictibus auxiliantur. Hippolapathon eadem antedictis Rumicum generibus vires obtinet.

EX GALENO.

Lapathum moderatè digerentem facultatem habet, oxylapathum vero mistam: nam simul cũ eo quod digerit, nonnihil quoq; reprimendi facultate participat. Semen eorum manifestam quandam adstrictionẽ obtinet, adeò vt dysenterias, & alui profluuia sanet, potissimum aũt oxylapathi. Hippolapathon eadem dictis facultates obtinet, sed imbecilliores.

EX PLINIO.

Syluestria Lapatha scorpionũ ictibus medentur, & ferire prohibent habentes. Radix aceto decocta si coletur, succus dentibus auxiliatur: si verò hibatur, morbo regio. Semẽ stomachi inextricabilia vitia sanat. Hippolapathi radices priuatim vtiles scabrosos detrahũt. Dysentericos, semen duabus drachmis in vino potum, liberat. Oxylapathi semen lotũ in aqua cœlesti, sanguinẽ reijciẽtibus, adiecta acacia lentis magnitudine, prodest. Præstantissimos pastillos faciunt ex foljs & radice,

addito nitro & iure exiguo. In vsu aceto diluũt. Sed satiuũ in epiphoris oculorũ illinũt frontibus. Radice melicerias et lepras curãt. In vino verò de cocta, strumas & parotidas & calculos. Poto vino & lienes, cæliacos æque & dysentericos & tenasmos. Ad eademq; omnia efficacius ius Lapathi, & ructus facit, & vrinam ciet, & oculorũ caliginem discutit. Item pruritũ corporis, in solia balnearũ additum, aut prius ipsum illitum sine oleo. Firmat & cõmanducata dentes. Eadẽ decocta cũ vino, sistit aluum. Folia soluunt adiecto sale.

APPENDIX.

Rhabarbari monachorum facultas.

Alterius generis Rumicis, qui Rhabarbarum monachorũ vocatur, radix purgandi etiam vim obtinet, si in puluerem redacta drachmæ pondere sumatur. Neq; id mirum admodum, cùm etiam Dioscorides ipse omnium Rumicũ olus decoctum aluum mollire, atq; decoctas eorundem radices cũ vino regio morbo correptos emendare, ob bilis mirum per inferna eductionem, testetur.

DE LIMONIO. CAP. CLXXVI.

Limoniũ nobis frequẽs officinis nomẽ nõ habet.

NOMINA.

Beta sylvestris vnde dicta.

Λειμώνιον Græcis, Limonion, Beta syluestris & Tintinabulum terræ Latinis, vulgo Pyrola, Germanis Vuintergrun, Holtzmangoldt, Vualdtmangoldt, oder Vualdtkol (Gallis Limoine, ou Bette de pre, ou bette sauluaige,) appellatur. Beta autem syl-

uest

uestris hæc verba dicta est, quòd in syluis & locis
inuscosis, hortensi Betæ primum erumpenti haud
dissimilis, proueniat. Tintinabuli, à floribus eius tintinabulo similibus. Pyrola. quòd eius folia ar-
baris pyri folio similia sint. Tintinabulum terræ.

FORMA. Pyrola.

Folia Betæ similia habet, tenuiora tamen &
minora, decem, aut plura. Caulem tenuem, rectũ,
lilio æqualem, semine rubro, gustuq; adstringente
plenum. Ex qua siquidem descriptione abundè li-
quet, herbam quam vulgus Pyrolam vocat esse
Limonium. Folijs enim Betæ similis est, verùm te
nuioribus & minoribus (legendum enim in Dio-
scoride μικρότερα & non μακρότερα, Plinio libro
vigesimo, capite octauo, teste) decem, interim pluri
bus. Caule tenui, recto, lilio simili, pleno seminis ru
bri, quod gustu adstringit. Quibus accedit quòd
Germanicè Vualdtmanglot, id est, Beta syluestris nominatur. Neq; vires discrepant: adstringit
enim, vulneraria q; herba est Pyrola, haud secus
atq; Limonium. Flores deniq; tintinabulo similes
sunt, vt citra vllum discrimen Pyrolam Dioscori-
des esse Limonium asseuerare liceat.

LOCVS.

In vmbrosis & syluestribus prouenit locis.

TEMPVS.

Iunio mense floret.

TEMPERAMENTVM.

Folia & semẽ gustu vehemẽter adstringũt, ita

in tertio ordine siccitatis illud rectè recentiores collocent.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Semen tritum in vino potum acetabuli mensura, dysentericis ac cœliacis auxiliatur. Rubrũ fœminarum profluuium sistit.

EX GALENO.

Limonij semen vtpote austerum, cœliacis, dysentericis & sanguinem sputentibus cum vino exhibent. Iuuat & profluuium muliebre. Satis autem est acetabuli mensura.

EX PLINIO.

Huius folia ambustis vtilia. guttantia adstringunt. Semen acetabuli mensuræ dysentericis prodest. Aquæ è radice coctæ maculas vestium eluere dicuntur, itemq; membranarum.

EX RECENTIORIBVS.

Pyrolæ decoctum interna & externa vulnera potum sanat. Item fistulis ac alijs malignis vlceribus medetur.

DE LAMIO. CAP. CLXXVII.

Lamium vrtica alba à flore vulgo dicitur.

NOMINA.

Archangelica.

LAMIVM Plinio *lib. xxi. cap. xv. & lib. xxij. cap. xiiij. vocatur. vulgò* Vrtica iners *& mortua. Sunt qui albam* Vrticam *nominent, &* Archangelicam. *Officinis inusitatum, germanicè* Todtneſſel, oder Taubneſſel (Gallicè Ortie morte, ou ortie blanche) *dicitur.*

Vrtica mortua quare dicta.

Iners

Iners & mortua cognominata, quòd folijs non mordentibus sit, & mitissima.

GENERA.

Vrticæ mortuæ tria inueniuntur genera. Vnũ albis, quod propriè Lamium dicitur: alterum luteis, & tertium purpureis floribus constat. Nos, quia solis floribus differunt, nec in eorum folijs aliquod discrimen apparet, vna icone omnia tria cõplexi sumus genera.

FORMA.

Folijs constat Vrticæ pungẽtis, minoribus, simbriatis, candidioribus, lanugine nequaquam mordaci, caule quadrangulo, flore alba, luteo, aut purpureo, radice ex interuallis cincinnis capillata. Graui odore tota fragrat. Innoxia est & morsu caret. Semen in caulibus per interualla copiosum & nigrum profert.

LOCVS.

Passim circa semitas & sepes nascuntur.

TEMPVS.

Vere primo, Maio potissimum mense, floribus abundant, & tota ferè æstate.

TEMPERAMENTVM.

Calidum & siccum est Lamium, veluti etiam alia Vrticæ genera, id quod ex gustu, eiusq; facultatibus deprehenditur.

VIRES, EX PLINIO.

Medetur cum mica salis contusis incussisq;, inustis & strumis, tumoribus, podagris, vulneribus.

Album habet in medio folio, quod ignibus sacris medetur. Quidam è nostris tẽpore discreuere genera. Autumnalis Vrtice radice alligata in tertianis, ita vt ægri nuncupentur cùm eruitur ea radix, & dicatur quæ, & cui, & quorum filio eximatur, liberari morbo tradideruut. Hoc idem contra quartanas pollere. Iidem radice vrticæ addito sale, infixa corpori extrahu. Foliis cũ axungia strumas discuti, vel si suppurauerint, erodi cõpleriq;.

EX RECENTIORIBVS.

Recentiores hac inerti Vrtica vtuntur sistendo ruẽtis è naribus sanguinis impetu, imæ ceruici vel scapulis alligando, inde sperant in aduersum trahi cruoris manantis impetum. Vlceribus denique, putredinibus & fistulis mirificè conferre, ac mederi tradunt.

DE LINO. CAP. CLXXVIII.

NOMINA.

Linon Græcis, Linum Latinis & officinis, Germanis Lein, oder Flachs (Gallis Du Lin) appellatur.

FORMA.

Herba est tenui caule, foliis angustis, oblongis, & in summo acuminatis, floribus cœruleis, specio sis, quibus decidentibus folliculis enascitur in quo semina continentur fulua.

LOCVS.

Linum agris noxiũ

Gaudet pingui solo & modicè humido. Agris autem noxium est, deteriores enim eos facit, id quod

quod ijs carminibus in Georg. significauit Virg.

Vrit enim lini campum seges, vrit auenæ,
Vrunt letheo perfusa papauera somno.

TEMPVS.

Vellitur æstate vbi maturitatem consecutum fuerit, quæ sanè duobus argumentis intelligitur, intumescente semine, vel flauescente colore.

TEMPERAMENTVM.

Est in primo ordine calidum, ac humiditatis & siccitatis quodammodo in medio situm.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Semen Lini eandem Fœnogræco facultatem obtinet. Omnem intus foris q; , inflammationē discutit & emollit, cum melle, oleo, exiguaq; aqua decoctum, aut melle cocto exceptum. Vitia cutis in facie crudum, varosq; cū nitro & ficu illitum. Cū lixiuia autem parotidas, durities q; discutit. Herpetas in vino decoctum, et fauos, purgat. Vngues scabros cū pari modo Nasturtij & mellis eximit. Cum melle vice eclegmatis sumptum, ea quæ in thorace sunt educit. Tussim lenit. Venerem stimulat si cum melle & pipere mixtum pro placenta largius sumatur. Huius decoctum intestinorum veteri q; erosionibus iniectum medetur, adq; excrementorum eductionem prodest. Ad vuluæ inflammationes in desessionibus haud aliter quàm Fœnogræci perquam vtile est.

EX GALENO.

Lini semen esum flatuosum est, etiā si frigatur,

adeo

adeò sanè excrementitia humiditate plenum est. Visceribus tamen quæ circa hypochondria sunt, vt si quid aliud, gratum existit. Quidam hoc tosto instar opsonij non secus ac factitio sale cũ garo vtũtur. In vsu est & melle consperſum. Inſerunt nõnulli panibus quoq;. Stomacho & concoctioni repugnat. Tenuiter corpus alit. Quòd spectat ad deiectionem, nec laudandum, nec vituperandum, perexiguam tamen vim mouendæ vrinæ tenet, quæ in tosto efficacior est. Idem quoque aluum magis sistit. Rustici sæpenumero torrefacto adiecta portione mellis vtuntur.

EX PLINIO.

Lini semen cum alijs quidem in vsu est. Et per se mulierũ cutis vitia emendat in facie. Oculorum aciem succo adiuuat. Epiphoras cũ thure et aqua. aut cum myrrha. Cum vino sedat parotidas. Cum melle, aut adipe, aut cera, stomachi solutiones inſperſum polentæ modo. Anginas in aqua & oleo decoctum. & cum aniso illitũ. Torretur vt aluum sistat Cœliacis & dysentericis imponitur ex aceto. Ad iecinoris dolores estur cum vua passa & ad phthisim vtilissimè. Semine siunt & ecligmata. Musculorũ, neruorũ, articulorũ, ceruicũ duritias, cerebri membranas mitigat farina seminis, nitro aut sale, aut cinere additis. Eadẽ cũ fico itẽ concoquit ac maturat. Cũ radice verò cucũeris syluestris extrahit quæcunq; corpori inhærent. Sic & fracta ossa. Serpere vlcus in vino decocta prohibet.

Ern

Eruptiones pituitæ cum melle emendat. Vngues scabros cum pari modo Nasturtij, & testium vitia, & ramices cum resina & myrrha, & gangrænas ex aqua. Stomachi dolores cum Fœnogræco sextarijs vtrisq; decoctus in aqua mulsa. Intestinorum & thoracis pernitiosa vitia, clystere in oleo & melle.

DE LICHENE. CAP. CLXXIX.

NOMINA.

LEIXἨΝ Græcis, Lichen Latinis, officinis & herbarijs Hepatica, Germanis Stein oder Brunnenleberbraut dicitur. Lichen autem Græci & Latini nominauerunt, quòd cõtra Lichenas omnibus remedijs anteponatur: aut à re ipsa nomen dederunt, quoniam saxa quibus hæret linguæ modo lambat. Hepaticam verò recentiores vocarunt, quòd iecinorum fibris similis conspiciatur. Hepatica. Lichẽ qua re dicta. Hepatica quare.

FORMA.

Folio succi pleno, crasso & oblongo constat, rorulentis petris adhærente, sub quo cauliculi, pediculorum forma, capitula stellata habentes, exeũt.

LOCVS.

Nascitur in roscidis & grauiter olẽtibus saxis.

TEMPVS.

Iulio mense ea qua picta est forma decerpitur.

TEMPERAMENTVM.

Abstergentem ac modicè refrigerantem facultatem, vtrinque verò resiccantem habet, Abstergen

gentem quidem atque exiccantem à petra, refrigerantem autem ab aqueo humore.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Lichen illitus sanguinis eruptiones sistit, & inflammationes compescit. Impetigines sanat. Inunctus cum melle regio morbo affectis prodest. Oris & linguæ defluxiones arcet.

EX GALENO.

Lichen qui in petris nascitur, est veluti muscus quidam, sed rectè ex plantarum genere censeri potest. Sic nominatus videtur, quòd lichenas seu impetigines curet. Extergentem & mediocriter frigidâ facultatẽ obtinet. Porrò quod ex talibus substantijs cõponitur, aduersum esse inflãmationi nihil mirũ est. An verò sanguinis eruptiones sistat, vt Dioscorides ait, id neutiquam dicere queo.

EX PLINIO.

Sanguinem sistit vulneribus instillatus, & collectiones illitus. Morbum quoq; regium cũ melle sanat ore illito & lingua. Stigmata etiam delet.

DE LINOZOSTE.

CAP. CLXXX.

Mercurialis.

Ἀνθρώσις, ἢ ἑρμοῦ βοτάνιον, ἢ πόα Græcis, mercurialis Latinis & officinis dicitur Germanis Bingelkraut, Mercurius Kraut, oder Kuuurtz, (Gallus Mercurialle.)

Mercurialis cur dicta.

Mercurialis dicta est, quòd à Mercurio inuenta sit.

GENERA.

Duo eius genera, mas & fœmina, quæ facilè ex eo

ex eorundem descriptionibus discerni poterunt. Folia verò maribus nigriora, fœminis candidiora.

FORMA.

Mercurialis folia Ocimo similia habet, ad Helxines foliorum figuram accedẽtia, minora tamẽ. Ramulos geniculatos, alarum caua multa & densa habentes Fœmina semen fert racemosum & multum. Mas verò iuxta folia exiguum, rotundum, geminorum testiculorum modo connexum. Totus frutex dodrantalis, & nonnunquã maior.

LOCVS.

Nascitur in campestribus cultis, vinetisq;, aliquibus locis tam copiosa & efficax, vt sapore suo vina etiã inficiat, & bibentibus ingrata reddat.

TEMPVS.

Augusto mense semine prægnans est.

TEMPERAMENTVM.

Calidam & siccam in primo ordine esse asserũt.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Vtraq; aluũ mouet olerũ modo comesta. Coctæ in aqua & epotabilẽ aqua, & aquosa ducit. Creduntur præterea fœminæ folia trita & pota, aut post purgationẽ pudendis apposita, vt fœminæ concipiantur efficere. Masculæ verò similiter adhibita, mares progenerare.

EX GALENO.

Mercuriali omnes duntaxat ad ventris purgationes vtũtur. Verumenimuerò si quis eius facere periculum volet in cataplasmate, sanè digerentis

admo

ad modum facultatis esse experietur.

EX PLINIO.

Mirum est quod de vtroq; eorum genere proditur: vt mares gignãtur hunc facere, vt fœminæ illam. Hoc contigere si à conceptu succus protinus bibatur in passo, edantúrue folia decocta ex oleo & sale, vel cruda ex aceto. Quidam decoquunt eam in nouo fictili cũ heliotropio, & duabus aut tribus spicis, donec decoquatur. Decoctum dari in bent & herbam ipsam in cibo altero die purgatio nis mulieribus per triduum, quarto die à balneo coire eas. Hippocrates miris laudibus in mulierũ vsu prædicauit illas. Eas q; adhũc modum adhuc medicorum nemo nouit. Ille eas vuluæ cum melle, vel rosaceo, vel irino, vel lirino admouit. Item ad ciendos menses, secundasq;. Hoc idem præstare potu fotuq;, dixit. Instillauit auribus surdis succũ, innunxit q; cũ vino vetere. Aluo folia imposuit, epipheris, stranguriæ & vesicæ. Decoctum eius dedit cum myrrha & thure. Aluo quidem soluẽdæ, vel in febri, decoquitur quantum manus capiat, in duobus sextarijs aquæ ad dimidias, bibitur sale & melle admixto: necnõ cum vngula suis, aut gallinaceo decoctum salubrius. Purgationis causa putauere aliqui vtranq; dandam, siue cum malua decoctum. Thoracem purgant, bilem detrahunt, sed stomachum lædunt.

DE LIBANOTIDE CORONARIA. CAP. CLXXXI.

Rosma

Rosmarinum coronariam tantum pingit quòd passim luxuriet.

NONINA.

Libanotis Græcis Rosmarinus Latinis & officinis, Germanis Rosmarin (Gallis Rosmarin) appellatur. Libanotis verò dicta est, quòd odorem thuris reddat. Libanotida autem nõ eã quæ simpliciter sic nominatur à Græcis intelligẽ. sed eam quæ cũ adiectione, coronaria Libanotis appellatur.

Rosmarinus
Libanotis cur dicta.
Libanotis coronaria.

FORMA.

Rosmarinus qua nec lentes coronas vtuntur, virgas habet tenues, circa quas sunt folia tenuia crebra, oblonga & gracilia, intus candicantia, exteriore autem parte viridia grauiter odorata. Florem, quod Dioscorides omisit, in candido cœrulum, radicem nigrã, multis fibris capillatam.

LOCVS.

Hodie passim in hortis & fictilibus vasis plãtatur. In Narbonensi autem Gallia sua sponte prouenit tã copiosè, vt eius incolæ aliud lignũ non vrant.

TEMPVS.

Carpitur Maio Mense & deinde vsque ad Septembris medium. Floretq; bis annuatim, vere et autumno

TEMPERAMENTVM.

Calida & sicca est, id quod ex gustu & viribus conijcere quisque poterit.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Calfacit. Regium morbum sanat, si quis eam in aqua decoxerit, & ante exercitia bibendam dederit, dein post exercitia lauerit, & vino potauerit. Miscetur etiam acopis & musto oleo.

EX GALENO.

Libanotidis, quæ ad coronas est vtilis, quam Romani Rosmarinum nuncupant, decoctum regio morbo laborantes potum adiuuat. Omnes enim Libanotides abstergentis & incidentis facultatis sunt participes.

APPENDIX.

Recentiores Rosmarinum suffitu tußim & destillationem sedare tradunt. Et quod in primis nobile, tutam præstare in pestilentia domum crematam, nidore improbam aëris diluentem perniciem. Adijciunt & alias facultates, eas nempe: Rosmarinus corroborat cerebrum, sensus interiores, memoriam & cor. Succurrit, tremori, resolutioniq; partiũ. Loquelã amissam reparat, & alia multa potest, quæ cõmemorare superuacaneũ est.

DE LIGVSTRO. CAP. CLXXXII.

Ligustrum tronia officinis dicitur.

NOMINA.

LIGVSTRVM. *Plinio alijsq;* Latinis *nominatur Officinis inusitatum*, Germanis Beinholtzlin, Mundtholtz, Rein oder Schuluueidem (*Gallicè* Du Troëne) *dicitur. Quo autem nomine Græcis appellatum sit, nondum*

ondum certo nobis constat: neque enim vt ferè omnes hodie putãt Cypros est, quæ Plinio lib. xij. teste semen habet Coriandri, peregináq; existit arbor. At ligustrum semen non Coriandro simile quòd rotundum ac subflauum est, sed potius atrum, & altera parte latum modicéque cõcauũ in racemis profert. Nec arbor est peregrina, sed sponte in sepibus & senticetis vbique prouenit. Mea tamẽ sententia Phillyrea potius apud Dioscoridem erit, quòd hæc Cypro congener ac similis sit, easdemq; quas Ligustrum facultates habeat Iudiciũ tamẽ penes prudẽtẽ lectorẽ esse volumus.

Ligustrũ non est Cypros.

Phillyrea videtur esse Ligustrum.

FORMA.

Ligustrum arbor est parua, foliis Oleæ similibus floribus paruulis, candidis & odoratis, racematim florentibus fructibus initio virentibus, processu temporis nigris, quarum more congestis.

LOCVS.

Nihil frequentius Ligustro in vepribus occurrit, nihilq; crebrius in dumetis inuenitur, ita vt hoc nomine contemptui habeatur. Quapropter hunc respiciens Virgilius in Bucolico carmine eius flores negligi à pastoribus ac inutiliter perire canit, dicens: Alba ligustra cadunt vacinia nigra leguntur.

TEMPVS.

Maio mense floret, autumno autem cum maturis baccis nigrescit.

TEMPERAMENTVM.

Etsi forma nonnihil à Cypro distet Ligustrũ

temperamento tamen eodem est prædituṁ. Eius enim folia & surculi mixta qualitate constant: discutiens enim quiddam cum aquea substantia modicè calida & quiddam etiã adstrictorum ex terrena substãtia frigida, & sine morsu siccãte, obtinent. VIRES EX PLINIO.

Succus eius neruis, articulis, algoribus, folia vbique veteri vlceri cum salis mica, & oris exulcerationibus prosunt. Acini contra phthiriasin, item contra intertrigines, foliaue. Sanãt & Gallinaceorum pituitas acini. APPENDIX.

Recentiores Ligustri succum vlcera oris, veretriq; sanare tradũt. Idem etiam posse folia in vino decocta adiiciunt: vt hinc euidentissimum sit, foliis Ligustri, haud secus atque Cypri aut Philyreæ, adstrictoriam inesse vim propter quam cõmanducata & decocta, oris potissimum vlceribus opitulantur.

DE LVNARIA MINORE.

CAP. CLXXXIII.

Lunaria minor inuentu hic rara, quãquam nomen herbarijs prope omnibus in ore est frequẽs, tum eius, tum etiam maioris.

NOMINA.

DIV multumq; de huius herbæ nomenclatura fuimus solliciti, at vtcunque multos interrogauerimus, tamen aliud nomen quàm idipsum quo nunc appellamus expiscari haud potuimus. Vocetur itaque Lunaria minor donec certio-

rem

rem apellationem habere contigerit. Germanicè Klein Monkraut, vt sit ad Latinam nomenclaturam allusio quædam, nuncupetur. Lunariæ minor.

FORMA.

Rotundo est caule, cui folia vtrinque septem annexa, cordis ferè humani formam habentia: in summitate caulis semen Betæ simile profert.

LOCVS.

Nascitur in montibus. Copiosissimè autem Tubingæ in pede montis Austriaci prouenit. Prope hanc nunquam non Ophris, de qua suo dicemus loco, inuenitur.

TEMPVS.

In fine Maij & Iunio mense inuenitur, deinstatim euanescit.

TEMPERAMENTVM.

Terrestre quid præ se fert gustata, atque parùm adstringit, vt hinc mediocriter frigidam & siccam esse verisimile sit.

VIRES.

Vis foliorum eius haud dubiè vulneribus efficax, glutinandi nanque facultate prædita est. Chymicorum nugas, quibus eius herbæ vsus frequentissimus est, lubens prætereo. Constat autem experientia, ad supprimendos menses, & album muliebre profluuium, mirificè conferre hanc herbam.

DE LEPIDIO. CAP. CLXXXIIII.

Lepidium iam in hortis frequens, tritum olet

sinapi, & illius ac piperis est acrimonia.

Piperitis.

NOMINA.

ΛΕπίδιον Græcis, Lepidium, Latinis appellatur. Vulgus herbariorum Piperitim nominant. Quam denominationẽ sequentes Germani nostri. Pfefferkraut (Gallorum vulgus Passe rage) vocant. Nomẽ verò hoc a pipere traxit, cuius acrimoniam herba hæc gustata refert. Diuersa est verò, vt obiter parum attẽtos moneã ab ea planta quam Plinius Piperitim nuncupat, de qua suo loco dicemus copiosè. Sunt qui Lepidiũ alio nomine raphanum nominent, quod non alia fit ratione, quàm quòd herba hæc quòd adfolia attinet, raphano syluestri, quem Amoratiã alio nomine dicunt, admodum similis sit. Lepidiũ verò appellatum, quòd λεπίδας, hoc ist, squamas et maculas in facie deleat & repurget.

Raphanus cur dicatur Lepidium.

Lepidium vnde dictũ

FORMA.

Fruticosum est, in cubitalem altitudinem surgẽs foliis laurinis. Sed mollibus, & maioribus. Sic quidẽ Lepidion depingit Plinius & Paulus. Vnde sole clarius fit, herbam cuius picturam damus esse Lepidiõ: cubitalis enim & interdum bicubitalis est, caule solido & rotundo, foliis oblongis & laurinis, maioribus tamen & mollioribus, gustu piper referentibus & acribus, magnoperẽ linguam vellicantibus, floribus candidis exiguis admodum, semine paruo, radice oblonga. In summa, forma totius herbæ raphano, vt diximus, syluestri simili, est.

LO

LOCVS.

In hortis potißimum prouenit, in quibus viuacitatem ſuam vſque ad multos annos prorogat.

TEMPVS.

Floret Iunio & Iulio menſibus, deinde ſemen profert.

TEMPERAMENTVM.

In ordine quarto calefacit, vt Naſturtium, exiccat autem ipſo minus.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Salgamorum more, ſale cum lacte cõditur. Foliorum vis acris & exulceratrix eſt. Quapropter iſchiadicis præſenti remedio illinitur, tritum cum radice Inulæ, & quarta vnius horæ parte impoſitum. Similiter & lienoſis prodeſt. Lepras idem pellit. Radix collo adalligata, dentium dolorem leuare creditur.

EX GALENO.

Facultate Naſturtio ſimile eſt.

EX PLINIO.

In facie cutem emendat exulcerando, vt tamẽ cera & roſaceo facile ſanetur. Sic lepras & pſoras tollit ſemper facile, & cicatricum vlcera. Tradunt in dolore dentium adalligatum brachio qua doleat, compeſcere dolorem.

APPENDIX.

Lepidion craſſos & glutinoſos cibos & humores extenuare, & incidere valet: ideoq; culinaria eſt herba, & ſalſamentis idonea.

DE LEVCOIO. THEOPHRASTI. CAP. CLXXXV.

Leucoion Theophrasti à Massario in lib. ix. Plinij deprehensum est, quod nobis circa natalem Christianũ etiam summis frigoribus floret passim in syluis, & nunc quoque in hortis quibusdam.

NOMINA.

Viola alba.

Viola alba cur dicta.

Εὐκόιον Theophrasti hoc loco deiscribimus quòd planè diuersum est Leucoio Dioscoridis, quod suprà depinximus, in quod tamen plerique etiam docti viri non animaduerterunt. Latinis Viola alba dicitur. Germanicè Vueisz Hornungszblumen, oder Mertzenblumen (Gallicè Violette ou Girofléc.) Non autem ab re Viola alba dici cœpit: flos enim huius herbæ colorem album, & Violarum odorem refert.

FORMA.

Folia habet Porro similia, tenuiora tamen & molliora, ex radice bulbosa prodeuntia. Pediculũ etiam profert dodrantalem, tenuem ac ferè iunceũ, in quo candidus floresit, in medio creceus, Violarum purpurearum odorem referens, quo decidẽte capitula Nucis auellanæ quantitate crumpũt in quibus semen Sinapi haud dissimile continetur. Quod si ad hanc descriptionem adhibeas ea quæ de Viola alba Theophrastus libro sexto & septimo de stirpium historia tradit, certè sole manifestius erit herbam hanc cuius picturam damus esse eã

se eam, quam λευκόιον Theophrastus vocat. Nam hæc prima florum se ostendit. Emicat vbi cœlum clementius statim, etiam non hyeme exacta: vbi verò immitius, postea. Celeriter quoque euanescit. Radicem denique bulbosam & florem odoratum obtinet, quæ singula etiam de hac nostra herba verè dici possunt. Prima siquidem florum, hyeme etiam nondum exacta, Februario nimirum mense, & die duo Valentino sacro, vbi cœlum clementius fuerit, apparet. In Aprili vbi appropinquare iam cœperit Maius, euanescit. Flos item eius, Violarum purpurearum prorsus odorem refert. Radix etiam ad Bulbi similitudinem orbiculata existit, vt hoc nomine nemini dubium esse debeat quin sit Viola alba Theophrasti.

Theophrasti alba viola.

Flos Februarij vocatus.

LOCVS.

Prouenit in vmbrosis syluis & locis, qualis est non procul à Tubinga paulò supra & infra monasterium Bebenhusum vocatum, vbi copiosissimè nascitur, Plantatur nunc etiam passim in hortis.

TEMPVS.

In Februario statim hæc erumpit, vt diximus herba & inter initia Martij ad perfectionem venit. Semen in Aprili ostendit in capitulis, vt in altera pictura vides.

TEMPERAMENTVM.

Folia ferè qualitatis omnis expertia radix autẽ dulcis & glutinosa est, vt hoc nomine adstringat & exiccet, vt reliqui bulbi.

VIRES.

Digerẽtẽ leuiter, & cum hoc adstringẽtem facultatem, sicut reliquos bulbos, habere ex ijs quæ commemorauimus satis constat. Tamen nunc nullus, quòd sciam, eius stirpis vsus est.

DE LITHOSPERMO.

CAP. CLXXXVI.

Miliũ solis

Lithospermon vnde dictum.

ΛΙθόσπερμον Græcis, Lithospermũ latinis, officinis & medicis hodie omnibus Miliũ solis appellatur. Germanis Meerhirtz, oder Steinsomen (Gallicè du Gremil.) Nomen à lapidea seminis duritia accepit: neque enim Lithospermon aliud sonat Græcis, quàm lapideũ semen. Quum ita que semina tanquam calculos ferat: candore & rotunditate margaritarum, duritia verò lapidea commodissima voce Lithospermon dictum est. Milium verò solis recentioribus nominatum puto, quòd semen eius candore solis & lucis splendore fulgeat. FORMA.

Folia habet Oleæ similia, longiora tamen & latiora, & quæ in ima parte sunt, humi iacent. Ramulos verò rectos, tenues, crassitudine lũci acuti, solidos, lignosos; In quorum cacumine bifidi diuaricatiq; exortus, cauliculorum speciem exhibent longa habentes folia, inter quæ semen lapideum, rotundum, paruum, eruo æquale. Plinius graphicè candore & rotunditate margaritas referre dixit. Nostrum autem Lithospermon multo minus quã Dioscorides & Plinius tradiderunt se-

men

men profert, quod soli diuersitati acceptum referendum erit. Radix etiã Lithospermi, quod aduersicẽdũ esse arbitror, exteriore sui parte rubore perfunditur.

LOCVS.

Lithospermon asperis & sublimibus locis gaudet. Satum etiam in hortis prouenit.

TEMPVS.

Floret Iunio & Iulio mensibus eoq; tempore semen etiam profert.

TEMPERAMENTVM.

Semen Lithospermi, cuius maximè vsus est, cæ lidum & siccum esse facilè ex eiusdem facultatibus coniicitur. Omnia siquidem vrinam cientia, Galeno libro. v. de simpli. medicam. facul. capit. xij. teste, calida & sicca sunt.

VIRES EX DIOSCORIDE

Semen cum vino albo potum, calculos frangit & vrinam educit.

EX PAVLO.

Semen cum vino albo potum, calculos conterit & vrinas pellit.

EX PLINIO.

Lapillis eius drachmæ pondere potis vino albo calculos frãgi pelliq; cõstat & strãguriã discuti.

DE LYSIMACHIA. CAP. CLXXXVII.

Lysimachia officinis nomen non habet.

NOMINA.

Λυσιμάχιον Græcè, Lysimachia Latinè, vulgò Salicaria, Germani Yuciderich

Gal

(Gallicè Cornelle, ou Soucy deauc ou Pel leboſſe) *nominatur. Lyſimachia verò ab eius inuentore Lyſimacho appellata, aut quia vis tanta herbæ, vt iumẽtis diſcordãtibus impoſita iugo, aſperitatẽ cohibeat. Quare à diſſoluẽda diſſidẽtiũ pugna, nõ ineptè Lyſimachia videbitur nomiata.*

Lyſimachia vnde dicta.

Salicaria. *Salicaria verò quòd folia ſalycis, aut quòd inter ſalices naſcatur, dicta eſt.*

GENERA.

Lyſimachiæ duo eſſe genera ex Dioſcoride & Plinio ſatis liquet. Plinij enim purpureum florem habet, hinc nos illam purpuream appellauimus. Germanicè braun Vueiderich *Dioſcoridis verò rufos, hoc eſt, aureos, vt ipſemet interpretatur, flores obtinet, ideóque luteam nominauimus.* Germanicè geel Vueiderich. *Et hæc quidem altera magis adſtringit, inq; vſu medico hoc nomine eidem præferenda.*

FORMA.

Caules profert cubitales, aut etiam maiores, tenues, fruticoſos, quorũ à geniculis folia exeũt gracilia, ſalici ſimilia, guſtum adſtringentia, flores rufos, aut ad auri colorem declinantes. Ex qua pictura nulli non notum ſit, plantas quas pictas damus eſſe Lyſimachias. Caules enim emittunt cubitales, & multo quoque longiores, tenues & fruticos. Folia etiam habent ſalicis cũ lentore quodã adſtringentia. Flores hæc rufos, illa autem purpureos habet, vt non contemnendus autor eſt Plinius

nius. His accedit locus natalis, & alia quæ referre non attinet.

LOCVS.

Nascuntur palustribus locis, & prope aquas, potissimũ vbi salices proueniunt. TEMPVS.

Iunio & Iulio mensibus floret, ac subinde purpurea in siliquis oblongis semen producit, lutea verò decidentibus floribus, semen exiguum Coriandro haud dissimile profert, quod gustum nõ secus atque folia adstringit.

TEMPERAMENTVM.

Superantem adstrictoriã qualitatem, adeoq; exiccatoriam vim obtinent.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Succus foliorũ eius, cui adstringendi facultas est, ad sanguinis excreationes, & dysenterias potus & infusus confert. Sistit & mulierum fluxũ appositus Contra erumpentem è naribus sanguinẽ herba ipsa vtiliter inseritur. Vulneraria etiã est, & sanguinẽ compescit. Incensa acerrimũ habet fumũ, vt serpentes quidẽ abigat, & muscas enecet.

EX GALENO.

Vulnera glutinat, erumpentemq; ex naribus sanguinem emplastri modo illita sistit: quin & reliquas sanguinis eruptiones compescere tum ipsa, tũ succus eius multò magis potest. Pota dysenterias, sanguinis reiectiones, ac muliebrẽ fluxum sanat.

EX PLINIO.

Vis eius tanta est, vt iumentis discordantibus

iugo impoſita, aſperitatem cohibeat. Pota vel illita, vel naribus indita, ſanguinis profluuium ſiſtit. Vulneribus ijs priuatim quæ calceamento facta ſunt, contrita & arida inſricata efficax eſt.

DE LAGOPO. CAP. CLXXXVIII.

Lagopus in tritico meſſibus frequens hic inuenitur.

NOMINA.

Trinitas.

VAγώπους Græcis Leporinus pes Latinis, Trifolium humile & Tritinas à tribus ſoliis herbarijs dicitur. Officinis noſtris ignota eſt herba. Germanis Haſenfuſz, oder Katzenklee, oder Katzle (Galli. Pied de Lieure) nominatur. Sic verò Græci atque Latini hãc herbam appellarunt, quòd Leporino pedi ſimilẽ paniculam habeat.

Lagopus cur dicta.

FORMA.

A nullo, quod ſciam, Lagopus deſcribitur. Herba autem quam pro eo exhibemus, caules habet rotundos, hirſutos, folia Loto trifoliæ quæ in pratis gignitur ſimilia ſemen in panculis muſcoſis lanuginoſisq;, leporino pedi ſimilibus admodum adſtringentis guſtus.

LOCVS.

In ſegetibus, Plinio etiã autore, & in hortorũ areis vt teſtatur Dioſcorides, gignitur.

TEMPVS.

Iulio & auguſto menſibus potiſſimũ apparet.

TEMPERAMENTVM.

Exiccandi facultatem obtinet, Galeno teſte,

Lago

Lagopus,

VIRES EX DIOSCORIDE.

Vim habet Lagopus herba sistendi aluum cũ vino pota. Febrientibus autem cum aqua dãda. Alligatur eadem contra inguinũ inflãmationes.

EX GALENO.

Fluxus alui probè exiccat.

EX PLINIO.

Lagopus sistit aluum è vino pota, aut in febri ex aqua. Eadem inguini adalligatur in tumore.

APPENDIX.

Ex ijs omnibus abundè constat, herbam eam quam depictam damus esse Lagopum, siquidem & nomen & forma illi aptissimè respondent. Locus etiam conuenit. nascitur enim copiosissimè in segetibus. Nec temperamentum abhorret, quod illi est adstrictorium & exiccans. His omnibus accedunt vires, vulgò enim omnes hac planta in dysenteria, & alui profluuio vtuntur.

DE LARICE. CAP. CLXXXIX.

Larix in alpibus delphinum frequens, folia eius in nostrate manna sunt plurima, quod ex hac arbore fere decutiatur.

NOMINA.

Λαριξ Græcis, Larix & Larex Latinis, of Larix sen Larex.
ficinis & vulgò Larga, Germanis Lorchbaum (Gallicè Vng arbre retirant a vng Pin, ou Sapin) appellatur.

FORMA.

Larix arbor est magna Piceæ similis crassior leuiori

luióríque cortice, folio villoso pectinum modo pinguí & denso, molliq; flexu materia præstanti, rubente odore, acri. Hinc erumpit nonnihil liquoris melleo, Dioscoride ac plinio testibus, colore atque lento nunquam durescentis. Est autem resina quã Larignam, aut certè Laricinam vel Laricinam vocant, qua hodie omnes ferè officinæ pro terebinthina, non sine errore vtuntur. Therebinthina enim candida est, pellucida, & in modum coloris vitri cœrulea & odorata. Lignum eius propemodum ignibus inuictum, neque flagrat, neque in carbones recidit, nec alio modo ignis vi consumitur, quã saxum in fornace ad calcem coquendam adhibiũ quod quidem nec flammam recipit, nec carbonem remittit, sed longo spacio tardè comburitur. Eramis eius paniculariũ modo nucamenta dependent, quod pictura affabrè ostendit.

Resina laricina hodie pro terebinthina vtuntur officinæ.

LOCVS.

Larix, vt autor est Vitruuius, circa ripã fluminis Padi, & litora maris Adriatici nascitur. Copiosissimè autem in Silesia prouenit, vnde Illustrissimus Princeps GEORGIVS Marchio Brãdenburgensis, dominus meus clementissimus, plures arbores Onoltzbachium transferre curauit, à quo sanè hanc etiam cuius hic damus picturam ad me Tubingã trãsmisit. In Silesia eius ex arboris ligno hypocausta construũtur, tantus illius ibidem prouentus est.

GEORGIVS Marchio Brandenburgensis.

TEMPVS.

Larix nullo exhilaratur flore, sed turgens tã-

tum

tùm ædit germina.

TEMPERAMENTVM.

Minimũ in eius temperamento ignis & aëris humoris autem terreni plurimum. Hinc cùm non habeat spacia foraminum quà possit ignis penetrare, fit vt eius vim, quemadmodum paulò antè diximus, reijciat, nec patiatur ab eo citò lædi. Ad strictoriã itaq; facultatẽ, haud secus atque piceæ, eius folia & cortices. vt statim dicemus obtinent.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Cortex eius adstringit, ac intertriginibus tritus & illitus prodest, & vlceribus summam cutem occupantibus, ambustisq; cum litharg yro & manna thuris. Vlcera in teneris corporibus cerato myrtino exceptus ad cicatricem perducit. Tritus cum atramento sutorio, serpẽtia Cohibet. Fœtus & secundas suffitu eijcit, Potus aluum sistit, & vrinam mouet. Folia eius trita illitaq; inflammationes leniũt, & vulnera ab inflãmatione vindicant. Trita verò & in aceto cocta calida collutione dentium dolorem mulcent. Resina eius vt omnes aliæ, emollit, calefacit, discutit, expurgat. Tussiẽtibus ac tabidis in ecligmate per se aut cũ melle conuenit Thoracis vitia expurgat. Vrinã etiam cit, maturat, & aluum mollit. Pilos in pal pebris glutinat. Cõtra lepras cum erugine, attramẽto sutorio et nitro inũgitur. Auribus saniẽ stillãtibus cũ melle & oleo, & in genitalium pruritu, Miscetur etiam emplastris, malagmatis & a-

copis Lateris doloribus per se inuncta & imposita auxiliatur.

EX GALENO.

Cortex eius vincentem habet adstrictoriam facultatem vsque adeo, vt & intertrigines bellicissimè sanet, & ventrem potus sistat Sed & ambustis cicatricem inducit. In foliis arboris, vt quæ multo sunt cortice humidiora, vis ineſt vulnerum glutinatoria. Resina eius desiccat & calefacit.

EX PLINIO.

Laricis folia trita & decocta in aceto dentium dolori prosunt. Cinis Corticum intertrigini & ambustis medetur. Potus aluum sistit. Vrinã mouet. Suffitu vuluas corrigit. Resina larigna tussi efficax habetur, polletq; contra viscerũ vlcera.

DE MELISSOPHILLO.

CAPVT CXC.

Vulgari Melissophyllo afficant apiaria vtilici, vt illuc apes alliciant, nec infeliciter.

NOMINA.

Melissa. Melissophyllum. vnde dictũ

Μελισσοφυλλον, ἢ μελιφυλλον Græcis, Apiastrum siue Citrago Latinis, officinis Melissa dicitur Germanis Melissen, Melissen kraut Honigblum (Gallicè de la Melisse) Melissophyllum non alio nomine appellatum est, nisi quod apes eius folio magnopere delectentur. neque enim. μελισσόφυλλον aliud quàm apum folium significat Meliphyllõ verò qua voce Nicander vsus est, mellis follium indicat. Sic itaque nominare

minari cœpit, quòd hinc apes mellis materiã colligant. Pari ratione Latini apiastrum haud dubiè dixerunt, quòd ea herba apes plurimum letẽtur, adeo vt si ea alueraria conficientur perungãturue, detentum in eis examen non fugiat. Citraginem autem ab odore Citri. nares enim si consulantur Citrium malum olebit GENERA. Apiastrũ. Citrago.

Duo sunt ex vulgarium herbariorum sententia Melissophyli genera vnum verum, alterum adulterinum quod Germani Vuantzenkraut nominant, vt paulò post dicemus.

FORMA.

Folia & cauliculi veri Melissophylli, Balloti seu Marrubio nigro similia sunt, maiora tamen & tenuiora, nec ita hirsuta citri mali odore. Perperam hodie officinæ pro vera Melissa vtũtur herba passim in hortis proueniente, quam Germani vt diximus, quia cimices olere videtur, Vuantzenkraut nominant. Fœdus itaque cùm huius herbæ odor sit, nõ est cur apes ea delectentur neque ei floreti insident, sed eam potius fugiunt. Contrà illa quã pro vera pictam damus vnicè oblectantur, quòd illius tam gratus odor sit, vt in ædibus strata, eas gratissimo odore compleat.

LOCVS.

Nascitur in syluis verũ, adulterinũ aũt in hortis.

TEMPVS.

Carpitur æstate, Iunio potissimum mense, quo floribus prægnans est.

TEMPERAMENTVM.

Meliſſophyllon ex ſecundo ordine calefacientium cenſetur, deſiccat verò non æquè, ſed ipſum quiſpiam in hoc primi ordinis eſſe poſuerit.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Folia cum vino pota aut illita, contra ſcorpionum, phalangiorum, canumq; morſus proſunt. Decoctum eorundem, ſi eo perfundantur, idem poteſt. In inſeſſionibus ad ducendos menſes vtile eſt. Dentes eodem in dolore colluuntur. Dyſentericis iniectum prodeſt. Fungorum ſtrangulationibus, folia cum nitro pota ſuccurrunt. Tormínibus auxiliantur. Danturin eclegmate orthopnoicis. Illita cum ſale ſtrumas diſcutiunt. Vlcera purgant. Articularios dolores illita mitigant.

EX GALENO.

Meliſſophyllon Marrubio facultate ſimile eſt, ſed plurimum ab eo vincitur: quamobrem nec vtitur illo quiſpiam. Superuacaneum ſiquidem foret præſente Marrubio, cuius tantus eſt vbiq; terrarum prouentus velle vti Meliſſophylo Cæterùm ſi cui fortè ad manum quandoque Marrubiũ non fuerit, illo ad quæcunque vti licebit, modo quanto ab hoc excuperetur cognitum habuerit.

EX PLINIO.

Meliſſophyllo ſiue Melittæna ſi perungatur alueuaria, non fugient apes: nullo enim magis gaudent flore. Copia iſtius examina facilime continentur. Idem præſentiſſimum eſt contra ictus

earum

earum vesparumq;, & araneorum, item scorpionum, remedium. Item contra vulnerum strangulationes addito nitro. Contra tormina è vino. Folia eius strumis illinuntur, & sedis vitijs cum sale decocta. Succus fœminas purgat, & inflationes discutit, & vlcera sanat. Articularios morbos sedat, canisq; morsus. Prodest dysentericis veteribus, & cœliacis, orthopnoicis, lienibus, vlceribus thoracis. Caligines oculorum succo cum melle inungi eximium habetur.

EX SIMEONE SETHI.

Ad stomachi ex frigiditate morsus, & à nigra bile tristitias & timores qui sine ratione ex ille fiunt, confert. Hilaritatem efficit, & ad melancholicũ ac pituitosum humorẽ prodest. Fertur quòd industriam afferat, & quòd ante somnũ sumptũ bona somnia faciat, cõtraria ratione cũ Brassica, quæ mala insomnia affert. Bubones lædit.

DE MARATHRO. CAP. CXCI.

NOMINA.

Μαραθρον græcè, Fœniculũ Latinè, officinæ marathrũ antiquum & Latinũ nomẽ retinuerunt. Germanicè Fenchel (Gallicè du Fenouil) dicitur, Marathrum Græcis dictum putant à marcescendo, quòd ad condienda plurima cum inarue- rit cõmendatissimũ sit. Fœniculum aũt dici existimant, quòd satũ magno cũ fœnore semen reddat. cur appel. latum.

FORMA.

Fœniculũ ferulacei generis est, hominisq; pleFœniculũ.

runq; proceritatem superat, caule geniculato, fungosa intus medulla, leui exterius cortice & herbaceo folio Abrotoni, sed longiore molliorique, iucundo odore, umbella rotunda, ampla lutea, in orbem radiatim circinato, in qua semen nudum dependet, radice candida, longa & odorata.

LOCVS.

Passim in hortis satum prouenit. Sua etiã sponte interdum ceu Anethum nascitur.

TEMPVS.

Colligitur caule turgescente. Floret Iunio & Iulio mensibus.

TEMPERAMENTVM.

Fœniculum tam valenter excalfacit, vt ex tertio ordine excalefacientiũ censeri possit. Exiccat verò nõ æquè, sed ipsum quispiã in hoc primi esse ordinis posuerit. Proinde lac procreat, quod, si admodum desiccaret, non sanè efficeret.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Fœniculi herba comesta mammas lacte replet. Idem potest semen potũ, aut decoctum cum ptisana. Comæ decoctum subditum impositumue, renum & vesicæ vitijs vtile: quippe quod vrinam ciere potest. Contra serpentium ictus in vino potũ prodest. Menses ducit. In febribus nauseam, & stomachi ardorẽ ex aqua frigida potum, sedat. Radices contritæ & cum melle illitæ, morsibus canũ medentur. Succus caulibus & folijs expressis in sole siccatus, medicamentis quæ ad excitandam ocu

lorum

lorum aciem conficiuntur, vtiliter adijcitur. Extrahitur etiam succus ex semine viridi, foliis, ramulisq; ad eadem vtilis. Radix in prima germinatione exprimitur. In occidentali Iberia liquorẽ gummi similem reddit. Caulẽ medium dum herba floret incolæ demetunt, igniq; admouent, quo facilius vi caloris exudãs gũmi remittat. Hoc efficacius succo est ad medicamenta oculorum.

EX GALENO.

Fœniculũ lac præat. Suffusis auxiliatur, Vrinas mẽsesq; cit. In cõdimentis assiduus Anethi vsus, Fœniculi verò & in opsonijs. Apud nos in hoc reponũt, nõ secus ac Pyrethrũ et Terebinthũ cõdientes, vt in totũ annũ vsui sit, quẽ admodũ & cepas & rapas, & alia huiusmodi quædã in solo aceto, alia in oxhalme asseruãtes. EX PLINIO.

Ad scorpionũ ictus & serpẽtium, semine in vino poto valet. Succus & auribus instillatur, vermiculosq; in his necat. Idipsum condimẽtis propè omnibus inseritur. Oxyporis etiã aptissimè. Quin & crustis subditur panis. Semen stomachum dissolutum adstringit. Nauseam ex aqua tritũ sedat. Pulmonibus & iecinoribus laudatissimũ. Ventrem sistit cũ modicè sumitur, vrinam excitat, & tormina mitigat decoctũ, lactisq; defectu potum mammas replet. Radix cũ ptisana pota renes purgat, siue decocto succo, siue semine sumpto. Prodest & hydropicis radix ex vino cocta, item convulsis. Illinũtur folia tumoribus ardentibus ex aceto.

Calculos vesicæ pellunt, Genituræ abundantiam quoquo modo haustũ facit. Verendis amicissimũ, siue ad fouendũ radice cũ vino cocta, siue contrita in oleo illitũ. Multi tumoribus & sugillatis cũ cera illinũt. Et radice in succo vel cũ melle cõtra canis morsum vtũtur, Et contra multipedẽ ex vino.

EX SIMEONE SETHI.

Lac procreat, & suffusis remedio est. Vrinam cit, & menses ducit.

DE MELANTHIO. CAP. CXCII.

Melanthium nigella Romana officinis, nobis est semine nigro ex rute & Cartusianis, semine itẽ rufo quibusdam odoratior, nobis est donatum à Claudio dauide medico et optimo et doctissimo.

NOMINA.

Nigella.

Melãthiõ vnde dictum,

Μελάνθιον græcis, Papauer nigrũ, Nigella & Gith Latinis dicitur. (Gallicè Nielle, ou Poiurette) Officinæ omnes Nigellam appellant. Melanthion autem & nigella, à nigro semini colore hæc herba haud dubiè dicta est.

GENERA.

Etsi apud Dioscoridẽ aliosq; veteres vna duntaxat Nigellæ species reperiatur, nobis tamen domesticas & hortenses tres videre contigit, quarũ duæ quidem habẽt semina nigra, tertia vero subflauũ. Inter eas quæ habẽt semina nigra, primã schuuartz kommich Germanicè appellauimus, alteram autem schuuartz Coriander, quòd folia eius Coriandri foliis non dissimilia sint.

sint. Tertia, quòd ad folia & flores attinet, prima per omnia similis est, in semine tantùm quod fiat uescit, vt diximus, diuersa. Herbarij huius temporis Nigellam citrinam nominant. Præter has tres iam commemoratas est quarta, quæ syluestris Nigella dicitur, quòd scilicet sua sponte in aruis nascatur. Germanis Vuild schuuartzer Coriander nominatur. Videtur autem esse potius tertium genus Cumini syluestris.

FORMA.

Melanthion frutex est pusillus, ramulis tenuibus, altitudine palmorum duorum vel amplior, foliis paruis Senetionis herbæ similibus, multo tamen exilioribus, capitulo in cacumine exiguo ceu Papaueris, oblongo, intercursantibus internè distinctionibus loculosis quinq; aut sex, in summitate extrinsecus corniculatis, quibus semen nigrum, acre, odoratum includitur. Syluestre alteri hortensi ferè simile est, folia siquidem anethi habet, flores primo similes, nisi quod colore sint elegantiores. Capitulum planè Aquileiæ respondet, atq; in se semina nigra & odorata continet. Melanthium.

LOCVS.

Melanthion domesticum non nisi in hortis satum prouenit. Syluestre autem, vt dictum est, in agris sua sponte prouenit.

TEMPVS.

Melanthion floret Iunio mense, Iulio autem & Augusto semine prægnans est.

TEMPERAMENTVM.

Melanthium excalefacit atque deficcat tertio ordine.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Capitis doloribus illitum fronti Melanthium, & incipientibus suffusionibus cum irino tritum & naribus infusum prodest. Tollit lẽtigines, lepras, œdemata vetusta, durities̃q; cum aceto illitum. Circunsacrificatos clauos excutit cum vetere vino impositum. Dentium doloribus cum aceto & teda decoctum, si eo colluantur, succurit. Rotundos vẽtris lumbricos expellit, ex aqua vmbilico illitũ. Tritum autẽ & in linteo colligatum & olfactũ, destillatione laborantes adiuuat. Pluribus diebus potum, vrinam, menses & lac prouocat. Difficultatem spirandi cum vino potum finit. Phalangiorum morsibus drachmæ pondere cum aqua haustum auxiliatur. Suffitu serpentes fugantur. Tradunt largius epotum enecare.

EX GALENO.

Tenuiũ est partiũ Melanthium, vnde destillationes sanat calidiũ in linteo admotũ, atq; assiduò olfactũ. Quineti.i si intrò in corpus sumatur, vel maximè flatus extinguit. Hinc constat essentiæ ipsm esse tenuis, & ad vnguẽ à caliditate elaboratæ. Propterea sanè etiam amarum est. Itaq; mirũ non est si lumbricos interimat non esum modo, sed etiam foris impositum. Neq; sanè etiam mirandũ si lepras, clauos, myrmecias eyciat. Sic verò etiam

ortho

orthopnœam iuuat, & menses prouocat, qui ob crassitiem aut viscedinem retenti fuerint. In summa, vbi incisione, extersione, desiccatione, excælefactione est opus, præstantissimum id remedium est.

EX PLINIO.

Melanthion medetur serpentiũ plagis & scorpionũ. Illini ex aceto & melle reperio, incensoq; serpentes fugari. Bibitur drachma cõtra araneos. Destillationem narium discutit tusum in linteolo olfactum. Capitis dolores illitum ex aceto, & infusum naribus mitigat. Cum irino oculorum epiphoras & tumores lenit. Dentium dolores cũ cum aceto. Vlcera oris tritum & commanducatum. Lepras & lentigines ex aceto tritum emendat. Difficultates spirandi addito vino potum. Duritias tumoresq; veteres & suppurationes illitum. Lac mulierum auget continuis diebus sumptum. Colligitur succus vt Hyoscyami. Oculos purgat, vrinam & menstrua ciet. Similiter largius venenum est, quod miremur, cùm semen gratissimè panes etiam condiat. Quinimo linteolo alligatu tantùm granis triginta, secundas trahi reperio. Aiunt & clauis in pedibus mederi tritum in vrina, Culices suffitu necare item muscas.

EX SIMEONE SETHI.

Vst tenuiũ partiũ, lũbricos in ventre necat, flatus discutit, pituitamq; incidit. Ad orthopnœas et defluxus capitu facit odoratũ, præsertim post quã

cale

calefactum fuerit. Dicitur verò quòd si teratur, & cum aceto ventri imponatur, etiam sic lumbricos necare. Et si cum melle fermentetur, & calida aqua hauriatur, calculos in renibus & vesica minuit, vrinam cit, menses ducit, & veluti remediũ cõtra venena est, si quis ipm ieiunus assumat.

DE MALACHE.

CAP. CXCIII.

NOMINA.

Malua quare dicta.

MAλάχη Græcè, Malua Latinè, Officinis Latiniũ nomen retinuit. Germanicè Pappel, (Gallicè Maulue) dicitur. Malua autem Græcis ab emollienda aluo nomen traxit: μολάττειν enim mollire significat. Quinetiam Latinus Varro Maluam quasi moluam, quod aluum molliat, dictam esse contendit. Antiqui enim ea vtebantur in acetarijs cum Lactuca ad subducẽdam aluum. Vnde Martialis lib. x. ait.

μαλάττειν

Exoneraturas ventrem mihi vllica maluas
Attulit, & varias quas habet hortus opes.

GENERA.

Maluarum genera esse duo Dioscorides & Galenus tradunt. Vna enim hortensis, altera syluestris Malua dicitur. Hortensis, quæ in hortis sata prouenit, Germanis Romische Pappel, vel Ernrosz, quod scilicet messis tempore floreat, vel Herbstrosz nominatur. Huius iterum varia sunt genera: alia siquidẽ rosas purpureas, & has vel simplici vel multiplici foliorũ textura cõstan-

Hortensis Malua,

tes,

tes, vt pictura monstrat: alia candidas & iterũ foliorum textura differentes producit. Nos vna pictura quatuor hæc hortensis Maluæ genera cõplexi sumus. Syluestris non quæ in syluis, aut asperis locis, sed quæ in incultis locus sua sponte nascitur, intelligi debet: id quod Græca vox χερσαία, qua Dioscorides vtitur, maximè docet. Hæc enim Græcis incultam & inelaboratam terram significat, qualis in semitis, pratis, aliisq; huiusmodi ruris & agri partibus est. Erratica hæc seu syluestris Malua itidem in duas distribuitur species: quædam enim pumila est, & humi serpens, hanc Germani Genszpappel, Rosz oder Hasenpappel vocant. Quædam altius attollitur, & ferè arborescit, hanc Germanicè Roszpappel nominant. Syluestris. χερσαία. Pumila. Arborescens.

FORMA.

Hortensis Malua grandescit in arborẽ, eiusq; scapus tãta magnitudine proficit, vt baculi vsum præbeat. Folia huic ampla, circinatæ rotunditatis, multis in ambitu segmentis. Caudex simplex, luxurioseæ proceritatis attollitur, à medio ferè ad verticem pulcherrimis floribus decoratus, breui admodum pediculo dependentibus, qui venustate rosis non cedũt, & si suppeteret odor, de principatu certarent. Colore constant purpureo, vermiculatóue & candido. Capitula quædam breuibus inmixa petiolis, & leuiter in mucronem fastigiata primùm è caule prosiliunt, ijsq; paulatim intumescentibus, prægnantia florum inuolucra fatiscunt, in

Hortensis.

quib

quibus debiscentes rosæ sese pandunt, & explicatur in folia quinq; interdum structili quadam serie, vt diximus, numerosa, calycibus apices paucos complexis, qui lutei medijs emicant, quibus decidentibus erumpunt purpureæ stamina. His fœtus succrescit multipliciter tunicatus, atq; in vmbilici formam numeroso semine coagmentatus, in quibus cùm decussa sunt folia, reliquarum Maluarum modo semina recluduntur.

Syluestris pumila.

Syluestris pumila & humi repens, folio rotundo, pingui, & in ambitu serrato constat: caule magno: floribus ex candido purpurascentibus, radice candida.

Syluestris procerior.

Syluestris altior folio magis laciniato nascitur, floribus ex cœruleo purpureis, radice candida.

LOCVS.

Hortensis in hortis sata prouenit. Syluestris autẽ locis incultis, pinguibus potissimũ, & humidis.

TEMPVS.

Hortensis floret Iulio & Augusto præsertim mensibus: neque enim flos is vt rosa fugax est, sed diu vigor vitaq; durat. Syluestris pumila per totã æstatem, & in maximam autumni partem durat. Arborescens autem Iunio & Iulio mensibus, floribus quàm maximè abundat.

TEMPERAMENTVM.

Malua syluestris digerentis paululũ, & emollientis leuiter est facultatis. Hortensis vero quanto plus habet aqueæ humiditatis, tanto facultate imbecillior est. Fructus eius tanto validior est, quan-

quanto & siccior. Inter Lactucam, Betã, & Maluam id est discriminis, nempe quòd siccior sint sylnestria satiua humidiora. Permistum est Maluæ succo aliquid glutinosum, quo Lactucæ caret. A refrigerandi facultate manifestè abest, vt ante sumptionem cernere licet, si ex ambobus particulatim oleribus, quemadmodũ fáctitare homines consueuerunt, cataplasma ad calidũ quẽpiam affectũ, qualis est erysipelas, cõponas, molliuscula folia diligenter tũdens donec ad lenorẽ redacta sint exactissimum. Tum nanq; cognosces Lactucam manifestè refrigerare. Maluam verò modicũ, & quasi tepidum quendam calorem obtinere. Facilè hoc olus deorsum labitur, non tantum quia humidum est, sed etiã quia glutinosum. Si horum triũ olerum succos inter se compares, tenuis & absterserius Betæ, crassior glutinosiorq; Maluæ, in vtriusq; medio Lactucæ statuetur. Hæc Galenus libro j. de Alimentorum facultatibus.

Sylnestriæ satiuis siciora.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Esui aptior hortẽsis multò quàm sylnestris. Stomacho noxia, aluum bonam efficit, præsertim caules, intestinis & vesicæ vtiles. Folia cruda illita, & cum modico sale addito melle cõmanducata, ægilopas sanant. Verùm in inducenda cicatrice, ea sine sale vtendum est. Contra apum vesparumq; ictus illita prodest. Et si cruda tritáque cum oleo antea se inunxerit aliquis, non feritur. Achoras, furfuresq; cum vrina illita sanat. Sacris ignibus

& amb

& ambustis decocta folia tritaq; vtiliter cũ oleo imponũtur. Eius decoctum vuluas insessione mollit. Prodest erosionibus intestinorũ, vuluæ sedisq; clystere infusum. Ius decoctæ cum radice sua omnibus letalibus venenis auxiliatur, si continuò à libentibus reuomatur. Cõtra phalangiorũ morsus remedio est. Lac proritat. Semen eius admixto Loti syluestris semine potum cum vino vesicæ dolores lenit.

EX PLINIO.

Maluæ contra omnes aculeatos ictus efficacior vis, præcipuè scorpionum, vesparum similiumq; & muris aranei. Quin & trita cum oleo qualibet earum perunctis antè, vel habentes easnon feriũtur. Foliũ impositũ scorpionibus torporẽ affert. Valet contra venena. Aculeos omnes extrahũt illitæ cum dæ, aut cum † anetho potæ. Decoctæ verò cum radice sua, leporis marini venena restringunt: & vt quidam dicunt, si vomatur. De eisdem mira & alia traduntur, sed maximè, si quotidie quis succi ex qualibet earũ sorbeat cyathum dimidiũ, omnibus morbis caritiũm. Vlcera manantia in capite sanant, in vrina putrefactæ lichenas. & vlcera oris cum melle. Radix decocta furfures capitis & dentiũ mobilitates. Eius quæ vnũ caulem habet, radice circa dentẽ qui doleat punge, donec desinat dolor. Eadẽ strumas & parotidas panosq;, addita hominis saliua, purgat; citra vulnus. Semẽ in vino nigro potũ, à pituitis & nauseis liberat. Radix

† Aliàs aceto.

mam

mammarum vitijs occurrit, adalligata in lana nigra. Tussim in lacte cocta, & sorbitionis modo sumpta, quinis diebus emendat. Stomacho inutiles Sextus Niger dicit. Olympias Thebana, abortiuas esse cum adipe anseris. Aliqui purgari fœminas, foliis earum manus plena mensura, in oleo & vino sumptis. Vtique constat parturientes substratis foliis celerius solui, protinus à partu reuocanda, ne vulua sequatur. Dant & succū bibendum parturientibus ieiunis, in vino decocta hemina. Quin & semen tritum adalligant brachio, genitale non continentium. Adeoq; ea Veneri nascūtur, vt semē vnicaulis asperſū genitali fœminarū auiditates augere ad infinitum Xenocrates tradat. Item tres radices iuxta adalligatas tenasmo & disentericis, vtilissimè infundi item sedis vitijs, vel si foueantur. Melancholicis quoque succus datur cyathis ternis tepidus, & insanientibus quaternis Decocta comitialibus heminæ succi Hic & calculosis et inflamatione, & torminibus aut opisthotono laborantibus tepidus illinitur. Et sacris ignibus & ambustis decocta in oleū folia imponuntur, & ad vulnerum impetus cruda cū pane. Succus decoctæ neruis prodest, & vesicæ & intestinorū rosionibus. Vulnas & cibo et infusione mollit in oleo. Succus decoctæ pori meatus suaues facit.

EX SIMEONE SETHI.

Ventriculum facile subit, non solum propter

humiditatem, verumetiam glutinositatẽ, atque imprimis si cum oleo & garo offeratur, vino quo editur tẽpore irrorata. Vesicam, thoracem, pulmonẽq; iuuat, & raucam vocẽ lenit. Syluestris malua, vt ferunt comesta dolores ex vesparum morsu tollit. Si quis morsus à vespis aut apibus succo Maluæ, præsertim syluestris perungatur, cõfestim dolore leuatur. Dicitur etiã quòd huius decoctũ potũ lapides conterit, somnum concillat, facilemq; partum præstat, si mulier ea crebrius vtatur. Illita inflammationes lenit, eaq; quæ indurata sunt emollit. Illud Maluæ peculiare est, vt imposita ictibus vesparum & apum dolores leuet.

DE MYRICE. CAP. CXCIIII.

Tamarix in Gallia Narbonẽsi luxuriat, nũc etiam in hortis regijs quos fons bellæ aquæ irrigat, & in hortis Reuerendi Bellaij Parisiensis episcopi & Cardinalis, Posterorum memoria, & nostra omnium veneratione dignissimi, vt qui nullis parcit sumptibus, quo partem medicinæ plantariam reddat illustriorem & certiorem.

NOMINA.

Μυρίκη Græcis Myrice & Tamarix Latinis, officinis Tamariscus, Germanis Tamarisck & porst, (Gallis Bruiere) nominatur.

Tamariscus.

GENERA.

Dioscorides duo Tamaricis genera facit: Vna enim syluestris est, qualis est ea quæ in plerisque Germaniæ locis prouenit, quamq; hic picta dat

mus

mus. Altera satiua, quæ priori in cæteris similis est, nisi quòd fructifera est, & minimè, vt illa, sterilis.

FORMA.

Syluestris, arbustum frutexue humilis est, ramis ex herbaceo fuluoq; colore variegatis, foliis Sabinæ aut Erices, flore muscoso, qui demum in papos euolat. Satiua cætera similis est syuestri, fructum tamen gallæ non dissimilem profert, qui gustu inæqualiter adstringit.

LOCVS.

Proxime paludes, resides stagnantesq; aquas nascitur. Syluestrisq; copiosa in germania ad Rhenum & Isarum insignes fluuios, prouenit. Satiua in Syria & Aegipto, vbi procerissimas æquat arbores, gignitur.

TEMPVS.

Perpetua coma frondet.

TEMPERAMENTVM.

Myrice abstergentis est ac incidentis facultatis, absque perspicua desiccatione: habet verò etiã ad strictionem nonnullam. Cæterùm fructus & cortex non paucam sortita est adstrictionem, adeo, vt gallæ omphacitidi seu immaturæ proxima sint, nisi quod acerbitas euidens est in galla, sed Myrices fructui temperatura ineſt inæqualis: immista est enim naturæ eius multa partium tenuitas, atq; vis abstergendi, quod sanè gallæ haud ineſt. Porrò Myrica cõbustæ cinis admodũ desiccatoriæ facultatis est, plurimã abstergẽdi facultatẽ

habens, pauxillam adstringendi.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Fructu vice gallæ in oris oculorumq; medicaminibus vtuntur, Cruentis sputis in potu, cœliacis fœminarum fluxionibus morbo regio, & phalangiorum morsibus prodest. Oedemata illitus reprimit. Cortex eandem quæ fructus potest. Decoctum foliorum cum vino potum lienem minuit. Ad dolorem dentium in collutionibus salutare est & mulierum fluxionibus in desessionibus. Aptè his in quibus pediculi & lendes abundant circũfunditur. Cinis lignorũ eius appositus profluuiũ ex vtero supprimit. E trunco eius nonnulli potorios calices fabricant, quibus in lienosis pro poculo vtuntur, quò datus in ijs potus proficiat.

Calices potorij ex trunco mastichis.

EX GALENO.

Myrice prodest admodum lieni indurato, decoctis cum aceto aut vino raducibus, siue foliis, siue extremis ramulis. Sanat verò etiã dentiũ dolores.

EX GALENO.

Lenæus sanari ea carcinomata in vino decocta tritaq; cum melle dicit. Ad lienem præcipua est, si succus eius expressus in vino bibatur. Adeóq; mirabilem eius antipathiam contra solum hoc viscerum faciunt, vt affirmẽt, si ex ea alueis factis bibant sues, sine liene inueniri. Et ideo homini quoque splenetico cibum potumq; dant in vasis ex ea factis. Lignum & flos & folia & cortex in eosdem vsus adhibentur, quãquam remissiora

fiora. Datur sanguinem reijcientibus cortex tritus, & contra profluuia fœminarũ, cœliacis quoque. Idẽtusus impositusq; collectiones omnes inhibet Polÿs exprimitur succus. Ad hæc eadem & in vino decoquuntur, ipsa verò adiecto melle gã grænis illinuntur. Decoctum eorum in vino potũ vel impositum cum rosaceo & cera sedat. Sic & epinyctidas sanant. Ad dentium dolorẽ auriũq; decoctum eorum salutare est. Radix ad eadem, similter & folia. Hæc amplius ad ea quæ serpũt Imponuntur cum polenta. Semen drachmæ pondere aduersus Phalangia & araneos bibitur. Cum altilium verò pigui furunculis imponitur. Efficax & contra serpentium ictus, præterquam aspidum. Nec non morbo regio, phthiriasi, lendibusq; decoctum infusum prodest, abundantiãq; mulierum ysistit. Cinis arboris ad omnia eadem prodest.

DE MECONE RHOEADE.

CAP. CXCV.

NOMINA.

Μηκωνῥοιὰς Græcis, Papauer rhœas, hoc est fluidum aut erraticum Latinis papauer rubeum officinis & herbarijs, Germanis à strepitu quem ludentes pueri harum folÿs concauo pugno impositis, altera palma incussa ædunt. Klapperrosen, quasi dicas crepitaculares rosas & Glitschen, & vuild Maen, ac kornro-

seu, Gallicè Coquelicoc, ou Ponceau) appellant. Rhœas autem à flore, qui ei protinus decidit, dictum est.

Rhœas vndedictũ

FORMA.

Folia Erucæ, aut Cichorio similia, & incisa habet, longiora tamen & aspera. Caulem † lanuginosum, rectum, asperum, cubitalem. Florem purpureum, & aliquando candidum, similẽ sylvestris Anemones flori. Caput oblongum, minus tamen quàm Anemones. Semen rufum. Radicem oblongam, subalbam, minoris digiti crassitudine amaram. Ex qua delineatione omnibus perspicuum sit, herbam quam Papauer rubeum hodie vulgò nominant, esse Rhœada, quòd sit folio Erucæ, laciniato, scabro & longiore: caule lanuginoso, recto, aspero, cubitali: flore sylvestris Anemones puniceo, nonnunquam albo, oblongo capite: semine rufo, radice longa, subalbida, minoris digiti crassitudine, gustu amara. Errant itaque qui Anemonem esse arbitrantur, quòd folia eius, quæ Coriandri sunt, evidentissimè reclament. Nos Rhœadis vtriusque picturas damus. Vnius atque adeò primi, quod Erucæ folia habet, alterius quod Cichorij.

† aliàs iũ ceum.

Papauer rubeũ nõ est Anemone.

LOCVS.

Nascitur in aruis & segetibus passim.

TEMPVS.

Vere & æstate dum frumenta messem appetunt, floret: quo etiam tempore decerpitur.

TEMPERAMENTVM.

Refrigerat, vt alia genera Papaueris.

VI

VIRES EX DIOSCORIDE.

Huius Papaueris quinque sexúe capita cum tribus vini cyathis decocta donec ad duas reducãtur potui dabis quibus somnũ accersere volueris. Semen acet abuli mensura cum aqua mulsa potũ aluum leniter emollit. Ad idem præstandum mel lutis & dulciarijs immiscetur. Folia cum calycibus illita inflammationes sanant. Eorundem per fusione & fotu somnus allicitur.

EX GALENO.

Papauer quoddam Rhœas nuncupatur, quòd scilicet celeriter flos eius defluat. Huius semen validius refrigerat, ita vt nequaquam eo quis innoxiè solo vti possit, veluti satiuo melli admiscens. Admodum verò ita sumptum somnum conciliat. Sed & pusillum eius inspergunt ijs quæ ex melle conficiuntur bellarijs, placentis & panibus.

EX PLINIO.

Aluum exinaniũt capita quinque decocta in vini tribus heminis: pota somnum faciunt.

EX RECENTIORIBVS.

Sacro igni medetur. Mulierum menstrua profluuia compescit. Sanguinem è naribus fluentẽ ie cori impositum sistit. Lingua ex decocto eius lota, ardorem fauciũ sanat. Pudendorum tumores detumescere facit. Tẽporibus illitũ, phreneticis somnũ conciliat. Calidos oculorũ dolores linteo impositum mitigat. Vnde rursus omnibus liquet, Papauer hoc rubrum non esse Anemonem, quòd scilicet

licet hæc ipsa cõtrarias planè facultates obtineat.

DE MECONESATIVO.

CAP. CXCVI.

NOMINA.

Mecõ qua re appellet.

Μηκων ἥμερος Græcè, Papauer satiuum Latinè dicitur. Officinæ antiquum nomẽ retinuerũt. Germanicè Magsomen oder Mã, (Gallicè Du pauot) vocatur. Dictum autem Græcis μήκων ἀπὸ μήκους, hoc est, non ministrando, quòd suis fungi muneris vescentes nõpatiatur.

GENERA.

Satiui Papaueris duplex genus, album videlicet, cuius flos & semen cãdidum: & nigrũ, quòd semine nigro constat. Nos vtrunque genus vna pictura complexi sumus.

FORMA.

Folijs constat longis, per ambitum serratis, nullo; pediculo cauli adhærentibus: floribus vel candidis, vel ex candido leniter purpureis: capitibus oblongis, in quibus semen atrum vel candidum.

LOCVS.

Passim in hortis satum prouenit.

TEMPVS.

Aestate floret, ac subinde semen profert.

TEMPERAMENTVM.

Refrigerat, sicut omnia alia Papaueris genera, in quarto ordine.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Communis ipsis refrigerandi vis est: proinde folia

lia & capita in aqua decocta fotu somnum accersunt. Bibitur & decoctum cõtra vigilias. Capita tria & cum polenta cataplasmatis mixta, ignibus sacris & inflammationibus prosunt. Oportet autẽ viridia ipsa tundere, & in pastillos cõformare, siccatosq; reponere ac vti. Capita per se etiam ad dimidias in aqua decocta, dein iterum cum melle dum humor densetur crassescatq; decocta, eclegma medicamẽtũ efficiunt, dolorem mitigans in tussi, fluxionibus arteriæ, & cœliacis affectionibus. Efficacius redditur adiecto Hypocisti dis succo & Acacia. Papaueris nigri semen tritũ cum vino bibitur contra fluxiones alui & fœminarũ profluuia. in perigilys fronti tẽporibusq; cũ aqua illinitur. Eiusdẽ liquor plus refrigerat, in spissat, siccatq;. Frui quantitate sumptus dolorem leuat, somnũ conciliat & conquoquit. Tussi atq; cœliacis affectibus auxiliatur. Maiori autem copia haustus nocet, lethargicos efficiens, & interimit. Ad dolores capitis cũ rosaceo perfusus facit. Aures dolentibus cum amygdalino, myrrhæ & croco instillatur. In oculorum inflammationibus cum tosto oui luteo & croco. Igni sacro & vulneribus cum aceto podagris cum lacte mulieris & croco, sedi pro balano subditus, somnum allicit.

EX GALENO.

Satiui Papaueris semen panibus vtiliter ceu dulciarium inspergitur, non secus ac Sesamũ. Cãdidius nigriore præstat, vimq; refrigerãdi habet

ideoq; somnificum est. Si uerò liberalius sumatur saporem etiam inducet, ægreq; concoquetur. Tussim præterea ex thorace & pulmone compescit. Confert aduersus tenues ex capite destillationes. Corpori nullũ notatu dignũ exhibet nutrimẽtũ.

EX PLINIO.

Candidi semen tostum in secunda mensa cum melle apud antiquos edebatur. Calix ipse teritur & bibitur somni causa. Semen elephantis medetur. E nigro Papauere lacteus succus scapo inciso exprimitur. qui densatur, & in pastillos tritus in umbra siccatur, non ui soporifera modò, uerùm si copiosior hauriatur, etiam mortifera per somnũ opion uocant. Semine eius trito in pastillos, è lacte utuntur ad somnum. Item ad capitis dolores cum rosaceo, Cùm his aurium dolori instillatum. Podagris illinitur cum lacte mulierum. Sic & foliis ipsis utuntur ad sacros ignes. Item uulnera cum aceto. Ego tamen damnauerim, collyriis addi, multoq; magis quas uocant lexipyretas, quasq; pepticas & cœliacas. Nigrum tamen cœliacis in uino datur.

EX SIMEONE SETHI.

Melius est album quàm nigrum. Somnificam uim habet, & difficilis est concoctionis, parumq; nutrit. Si autem cum melle edatur, semini genitali adijcit. Prodest & thoraci, et asperæ arteriæ ac tussi, Ventrem sistit, & si quiddam falso putauerunt ipsum mouere, cũ contrariam habeat uim.

Lædit

Lædit caput, si copiosius sumatur, itemq; aggrauat. Sunt qui ipsum conterunt, & vigilantium fronti imponunt, in hoc vt somnū conciliet. Cæterum nigrum Papauer frigidius est, & magis somniferum, adeò vt si quis eo immodicè vtatur, somno profundo similiter lethargicis capiatur. cum rosaceo impositum capiti, eiusdem dolores à calore ortos sanat. Dicitur etiam quod illitum cū lacte muliebri & croco podagricos iuuet. Huius lachryma venenum est. Nigri autem succus est vocatum opium.

DE MECONE CERATITE.

CAPVT CXCVII.

In Papauere corniculato mirum cur Dioscorides omiserit rictum, ceu colubri in summa sili qua conspicuum, notam planè illustrem.

NOMINA. Papauer cornutum

Μηκωνιτερατίτις Græcis, Papauer corniculatum Latinis, officinis Papauer cornutū Germ. Gelb olmagen appellatur. Corniculatū à fructu quem producit, cornu modo inflexo, nominatum est.

FORMA.

Folia habet candida hirsuta, Verbasco similia, per ambitum Papaueris sylvestris modo serrata caulem etiam similem, florem luteum pallidiuie, fructum paruum vt cornu inflexum, fœnigræci corniculo similem vnde & nomen inuenit. Semē pusillū, nigrum quale papaueris. Radicem in superficie terræ, harentem, nigram, crassam.

LO

LOCVS.

Dioscorides in maritimis & asperis locis prouenire ait. In Germania tamen nostra non nisi satum fuerit nascitur.

TEMPVS.

Iunio floret mense: Semen autem circa messes legitur.

TEMPERAMENTVM.

Calidum & siccum esse, facultates eius, & in gustu nitrositas, satis ostendunt.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Radix ad dimidias cocta in aqua & pota, ischiadas, & iecinoris affectus sanare potest. His etiam qui crassas & arenosas faciũt vrinas prodest. Semen acetabuli mensura cum aqua mulsa potum, aluum leniter purgat. Folia præterea floresq; cum oleo illita crustas emarginant. Eadem inuncta iumentorum argema ac nubeculas emẽdant.

EX GALENO.

Papauer corniculatum nominatum quidem est à fructu leuem inuersionem habente, veluti et fœnum græcum, vt bouis cornu simile esse videatur. Vim habet incidendi & abstergendi. Proinde radix herbæ in aqua decocta ad dimidium, iecinoris affectus adiuuat. Folia & flores, sordida ad modum & maligna vlcera iuuant. Sed ab his abstinere oportet vlceribus iam purgatis: adeò enim abstergere valent, vt & puræ quoque carnis nonnihil eliquent. Hoc facultatum robore nõ sor-

des dã

des duntaxat, sed & crustam vlceribus detrahit.

EX PLINIO.

Semen aluum purgat dimidio acetabulo in mulso. Folia trita cum oleo, argemas iumentorũ sanant. Radix acetabuli mensura cocta in duobus sextarijs ad dimidias, datur ad lumborum vitia & iecinoris. Carbunculis medentur ex melle folia.

DE MORO. CAP. CXCVIII.

NONINA.

Morus celsi.

Μορέα ἡ συκαμινέα Græcis Morus Latinis Officinis & vulgaribus hortarijs Morus celsi, Germanis Maulberbaum, (Gallis Vng Meurier) appellatur.

FORMA.

Morus arbor notior est quàm vt describi desideret. Folia autem rotunda ferè habet, nisi quòd in summo sint acuminata, in extremitatibus serrata, & ad Menthæ hortensis primi & secundi generis folia accedentia. Flores lanugineos, fructum statim ab ortu candidum, cùm pubescit rubrum, vbi maturuit atrum. Mon est certè silentio transeundum, quod Mori folijs quadraginta ferè diebus a Vergiliarum exortu vsque ad solstitiũ pasti vermiculi, qui σηρες Græcis, Latinis bõbyces ac Seres nominantur, sericeum vellus, quo turget vterus pedibus explicantes conficiunt: nulla enim in re alia natura sagacior deprehenditur nec ars aliquid ab ijs accepisse videbitur, in quo

Seres vermiculi vnde nutriãtur, & eorundem mirãda metamorphosis.

ingeni

ingeniosius laborauerit, si tã multas dum id vel-
lus perficitur naturæ mutationes, & artis dũ ad
vitæ vsum disponitur, labores æstimemus. Appe-
tẽte siquidẽ vere oua piscium ouis haud dissimila
linteolo chartæue adhærescentia quæ proximo au-
tumno produxerunt, radijs solis exponuntur, aut
calido in loco, hypocausto nimirũ, seruantur. Quo
fit vt vermiculi excludantur exigui, qui mox mo
ri foliys nutriuntur, quoad grandiores facti fue-
rint: tum statim penulæ cuiq; chartaceæ, vel po-
tius inuolucra conficiuntur, quibus inclusi mira-
bili naturæ opere lanition sese inuoluunt, ac cõge
sto glomeri se condentes, postquam suum nendi
obierunt munus emoriuntur, adeò vt semestris tã
tum illis apud uos vita sit. Mortuis testacea sub
inde tunica inducitur, qua aliquot diebus obducti
reuiuiscunt, ac asitis sibi alis in volucres papilo-
nes degenerant, qui assiduè inuicem incidentes
coẽũtes q; tandem relictis ouis milij forma & colo
re, quibus sua rediuiua proles sequente anno re-
nascitur, iterum moriuntur, atque adeo cum nul
lius præterea sint vsus abijciuntur. Oua antẽ ad
veris vsque initia seruantur. Hanc mirificam me
tamorphosin, quam non rarò summa cum admi-
ratione ac delectatione sum contemplatus, nõ pe-
tui non commemorare, quò studiosis vermicului-
storum qui Mori foliys pascũtur natura prorsus
perspecta esset.

LOCVS.

Nascitur in hortis quibusdam. Amat autem
in pri

in primis loca calida sabulosaq; Gaudet fossione & stercore.

TEMPVS.

Nouissima vrbanarum germinat, nec nisi exacto frigore, ob id docta sapientissima arborū. Proinde cùm hanc germinare viderimus, frigus minimè timendū erit. Morus sacrum pietissima arborum.

TEMPERAMENTVM.

Immaturus Mori fructus vbi exaruerit admodū adstringit. Maturus autē mediocriter adstringit. Cortex radicis arboris amaritudinis cuiusdā & purgātis facultatis particeps est. Folia & germina quodāmodo. media temperie inter adstrictionē et purgatoriam facultatem sunt prædita.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Mori fructus aluū soluit, Facilè corrūpitur. Stomacho inimicus est. Præstat hoc idem eius succus. Decoctus autē æreo vase, aut insolatus, magis adstringit. Admixto mellis exiguo. adfluxiones, nomas & tōsillarū inflāmationes facit: Augetur vis eius adiecto sciſili alumine, galla, croco & myrrha, itē tamaricis semine iride & thure, Mora verò īmatura sicca tusaq;, Rhois vice opsonijs miscētur, et cœli acos iuuant Radicis cortex decoctus in aqua & potus aluū soluit. Latos ventris lumbricos expellit: ijs quoq; auxiliatur qui aconitū hauserūt. Folia trita & cū oleo illita, ambustis igne medētur. Decocta in aqua cœlesti cū vitis & nigræ sici foljs capillos tingūt. Succus foliorū cyathi mēsura potus phalangiorū morsibus auxiliatur, Corticis & foliorum decocto colluūtur vtiliter

in dolore

in dolore dentes. Colligitur per messem succu, circumfossa & secta radice arboris. inuenitur enim, postridie concretus, qui in dolore dentiũ vtilis est. Tubercula discutit, & alvum purgat.

EX GALENO.

Mori fructus maturus ventrem quidem subducit: immaturus arefactus medicamentum sit satis constringens, adeò vt ad dysenterias & cœliacos affectus, aliósque omnes, qui ex fluxionum sunt genere efficax sit. Contunditur autem & opsonijs: miscetur veluti Rhois fructus: aut si cui ita videatur, ex aqua aut vino bibitur. Porrò quòd maturorum succus ad stomatica medicamẽta sit vtilis propter eam videlicet quæ ineſt illis adstrictionem, neminem latet. Præterea ad alia complura particularia, quæ mediocrem poscunt adstrictionem, competit. At immatura præter acerbitatem aciditate etiam participant. Tota quoque arbor in omnibus suis partibus mistam aliquam obtinere facultatem ex constringente & purgante compositam videtur. Attamen in radicis cortice purgatoria cum quadam amaritudine exuperat, adeò, vt et latũ lumbricum interficiat. In alijs autem partibus constringens vincit. In folijs tamen & germinibus media quodammodo comprimentis & subducentis facultas est. Cæterùm mora vbi in ventriculum purũ, & prima fuerint ingesta, citissimè per intestina trãseunt, & alijs cibis suo veluti ductu viã struunt. Verùm secundo loco assumpta.

sumpta, aut prauum in ventre humorem inuenientia, celerrimè alijs vnà cum cibis corrũpuntur, extraneam quandam atque in explicabilem corruptellam inducentia similiter Cucurbitis. Tametsi enim fugacibus hæc omnia sint esculentis innocentiora, corruptione tamen nisi velociter deorsum concedant, non secus ac Pepones, vtiantur. Porrò quãdo vẽtriculi os squalidũ calidũq; erit, tũ sicut peponibus, ita & Moris Vtendum. Tale nãque iecur etiã tunc esse necesse est. Immatura Mora ab arbore decerpta, siccataq; in hȳemem reponunt, vt sibi medicamen ex ijs parent vtile ad dysenteriam, aluiq; diuturnum fluorem persanãdum. Quod quidem facilè descẽdant foriè eis vsuenit sola substantiæ humiditate & lubricitate, fortè etiam admistione acrioris facultatis, quæ stimulandæ ad excretionem aluo sit satis. Nã adstrĩgens qualitas adeò nihil ad deiectionem opitulatur, vt etiam reprimere stiparéque sit nata. Proinde Moris exiguam quandam eius facultatis portiunculam inesse conijcio, cuius permagna in purgantibus medicamentis habetur: quæ facit nõ solum vt facilè deijciantur, verumetiã vt diutius morata in ventre corrumpantur. Quod si corruptionem effugiant, omnino quidem humectant, sed non planè refrigerant, nisi frigida accipiantur. Parcissimè corpus alunt, similiter vt Pepones, haud tamen vomitum cient, nec stomacho vt illis aduersantur.

DE MYRRHIDE CAP. CXCIX.

Myrhis etiam in segetibus nobis frequens.

NOMINA.

Cicutaria Error de duelici Cicuta.

Μυῤῥὶς ἡ μυῤῥίδα Græcis, Myrrhis Latinis, vulgaribus herbarijs Cicutaria, quòd scilicet caule & folijs Cicutæ similima sit. Hac similitudine quidam decepti, veram esse Cicutam putauerunt, cùm tamen ab ea, viribus potissimum diuersissima sit. Germanis Vuilder Korffel appellatur.

FORMA.

Cicutæ caule & folijs similis est, radicem obtinet longam, teneram, rotundam, odoratam, in cibo non insuauem. Hæc tota Dioscoridis delineatio, nulla prorsus reclamante nota, herbæ cuius effigiem damus pictam suffragatur. Siquidè caule striato, folijs & flore Cicutæ similima est, adeò vt eam nonnulli à Cicuta discernere nesciant. Radicem etiam habet longam, teneram, rotundam, cibo iucundam & odoratam.

LOCVS.

Passim in hortis & pratis nonnullis prouenit.

TEMPVS.

Maio mense loca in quibus nascitur huius floribus quasi candicant.

TEMPERAMENTVM.

Ex secundo est ordine excalfacientium, subtilia partium tenuitate.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Phalangiorum morsibus radix Myrrhidis succur

currit cum vino pota, Menses purgat & secundas educit. Cocta in sorbitione tabidis vtiliter datur. Ferunt præterea aliqui eam bis terue die potam ex vino in pestilentialibus cõstitutionibus, à morbo seruare incolumes.

EX GALENO.

Radix eius menses mouet quæq; in thorace & pulmone sunt expurgat.

EX PLINIO.

Cit menstrua & partus cum vino. Aiunt quoque eandem potam in pestilentia salutarem esse, Subuenit & phthisicis in sorbitione. Auiditatem cibi facit Phalangiorum morsus restringit. Vlcera quoq; insucie aut capite succus eius in aqua triduo macerata sanat.

DE MELILOTO. CAP. CC.

Ab vtraque tua Melitoto nostra est diuersa, & odoris gratia nobis iucundissima, vt etiam cubicula præsertim dum recens est, aut etiam dũ cœlum fit æstate pluuium, odore grato r epleat.

NOMINA.

Sertulae Gia.

Μελίλωτος Græcis, Melilotus. Sertula cam pana, & Corona regia Latinis dicitur, Melilothi nomen officinæ retinuerunt. Sertulam verò dixerunt, quòd flos eius coronamentis dicatus sit, & quia ex ea antiquitus coronæ & serta facilitata sint. Coronam autem regiam, quoniã luteis floribus supernè coronetur.

cur dicta. Corona re Vulgaris. Melilotus

GENERA.

Tria Meliloti hodie faciunt genera. Primum

vulgarem, statim à radice fruticosam, cubitatem folio fœnigræci minuto ac lentè fimbriato, flosculo luteo, odoris suauis, teretı per ramos diffuso semine. Hoc quanquam tertio generi, quod nos verum esse putamus, foliys & floribus simile sit tamen cùm nullam gustu præ se ferat adstrictionem quàm summè requirunt Dioscorides, Galenus, et alij veteres medici, & præter amaritudinẽ haud exiguam acrimoniam habeat, sit vt inter Meliloto s, meo quidẽ iudicio rectè cõnumerari nõ possit, Hinc est quòd nos infra, hanc alio nomine dignati sumus, Saxifragamq; luteam appellauerimus, Alterum aspectu cano. Croci flore, foliys Trifolij, minutissimis vt paulò pòst fusius dicemus. Hoc sanè genus nos Melilothum germanicam vocauimus, quòd illa & non prior in Germania nostra pro vera Meliloto sit vsurpanda, ob adstrictionẽ illam manifestam quam gustu præfert. Accedunt folia quæ pinguia sunt & flores Croci colorem referentes, quos Dioscorides requirit. Sententiam nostram confirmat antiquus manuscriptus herbarius, qui hanc pro Meliloto pingit. Neque obstat quòd hæc herba non admodum odorata sit: fatemur enim non esse laudatissimam. Melilotum sed eam quam Germania nostra profert. Nam quæ Plinio libro xxi. cap. xi. teste Melilotus vbique nascatur suam quæuis habeat ferè regio necesse est. Nihil igitur mirũ si huic herbæ non adsint singulæ notæ quas illi veteres Græci & Latini attribuũt

Primũ genus nõ est vera Melilotus.

Germanica Melilotus.

buunt. Satis aũt est ei mistam quandam, nempe abstringentem & digerentẽ inesse facultatem, haud secus quàm optimè, Germani hãc herbam nominãt Vnser frauuen schuchlin, *vel* Vuil den klee (Galli du Melilot.) Tertium genus nos optimam & legitimam esse arbitramur Melilotum, quam nos maioris discriminis causa Itali cam nuncupauimus, quòd mos sit patrius Germaniæ nostræ, omnia ferè peregrina vocare Italica. Germanicè itaq; haud inepte Vuelscher Steinklee nominabitur. Italicæ Melilotus.

FORMA.

Vulgaris Melilotiꝰ descriptionẽ inuenies suo loco. Germanica, herba est humilis, palmi altitudine, folio pratẽsis Trifolij, pingui et cano, flore pisi, minore tamen, luteo, semine in siliquis, radice rufa. Italica, quam è Cãpania allatam in Germaniã arbitror, caulẽ habet subrufum, rotundũ, folium fœnigræci, in ambitu serratũ, flore luteo, odorato semine in siliqua lunata, vt picture luculenter ostendit. Tota etiã herba odorata est, vt hinc etiam conijcere liceat veram esse Melilotum. Melilotus Germanica. Italica.

LOCVS.

Germanica passim in pratis Germaniæ, montosis potissimum, nascitur. Italica in Germania, nisi sata fuerit, non prouenit. In campania verò circa Nolam, Dioscoride teste, copiosè nascitur.

TEMPVS.

Floret ferè per integram æstatem vtrunq; genus. Siliquas tamẽ in fine Iulij & Augusto men-

se proferunt.

TEMPERAMENTVM.

Mixtæ est facultatis: habet enim quiddam adstringẽs, sed & discutit et maturat: copiosior enim in ea est substantia calida quam frigida.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Melilotus adstringendi facultatẽ obtinet. Mollit omnes inflãmationes, præcipuè autem oculorũ, uteri sedis & testium in passo decocta & illita. Aliquando autem addito oui luteo assato, aut fœnigræci farina, aut lini semine, aut polline molario, aut capitulis Papaueris, aut Intypo Recentes meliceridas per se cum aqua, & achoras cũ creta Chia, & vino aut galla illita sanat. Stomachi dolorem cũ vino cocta, & cruda cum antedictis leuat Auriũ etiam dolores crudæ expressus succus, & cum passo instillatus sedat. Capitis dolorem lenit, cum aceto & rosaceo insperſa.

EX PLINIO.

Melilotos oculis medetur cum lacte, aut cum lini semine. Maxillarum quoq; dolores lenit, & capitis cum rasaceo: itẽ aurium è passo, quæq; in manibus intumescunt vel erũpunt. Stomachi dolores in vino decocta, vel cruda tritaq;. Idẽ effectus est ad vuluas. Testes verò & sedem prociduã, quæ ibi sunt vitia, recẽs ex aqua decocta, vel ex passo. A diecto rosaceo illinuntur ad carcinomata. Defruescit in vino dulci. Peculiariter & contra melicertidas efficax.

DE

DE MANDRAGORA. CAP. CCI.

NOMINA.

MΑνδραγόρας, ἢ κιρκαία Græcis, ἀνθρωπόμορφος Pythagoræ, Latinis canina aut terrestris malus. officinis Mandragora, Germanis Alraun (Gallicè Mandragore) dicitur. Qui Circæam vocarunt, nomen illi à Circe fecerunt, quoniam creditur radix eius ad amatoria cõducere. Pythagoras haud dubiè ab humana forma, quam radix eius referre videtur, Anthropomorphon appellauit. Hinc sumpta occasione, agyrtæ & impostores illi circũforanei radices humana effigie insignitas circumferunt: quas Mandragoras esse testantur, cùm tamen constet eas esse ficti tias, & manu factas ex cannarum radicibus humana specie sculptis, postea plantatis. Nascuntur autem subinde radiculæ paruæ, quæ repræsentant capillos, barbam, pectinis pilos, & ex terra eum acquirunt colorem, vt radices esse appareant. Sũt & alia multa quæ nebulones illi fabulantur, vt pecuniam ab imperitis extorqueant, quæ commemorare in præsentia nihil attinet. Terrestrẽ mãlum Romani dixerũt, quòd mala proferat, nec in altum vt reliquæ arbores surgat.

Circæa

Circæa quare dicta Mandragora.

Anthropomorphos cur nomiata.

Agyrtarũ cõmentũ.

Terrestris malus.

GENERA.

Duo Discoridi & Plinio Mandragoræ sunt genera. Mas candida est, μόριον Græci vocant. Huius hic effigiẽ, citra tamen poma, quæ habere nõ potuimus damus. Fœmina nigra, græcis θριδακία

Mas.

Fœmina.

Locus theophrasti ex tamen plicatu dificilis.

theo à similitudine foliorum appellata. Theophrastus lib. vi. de historia plantarum, cap. ij. tertium quoddam genus Mandragoræ constituere videtur, cuius fructus sit μῆλας, καὶ ῥαγώδης, καὶ δινώδης τῷ χυμῷ. hoc est niger, acinosus, & saporevinosus. Et nisi hoc genus à prioribus diuersum esse statuas, discrepare inter se non leuiter Theophrastum & Dioscoridem necesse est fatearis. Nã Dioscorides palàm asserit poma priorum duorum generũ vitellis ouorum esse similia, & pallida: contrà Theophrastus nigra, acinosa, vt diximus, & sapore vinosa esse tradit. Accedit quòd idẽ Theophrastus eodẽ loco Mãdragoræ caulẽ tribuat, pũde atq; Plinius, quẽ Dioscorides pemtus auferit: vt hoc nomine necesse sit hæc omnia ad tertiũ hoc genus Mãdragoræ referre, quod nos tamẽ insitã inter Solani genera recensebimus, vbi etiã eius picturam offendes.

Fœminæ.

FORMA.

Fœmina angustioribus & minoribus quã Lactuca foliis est, grauiter odoratis & virosis, per terram sparsis, iuxtaq; folia pomis vitellis ouis similibus, pallidis, odoratis, in quibus semẽ quale pyri, radicibus magnis, binis ternísue, sibi inuicem implicitis, in superficie nigris, intus cãdidis & crassi corticis. Caulẽ verò non fert. Maris folia sunt magna, cãdida, lata, læuia vt Betæ. Mala duplo maiora quàm fœminæ, croci colore, cũ aliqua grauitate odorata, quæ comedentes pastores quadantenus soporantur. Radix supradictæ similis, maior tamen

tamen candidorq;. Orbata & hæc est caule.

LOCVS.

Prouenit in syluis & vmbrosis locis. Nunc in hortis etiam plantatur.

TEMPERAMENTVM.

Mandragora vincentem habet facultatem refrigeratoriam, adeò vt tertij sit ordinis refrigerãtium. Veruntamen nõnihil etiam caloris inest. & in pomis humiditatis. Radicis cortex non tantùm refrigerat, sed & desiccat.

VIRES EX DIOCSORIDE.

Succus colligitur è cortice recentis radicis tuso & prelis subiecto, quem insolatum cum iam concreuerit, in fictili vase reponere oportet. Colligitur istidem è pomis succus, ignauior tamẽ. Delibratur radicis cortex, & traiectus lino ab vsum suspenditur. Quidam Mandragoræ radices in vino ad tertias decoquunt, & traiectum per colum ius seruant, vtentes cyathi vnius mẽsura in peruigilijs, & doloribus, & in his quos sine doloris sensu secare aut vrere voluerint. Potus oboloriũ duorum pondere cum mulsa aqua Mandragoræ liquor, pituitam, nigramq; biliẽ veratri modo purgat. Verùm maiore copia potus vitam adimit. Miscetur medicamentis ocularibus, & ijs quæ dolores finiunt. pessis quoq; emollientibus. Per se semioboli pondere appositus, mẽses & fœtus trahit. Sedi pro balano subditus somnũ facit. Radix ebur emollire fertur, si semis horis cũ eo decocta sit, & in quam vo-

luerit aliquis formam fingi & formari facilem reddere. Folia recentia, oculorum & quas vlcera excitarũt inflãmationibus cum polenta illita prosunt. Discutiunt eadem omnẽ durtiem, abscessus strumas, tuberculaq́; quinq́; aut sex diebus leniter confricata. Stigmata sine vlceratione delent. Folia condita sale seruantur in eosdem vsus. Radix autem trita ex aceto ignibus sacris, & serpentiũ ictibus ex melle aut oleo medetur. Strumas atque tubercula ex aquæ disijcit. Articulorũ dolores cum polenta sedat. Conficitur citra coctionẽ vinũ è cortice radicis. Ternæ minæ in vini dulcis metretam conijciũtur. Dantur ex eo terni cyathi, ijs qui secari, aut vri debent, vt antè dictum est. Siquidẽ nullo tunc afficiuntur dolore, eò quòd somno quodam pressi torpescant. Mala olfactu. & cõmesta soporem afferunt. Potest idem & eorum succus. Nimius tamen eorundem vsus obtumescere facit. Semen malorum potum vterum purgat, appositumq́; cum sulphure ignem non experto rubra fœminarum profluuia sistit. Colligitur ex radice liquor, ea scarificata multifariam, & eo quòd erumpit, in cauum vas recepto. Est autem liquor succo efficacior. Sed non ferunt omnibus locis liquorem radices, idq́; experientia ostendit.

EX GALENO.

Soporem conciliandi vim habent Mandragoræ poma. Radicis cortex valentissimus est, reliquũ quod intus est imbecillum existit.

EX

EX PLINIO.

Succus fit & è mâlis & è caule, deciso cacumine, & radice pũctis aperta aut decocta. vtilis hæc vel surculo. Concisa quoq; in orbiculos seruatur in vino. Succus non vbiq; inuenitur, sed vbi potest. circa videmias quæritur. Odor grauis eius, sed radicis & mali grauior. Mâla matura in sole siccantur. Succus ex ijs sole densatur. item radicis tusæ, vel in vino nigro ad tertias decoctæ. Folia scruantur in muriis efficacius, alias recentiũ succus pestis est: si quoq; vires noxiæ. Grauedinem afferunt etiã olfactu, quanquam mâla in alijs terris mandantur, nimio tamen odore obmutescunt ignari. Potu quidem largiore etiã moriũtur. Vis somnifica pro viribus bibentiũ. Media potio cyathi vnius. Bibitur & contra serpentes, & ante sectiones punctionesq;, ne sentiatur. Ob hæc satis est aliquibus somnum odore quæsisse. Bibitur & pro Eleboro duobus obolis in mulso. Ad strumas radix Mandragoræ ex aqua bibitur. Articulis prosunt folia cũ polenta, vel radix recens tusa cum cucumere sylue stri, vel decocta in aqua. Cum cerato apostemata & vlcera tetra, folia Mandragoræ recentia sanant. Radix vulnera cum melle aut oleo.

DE MALIS INSANIS.

CAP. CCII.

Poma amoris etiã hodie vulgò dicuntur, mâle hæc insana.

NOMI

NOMINA.

QVAE *mala insana hodie appellãtur, & à Neapolitanis* Melanzana, *ab aliis amoris poma, à Germanis verò* Melantzan (*Gallicè* Pomes damours) *num veteribus cognita fuerint asseuerare non ausim. Non latet tamen Hermolaum in Corollario suo in ea esse sententia, vt putet esse tertiam Mandragoræ speciem, quam* Morion *vocant. Quam tamen sententiam cur non probem, facit in primis Theophrastus qui lib. vj. de historia stirpium cap. ij. eius fructũ esse nigrum, acinosumq; scribit, qualia mala insana non sunt. Dein quòd Moryi fructus letalis sit, mala verò insana minimè, vt paulò pòst dicemus. Mala autem insana dicta sunt, nõ quòd letalia sint, sed quòd difficulter concoquantur. Amoris autem poma, quòd propter elegantiam & pulchritudinem digna sint quæ amentur.*

Mala insana nõ sunt tertia Mãdragoræ species.

Mala insana cur dicta.

Amoris poma quare vocata

GENERA.

Duo sunt malorum insanorum genera. Aliqua enim purpurea ferè tota, aliqua verò lutea, aut candorem aliquem præ se ferentia. Primi generis poma Germanicè braun Melantzan, *alterius autem,* geel Melantzan *vocantur.*

FORMA.

Mala insana in frutice nascũtur, qui Personatiã propemodũ caule & foliis refert. Differũt ab huius folia à Personatiæ, quòd longiora, magisq; laciniata sint. Floresh abet purpureos, speciosos, sex foliis è calatho stellatim radiatis. fructus oblongi

mali

mali forma & magnitudine, in quibus semen siliquastro non dissimile. Radicem multis capillamentam fibris luteamq;.

LOCVS.

In hortis apud nos seruntur, sed frequenter in fictilibus & pensilibus fenestrarum hortis. Et eodem cultu quo cucumeres & melones gaudent.

TEMPVS.

Floret Augusto & Septembre mẽsibus, ac fructum inde fructum profert.

TEMPERAMENTVM.

In his malis hauddubiè vt in cucumere esculento aut fungo, frigida & humida tẽperies superat.

VIRES.

Nullum, quòd sciam, in medicina vsum habẽt. Edũtur aũt à nonnullis ex oleo, sale & pipere fungorum modo cocta. Alij vbi paululum inferbuerunt igni, in orbiculos vel talcolas digerunt, & in acetarijs ex oleo, vel pipere & aceto comedũt. Sal gamarij in muria acida seruãt, cibo per hyemem & veroi grato, sed tamen qui ægrius concoquatur. Quid multa? delicatorum et omnia degustare volentium cibus est malum insanũ. Quare qui sanitatis studio aliquo tenentur, ij statim nomine ipso territi, vsum illorum euitabunt.

DE NYMPHAEA. CAP. CC.III.

NOMINA.

NYμφαια Græcis, Nymphæa Latinis, officinis Nenuphar barbara voce nominatur.

Germa

Nenuphar Nymphæa cur dicta.

Germanis Seeblum, Vuaffermahen (Gallicè Blanc d'eau, ou Jaulne d'eau.) Nymphæa autem nomen sibi vendicasse videtur, quòd aquosa amet loca: vel, vt ex veteribus aliqui fabulati sunt, à Nympha, quæ zelotypia Herculis intabuit & mortua est inq; paluſtrẽ hanc plantã mutata.

GENERA.

Candida.

Duo eius genera. Vna enim à flore candido, Lilÿ simili, candida appellatur Germanicè Vueiſz Seeblumen.

Lutea.

Altera itidem à floribus, qui lutei sunt, lutea nominatur, Germ. geel Seeblumen. Possent etiã radicibus discerni, cùm prior nigra, altera verò candida constet, adeò vt hoc nomine prima candida, altera aũt nigra diceretur. Multò verò cõsultius est à floribus, quàm radice discrimen sumere, quòd illi nũquam nõ oculis expositi sint, radices aũt non nisi effossæ intueri possint.

FORMA.

Prima, folia Ciborio similia habet, minora tamen & lõgiora, quadantenus super aquam eminentia, aliqua tamen etiam sub aquis, plura ab vna radice prodeuntia. Flos candidus, Lilio similis, in medio quòd croceum sit obtinẽs. Hic cũ defloruerit rotundus, & màlo circũferentia, aut Papaueris capiti similis, colore niger fit. In quo sanè semen clauditur nigrũ, latũ, densum, gustu glutinosum. Caulis illi læuis, minimè crassus, niger, Aegyptiæ fabæ similis. Radix nigra, aspera, clauæ persimilis. Hæ singulæ notæ alteri Nenuphari vocato qua

quadrant. Folio enim cõspicitur orbiculato, læui, herbaceo, amplo, in stagnantibus aquis supernante: flore candido, Lilio simili, in medio croceum habẽte, & cùm defloruerit capite Papaueris, in quo semen latũ, amarũ, pingue. Caulis gracilis est & læuis. Radix nigra & ampla, dulcis, nodosa, clauæ formã repræsentans. Altera folia antedictæ similia habet, sed radicẽ albã & asperam: florem luteũ, splendentẽ, rosæ similẽ. Quæ itidem notæ in vniuersum oẽs alteri Nenuphari, quæ luteis est floribus, respondent.

LOCVS.

Nascitur in paludibus & aquis stagnantibus.

TEMPVS.

Flores in fine Maij & Iunio mẽse colligũtur. Radices autem in autumno effodiuntur.

TEMPERAMENTVM.

Nymphææ tum radix, tum semen refrigerandi & citra morsum desiccandi vim obtinet.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Radix prioris sicca cũ vino pota, cœliacis & dysentericis pdest. Lienẽ absumit. Stomachi vesicæq; doloribus illinitur. Alphos ex aqua exterit. Alopecias cũ pice imposita sanat. Eadẽ contra Veneris insomnia bibitur, siquidẽ ea cõpescit. Paucis diebus, si quis continuò bibat, genitale infirmat. Idẽ semen potum efficit. Alterius quæ lutea dicitur, radix & semen contra muliebria profluuia ex vino nigro bibuntur.

EX GALENO.

Nymphææ radix & semen, ventris profluuia cohi

cohibẽt, semenq; genitale siue per somnia, siue alio pacto immodice profluens retinent. Iuuant dysentericos. Cæterùm Nymphea quæ candidam radicem habet, potentiorus est facultatis, vt & mulierbri profluuio medeatur. Verum & hæc, & ea quæ atram habet radicem, ex vino nigro austero bibitur. Porrò nonnullam etiam abstergendi vim obtinent, ita vt alphos & alopecias sanent. Ad alphos verò macerantur aqua, ad alopecias picis liquida. Sed ad hæc aptior est ea cuius radix nigra est, sicut ad alia, cuius alba.

EX THEOPHRASTO.

Nymphæa trita plagæ imposita sanguinem sistere traditur. Vtilis & ad difficultates intestinorum pota.

EX PLINIO.

Venerẽ in totũ adimit Nymphæa, semel in quadraginta dies pota. Insomnia quoq; Veneris à ieiuno pota, & in cibo sumpta. Illita quoque radix genitalibus, inhibet non solum Venerem, sed effluentiã genituræ: ob id corpus alere, vocemq; dicitur. Semen cum vino potum dysentericis auxilio est. Tenesmo radix eiusdẽ ex vino bibitur. In vino quoque pota lienem consumit. Dolores vesicæ sedat ex vino. Manantia sanat vlcera. Maculas oẽs emendat. Trita plagis imponitur. Vlceribus, priuatim ijs quæ calceamento facta sunt, prodest arida infricata.

DE NAPY. CAP. CCIIII.

NOMI

NONINA.

NAπυ, ἢ σίναπι Græcè, *Sinapis & Sinapi* Latinè vocatur. *Officinæ nomen retinuerunt. Perperam tamen faciunt, quòd altero genere pro Erucæ, quàm suo loco depinximus, vtuntur.* Germanicè Zam oder Gartensenff (Gallicè Seneue) *nominatur. Sinapis autem nomen è Græcia venit in Latium, censetq; dictum* Athenæus *libro. ix.* Dypnosoph. *Sinapi,* ὅτι σίναται τὰς ὄψεις ἐν τῇ ὀδμῇ, *hoc est, quòd olfactu luminibus officiat. Plæraque Græcia Napy nominat quasi Naphy, vt idem eodem in loco interpretatur, quoniam non sine natura sit, sed acri & proinde incommoda donetur. Alij napy per priationem videlicet* νάπιον, *quasi immite dici volũt quoniam acrimoniæ vehementis particeps sit.*

Officinarũ error.

Sinapis vnde dicta.

Napi cur vocatum.

GENERA.

Sinapis duo inueniuntur genera, foliis, floribus & semine distantia. Primum siquidem genus rapitiam frondem exprimit floremq; luteum obtinet, ac semen album profert. Nos à floribus luteis Germanicè geelen Gartensenff *nominauimus. Alterum in Erucæ folium lacinatur, floréque albicãte, & semine vesco pullóque constat. Nos genus hoc ab albicantibus floribus* Vueissen Gartensenff *appellauimus, vt esset huius aliqua ab Erucæ nomenclatura diuersitas, quam Germani simpliciter* Vueissen Senff *vocant.*

FORMA.

Primum caulem habet hirsutum, longum, ramosum, folia rapi, minora tamen & asperiora, flores luteos, siliquas rotundas ac hirsutas, plenas semine candicante. Alterum genus itidem hirsuto caule præditum est, minore tamen, foliis Erucæ, maioribus tamen ac latioribus, laciniatis, floribus albicantibus, crucisq; effigiem referentibus siliquis teretibus & oblongis, semine pullo rufescente ve refertis.

LOCVS.

Vtrunque in hortis satum prouenit. Et quãuis nullo cultu plærunque germinet terram tamẽ aratam & congestitiam magis amat.

TEMPVS.

Floret vtrunque Iunio ac Iulio mensibus, eodemq; tempore semen in siliquis suis profert.

TEMPERAMENTVM.

Sinapi calefacit & desiccat quarto ordine.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Calefaciendi, extenuandi & extrahendi vim habet. Commanducatum capitis pituitam elicit. Succus eius hydromeliti mixtus contra tonsillarum præduros tumores, ac veterem callosamq; arteriæ scabritiem cõuenienter gargarizatur. Tritũ naribus admotũ, sternutamenta ciet. Comitialibus quoque auxiliatur. Fœminas vuluæ strangulatu oppressas excitat. Lethargicis, deraso capite illinitur. Ficis admistum & impositum donec rubescat locus

cat locus, ad coxendicum cruciatus, lienes, & omnis generis diuturnos dolores confert, cùm permutandæ passionis causa ex alto in cutis superficiem aliquid trahere voluerimus. Alopecijs illitum meldetur Faciem purgat. Sigillata cum melle, aut adipe, aut cerato delet. Ex aceto contra lepras, et feras impetigines perungitur. Aridum contra febrium circuitus bibitur, aut potui polentæ modo inspersum. Extrahentibus emplastris scabiemq; extenuãtibus vtiliter admiscetur. Grauitati aurium & sonitui, tritum cum fico impositum prodest. Succus ad hebetudines oculorũ & palpebrarum scabritiem illinitur. Exprimitur autem ex viridi adhuc semine succus, & in sole siccatur.

EX PLINIO.

Sinapi Pythagoras principatum habere ex his, quorum sublime vis feratur, iudicauit: quoniam non aliud magis nares & cerebrum penetret. Ad serpentium ictus & scorpionum tritũ cum aceto illinitur. Fungorum venena discutit. Contra pituitam tenetur in ore donec liquescat, aut gargarizatur cum aqua mulsa. Ad dentiũ dolorem manditur. Ad vuam gargarizatur cum aceto & melle. Stomacho vtilissimum contra omnia vitia, pulmonibusq;. Excreatiões faciles facit i cibo sumptũ. Datur et suspiriosis. Itẽ comitialibus tepidũ cũ succo cucumerũ. Sensus atque sternutamenta capitis purgat aluũ mollit, menstrua & vrinã ciet, et hydropicis imponitur. Cũ fico &

cumino tusum ternis partibus comitiali morbo. Et vulnerum conuersionem suffitum excitat odore aceto mixto. Item lethargicos: & si vehementior somnus lethargicos premat, cruribus aut etiã capiti illinitur cum fico & aceto. Veteres dolores thoracis, lumborum, coxendicum, humerorum, & in quacunque parte corporis ex alto vitia extrahenda sunt, illitum caustica vi emendat pustulas faciendo. At in magna duritia sine fico impotum vel si vehementior vrigo timeatur, per duplices pãnos. Vtuntur ad alopecias cum rubrica, psoras lepras, phthiriases, tetanicos, opisthotonicos. Inungunt quoque scabras genas, aut caligãtes oculos cum melle. Succusq; tribus modis exprimitur in fictili, calefactiq; in eo in sole modice. Exit & è cauliculo succus lacteus, qui ita cùm induruit, dentium, dolori medetur. Semen ac radix cum immaduere musto, conteruntur, manusq; plenæ mensura sorbentur ad firmandas fauces, stomachum, oculos, caput, sensusq; omnes. Mulierum etiã lassitudines, saluberrimo medecinæ genere. Calculos quoque discutit potum ex aceto. Illinitur & liuoribus sugillatiq; cum melle & adipe anserino, aut cera Cypria. Fit & oleum ex semine madefacto in oleo expressoq;, quo vtuntur ad nervorum rigores, lumborumq; & coxendicum perfricliones.

EX SIMEONE SETHI.

Sinapi vim habet dissoluendi & discutiendi humi

humiditates quæ in capite & stomacho sunt. Cõfert etiam lienis affectibus ab humiditate & flatu procreatis. Item quartanis morbis, qui ex adusta pituita contracti sunt ad hæc & podagris à pituata facilis. Officit verò visui, & calido capiti, ac iecori. Aduuat cõcoctionem & distributionem ciborum crassarum partium. Minuit quæ in ventriculo sunt humiditates. Illitum lepris, eas in melius mutat. Linguas etiam humiditate grauatas siccat. Si cum melle sumatur, tusses resoluit. Cum caricis verò ischiadicis illitum, & lienosis vtile est: trahit enim q̃ intus sunt ad corporis superficiẽ. Suffitum verò & incẽsum, serpentes fugat.

DE NERIO. CAP. CCV

NOMINA.

Νεριον, ἢ ῥοδοδαφνη, ἢ ῥοδόδενδρον Græcis, Nericon & Rhododẽdrõ Latinis, Officinis & herbarijs Oleander, Germanis Olander, Gallis Rosage, ou Rosagine (dicitur. Rododaphnem autem Græci dixerunt à rosæ floribus & lauri foliis, quæ fruticis huius præcipuæ sunt notæ. Nec refert quòd Dioscorides amigdalæ folijs eius folia comparauerit, lauro enim & amygdalæ non dissimilis magnopere foliorum figura est. Fecit idem rosæ flos & arbor, vt eadem gens Rhododendrum nominauerit.

Oleander Rhododaphne cur dicta.

Rhododẽdros quare.

FORMA.

Notus frutex, amygdalæ longiora & crassiora folia habens, florem rosarum figura, fructum

amygdalæ similem, veluti cornu, qui de hiscens lanea natura plenus est, pappis achantinis simili. Radix illi est acuminata, longa, lignosa, gustanti salsa.

LOCVS.

Nascitur in hortis, maritimis, & secundum amnes locis.

TEMPVS.

Quo mense floribus & fructu prægnans sit Nerion, non satis constat: neq; enim vel flores vel fructus eius nobis videre licuit. Hinc est quòd etiam pictura quam exhibemus ijsdem careat.

TEMPERAMENTVM.

Nerium Arabes calefacere in principio tertij ordinis, & in secundo siccare tradunt.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Flores & folia canes, asinos, mulos & quadrupedes plurimos enecant: hominum vero cum vino pota contra venenatorum morsus præsidia salutaria sunt, præsertim si rutæ commiscueris. Infirmiora verò animãtia, vt oues caprasq; si aquam biberint in aqua folia eius maduerint, moriuntur.

EX GALENO.

Nerium aut Rhododaphne notus omnibus est frutex. Foris quidem illitus discutiendi vim obtinet. Intrò autem in corpus assumptus, perniciosus ac venenosus non tantùm hominibus, verumetiã plærisque pecudibus.

EX PLINIO.

Rhododendros ne nomen quidem apud nos invenit

inuenit Latinum: Rhododaphnen vocant, aut Nerium. Mirum folia eius quadrupedum venenum esse, homini verò contra serpentes præsidiũ, ruta addita, & è vino pota Pecus etiam & capræ si aquam biberint in qua folia ea maduerint mori dicuntur.

DE OXYACANTHA. CAP. CCVI.

NOMINA.

Berberis Oxyacantha vnde dicta.

Ὀξυάκανθα Græcis, Oxyachantha Latinis Officinis Berberis, Germanis Paisslocer, Saurich, Erbsel, Versich, (Gallis Espine uinette, ou du Berberis) vocatur. Haud dubiè Græci à spinarum acuminatis cuspidibus Oxyacantham dixerunt.

FORMA.

Syluestri pyro similis arbor est, sed minor & nimis spinosa. Fructum fert Myrto similem, plenũ confertumue, rubentem, fractu facilẽ, intus nucleos habentem. Radicem multifidam & altam. Huius delineationis notæ nulla prorsus reclamante, arbori quã vulgo Berberim barbara voce nominant, ad amussim respondent. Nanque arbuscula est pyri syluestris aspectu, sed humilior, ramis ex interuallo spinosis, folio lentè per ambitũ aculeato, acinis rubentibus, in pediculo iuxta & racemo pendulis, gustu acido & subaustero, duobus intus granis radice numerosa.

LOCVS.

Multis nascitur locis, syluis nempe, frutetis, cãpestribus, montanis, siccis & aquosis.

TEMPVS.

Germinat ineunte vere, ab occasu autem Veriliarũ fructifera. Per Septembrem itaq; ac Octobrem menses carpitur, campos syluasq; exornans.

TEMPERAMENTVM.

Oxyacantha astringit & desiccat, atq;, adeò quorundam sententia frigida & sicca in secundo est ordine. Fructus tamen tenuium est partium, & paululum quidam incisiuum habet.

VIRES EX DIOSCORIDE

Huius fructus potus & comestus, alui profluuium, & mulierem fluxum sistit. Radix trita & illita aculeos & spicula extrahit. Abortum facere tradunt si sensim venter ter radice feriatur aut perungatur.

EX GALENO.

Oxyacanthus arbor vt pyro syluestri similem habet speciem, ita & facultates minimè dissimiles. Quin & ipsi fructus, Pyri quidem syluestris prorsum atque absolutè austerus est, Oxyacanthes autem tenuium partium est, & modicè incidit. Porrò arboris huius fructus, pyri syluestris similis non est, sed Myrti potius fructus, rubens scilicet & † rarus. Habet verò & nucleos. Cæterum non tantum esus, sed & bibitus omnes fluxionũ affectus cohibet atque sistit.

† ἀδρὸς uidetur legendum, vt est apud Dioscor.

EX RECENTIORIBVS.

E baccis vinum exprimitur eodẽ ferè vsu, quo vinum ex malio punico. Conduntur item acini

vel

melle vel saccharo adrestrigendam sitim, depellē dam̃q; febricitantium malaciam, quorum morosum nimis palatum cibum ferre quemcunque reſpuit. Elangueſcãs appetentia grato huius acore recreatur.

DE OSYRIDE. CAP. CCVII.

NOMINA.

Ὄσυρις Græcis. Osyris Latinis, officinis Linaria, nonnullis herba virinalis appellatur. Germanicè FlaſchſzKraut, LynKaut, HarnKraut, Vnſer frauuen flachſz, Vuildflachſz, Krotenflachſz, NabelKraut. Linariam autem dixerunt recentiores à foliis quæ lini faciem referre videntur. *Linaria quare dicta.*

FORMA.

Virgultum ſarmentũmue nigrum eſt Oſyris, tenues virgas lentásq; habens. In quibus foliola ſunt terna & quaterna, modo quina, interim et ſena, ceu Lini nigra initio, dein colore mutato ſubrubeſcentia. Iam ſi rem diligẽter expendas, nullam delineationis notam Oſyridi traditam, in Linaria dicta hodie deeſſe reperies. Si quidẽ hæc cauliculis fruticat nigricãtibus, & qui ob ſuum lentorem haud facile franguntur, tenuibus, atris quoque foliis. Lini facie. Concolori denique ſemine tantiſper dum matureſcit, poſtquam ẽmaturuit rubeſcente. Seneſcentes quoq; ramuli nigritiã in ruborum vertunt. His accedit antiqui & manuſcripti herbarij teſtimoniũ, qui Linariam eã

esse herbam tradit, quæ Dioscoridi Osyris dicitur floreq; habere luteum inquit respondet etiam per omnia pictura.

LOCVS.

Passim in campestribus prouenit.

TEMPVS.

Floret æstate tota & autumno.

TEMPERAMENTVM

Osyridi amara inest qualitas, & obstructiones aperiendi, adeoq; vt calida sit necesse est. amara nanque, Galeno lib. iiij. cap. x. de simpl. medicamento. facult. teste qualitate prædita, omma calida sunt. Sic etiam eodem autore libro. v. cap. xi. eiusdem tractationis singula quæ poros & meatus expurgant, ab infarctuq; liberant medicamenta, calida sunt & tenuium partium. Vehementer itaque errant qui Linariam frigidam & humidam esse asserunt. Et certè præterea quæ iam dicta sunt, vel hoc vno argumento erroneam illorum sententiam confutare omnium maximè licebit. Cùm etenim Linariæ vrinam mouendi facultatem ineſſe scribant vulgares etiam herbarij colligitur illam non esse frigidam & humidam, quando Galeno libro iam citato cap. xij. attestante, omnia quæ vrinam ducunt ex acrium atque adeò calidorum & siccorum sint genere.

Linaria nõ est frigida.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Huius decoctum potum morbo regio affectos iuuat.

EX GALENO.

Osyridi, ex qua medicamenta ad exterendam lenigã

leuigandãq; cutem. Græci Κορήματα vocãt, fieri solent, amara in est qualitas, & obstructiones expediendi facultas: quare & in iecinore consistentes obstructiones adiuuat.

Κορήματα enim non solum scopas, vt quidam arbitratur: verumetiam Κόσμητρα, Suida & Phauorino testibus, hoc est comptoria & venustãtia faciem medicamenta Græci dixerunt: è quorum sane numero Osyris est, quæ cùm amara sit, extergere etiam quæ sunt in corpore facie potissimum, maculas potest. Hinc recte Plinius ex eius folijs mulieribus, vt pote quæ plus alijs comere et venustare faciem solent, smegmata fieri tradit. Additio.

EX AETIO.

Osyris est herba subfruticosa, tenuibus virgulis fractioni renitentibus, folijs Lino similibus, nigris primo, postea subrubescentibus, gustu amaris, vnde regio morbo conferunt.

EX PLINIO.

Smegmata mulieribus ex Osyridis folijs faciunt. Radicum decoctum potum, sanat arquatos. Eadem priusquam maturescit semen concisæ, & sole siccatæ, aluum sistunt. Post maturitatem verò collectæ, et in sorbitione decoctæ, rheumatismis ventris medentur, & per se tritæ ex aqua cœlesti bibuntur.

DE OCIMO. CAP. CCVIII.

NOMINA.

Ὤκιμον Græcis, Ocimum Latinis, recẽtiori bus

lus Græcis Βασιλικον id est, regium appellatur, quod nomen apud omnes nostræ ætatis herbarios & officinas vsurpatur. Sunt tamen quibus Ocimum gariophyllatum nominetur. Germanicè Basilien, vel Basilgram, (Gallicè du Basilic) dicitur. Ocimum autem quibusdam à nascendi celeritate dictum est, siquidem à satu tertio statim die emicat. Quod verius Ocimo videtur conuenire, quod pabuli & furraginis quoddam genus est, sic nominatum ab ὠκὺς Græca dictione, quæ citò significat. Proinde sunt qui significantius per χ. scribendum ducant Oximum, ab ὀξὺς quod redolere denotat, quoniã herba tota suauissimum spiret odorem. Ab eodem odore, quòd basilica & regia domo dignum sit, Basilicum hodie nuncupatur.

Oximum cur dictũ.

Basilicum

GENERA.

Sunt qui duo Ocimi comminiscantur genera: vnum latiora folia habens, quod priuatim Basilicum: alterum angustiora, quod Ocimum gariophyllatum appellãt. Nos tria tibi exhibemus ex vno promiscuè semine nobis nata. Primùm maioris discriminis ratione Ocimum exiguum, Germanicè Klein Basilien, nominauimus. Alterũ mediocre, Ger. Mittel Batel Basilien. Tertiũ magnum, Germanicè grosz Basilien vocauimus. Neque enim nisi foliis solis distare videntur quæ in primo genere exigua admodum sunt, in altero verò paulò latiora, in tertio primi respectu latissima. Odor aũt oĩbus tribus vnus idẽq; est.

FOR

FORMA.

Ocimū pedali altitudine prosilit, surculosum ramulis rotundis, folio Mercurialis, diluti viroris. Floret particulatim primò parte inferiore, deinde superiore: flosculo candido, semine pullo nigróve, cui cortex obducitur. Radix vna descendit in altitudinem, crassior & lignosa, cæteræ à lateribus funduntur exiles ac prolixæ.

LOCVS.

Passim in figulinis vasis mulieres extra fenestras ædium fouent Ocimum. In hortis etiam satum prouenit.

TEMPVS.

Iunio et Iulio mēsibus floret, dein semē producit.

TEMPERAMENTVM.

Ocimum ex secundo est ordine calefacientiū, cum excrementitia quadam humiditate.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Copiosē comestum oculorum aciem hebetat, aluum emollit, flatus mouet, vrinam cit, lac euocat ægréq; in ventre mutatur. Illitum cum polētæ farina, rosacco & aceto, inflammationibus, marinīq; draconis & scorpionis ictibus auxilio est. Per se autem cum vino Chio oculorum doloribus. Oculorum caligines succus eiusdē abstergit eorundemq; fluxiones exiccat. Semen potum quibus atra bilis gignitur, difficultati vrinæ, instatisq; conuenit. Olfactu per nares attractum, copiosa sternutamenta mouet. Quod idē herba effi-

cit.

cit. Porro instante sternutamento oculos comprimere oportet. Sunt qui Ocimum cauent minimeq; comedunt, quandoquidem manducatum, & in sole positum vermes gignat. Libyes autem adecerunt, quod si feriantur à scorpione, qui Ocimum ederint, nullo dolore conflictari.

EX GALENO.

Ocimum excrementitiam humiditatem habet, proinde nec commodum est quod in corpus sumatur. Cæterùm foris illitum, ad digerendum & cõcoquendum vtile est. Plarique hoc etiam vt opsonio vtuntur, ex oleo & garo offerentes. Vitiosioris autem succi est. Adimentiuntur ob hoc quidã dicentes si tritum fictili nouo indatur, celerrimè intra paucos dies scorpiones gignere, præsertim vbi quis quotidie ollam soli expositam calfecerit. Sed hoc sanè à vero abest. Id porrò verè de eo dixeris prauí succi, stomacho inimicum, & concoctu pertinax olus esse.

EX PLINIO.

Ocimum Chrysippus grauiter increpuit, inutile esse dicens stomacho, vrinæ, oculorum quoque claritati. Præterea insaniam facere, & lethargos & tecinoris vitia ideoq; capras id aspernari: hominibus quoque fugiendum censet. Adjiciunt quidam tritum si operiatur lapide, scorpionẽ gignere commanducatum, & in sole positum vermes afferre. Alij verò, si eo die feriatur quispiã à scorpione, qui ederit Ocimum sanari non posse

Quini

Quinimo tradunt aliqui, manipulo Ocimi cũ cãcris decem marinis vel fluuiatilibus trito, conuenire ad eũ scorpiones à proximo omnes. Diodotus in empiricis, etiam pediculos facere Ocimi cibũ. Secuta ætas alacriter defendit, nam id esse capras nec minus quàm mentham & rutham scorpionũ terrestriam ictibus, marinorumq; venenis mederi cum vino addito aceto exiguo. Vsu quoque compertum, deficientibus ex aceto odoratum salutarẽ esse. Item lethargicis, & inflammatis refrigerationi. Illitum capitis doloribus cum rosaceo, aut myrteo, aus aceto. Item oculorum epiphoris impositum ex vino. Stomacho quoque esse vtile, inflationes & ructum ex aceto dissoluere sumptum aluum sistere impositum. Vrinam ciere. Sic & morbo regio & hydropicis prodesse. Coleras eo & destillationes stomachi inhiberi. Ergo etiam cœliacis Philistio dedit, & coctũ dysentericis & colicis Pliſtonicus. Aliqui & in tenasmo, & sanguinẽ excreantibus, in vino. Cõtra duritiam præcordiorum illinitur mammis. Extinguit quoque lactis proventum. Auribus vtilissimum infantiũ, præcipuè cum adipe anserino. Semen tritum & haustum naribus, sternutamenta mouet, & destillationes capiti quoq; illitum. Vuluas purgat in cibo ex aceto. Verrucas mixto attramento sutorio tollit. Venerẽ stimulat. EX SIMEONE SETH.

Basilica ocima olfacta cor & caput iuuant. Si aqua irrigantur, humidiora fiunt, & somnum

conciliant. Semen eorum cardiacis affectibus succurrit. Animi mœrorem ex atra bile ortã, in hilaritatem & latitiam mutat.

APPENDIX.

Vides in referendis Ocimi facultatibus non parum inter se dissentire Dioscoridem, Galenum et Plinium, ita vt vix pugnantes illorũ sententias conciliare possis. Quare consultũ erit vt hic quẽadmodum in alijs etiam, Galeni amplectaris opinionem, qui quodammodo inter hos medius interiectus cõmendat exteriorem eius vsum in his quæ Σύμπτωμα, καὶ διαφθοράν, id est, concoctionẽ & discutionem desiderant. damnat verò internũ ob excrementitium humorem quo gravat & lædit interanea. Et ad hunc etiam scopum respiciẽs plarasq; alias Dioscoridis & Plinij contradictiones tollere poteris.

DE ORIGANO. CAP. CCIX.

NOMINA.

Origanũ vndecimũ

Ὀρίγανον Græcis, Origanus vel origanũ Latinis, officinis nomen suũ retinuit, Germanis Vuolgemut, Dosté, Braundosten vel Bergmuntz (Gallis Marioleine d'angleterre) nominatur. Origanum verò quòd mõtibus gaudeat appellationem apud Græcos invenit, ἀπὸ τοῦ ὄρους, id est, monte, & χαρᾶς gaudio. Herodianus quòd visum exacuat nomẽ duxisse testatur, ab ὁρᾶν videre, & γανῶ clarifico, quasi aciem oculorũ illustrãs. Theodorus grãmaticus

ticus nomen ex aduerso datum putat, à ῥιγῶ, quod est algeo, fieri ῥίγανον, quasi rigens, censet, & tandem ascita litera principe, o, in Origanum esse conflictum, contrario tamen sensu, quòd minimè refrigeret.

GENERA.

Origani genera seu rectius cognomina quatuor esse constat. Est enim Heracleoticum, Onitis Tragoriganum, & syluestre. Primum ab Heracleæ Ponti dictum, cætera à pecoribus cognomenta desumpserunt. Onitis quod ab asinis impetere tur, ac in cibo gratum esset. Tragoriganum, quasi hircinum Origanũ, non alia forsitan ratione quam quòd eius pabuli voluptate animal hoc caperetur. Syluestre, quod sine cultura, & sua sponte prouenit at, cognominatum fuit. Cæterùm quũ in tanta cum nomen clationum, tum historiæ ambiguitate varietaq; tam Græcorum quàm Latinorum non facile sit quicquam in solidum de his statuere, satis sit vnum genus, syluestre nimirum & vulgare, pro omnibus pictum exhibere, quòd vt Paulus ait, vtcunque nominibus distinguãtur, vna tamen omnium sit facultas, adeóque in re admodum incerta, multum operæ aut laboris temerè insumere minimè necessarium putaui,

Heracleoticum.

Onitis.

Tragoriganum.

Syluestre.

Vulgare.

FORMA.

Origanum vulgare fruticulus est, tam foliis quàm ramis Serpyllo syluestri similis, comãte supra cacumen vmbella, in qua flores haud secus quam in Serpillo in albo purpurei, odore iucundo

P præ

præditi emicant. Ex qua sanè delineatione satis liquet, Origanum hoc vulgare, Tragoriganum vel saltem eiusdem speciem quandam esse, quòd hoc vt Dioscorides refert foliis & ramulis syluestri Serpyllo simile existat.

LOCVS.

Montibus cluosis q; locis gaudet Origanum nostrum, passim q; in his propter sepes nascitur.

TEMPVS.

Floret Iulio mense.

TEMPERAMENTVM.

Omnes origani species, Galeno & Paulo testibus, calefaciunt & exiccant in tertio ordine.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Heracleoticum excalfacit, vnde decoctum eius cum vino potum venenatorum morsibus prodest: cum passo autem iis qui cicutam, aut meconium: cum oxymelite iis qui gypsum aut ephemerũ hauserunt. Raptis conuulsis, hydropicis cum fico manditur. Aridum acetabuli mensura potũ cũ aqua mulsa, atros humores per aluũ ducit mensesq; ciet. Linctum ex melle tussibus medetur. Prurigines itidem scabies: regiumq; morbũ decoctum eius cũ in balnea descẽsum est iuuat. Succus eiusdẽ adhuc virentis tonsillas, columellas, oris q; vlcera sanat. Per nares cum oleo irino infusus trahit. Cũ lacte aurium dolores mitigat. Conficitur ex eo & cepis, & rhu obsoniorum vomitorium medicamentum, omnibus iis in ære Cyprio sub canis ardenti æstu

ti æstu per quadraginta dies insolatis. Herba verò substrata serpentes fugat. Onitis eadem quæ Heracleoticum Origanum præstat, non tamen eadem efficatia Syluestre priuatum foliis & floribus cum vino potis, venenatorum morsibus auxiliatur. Omnia autem Tragoriganu genera calefaciunt, vrinam mouent, bonam faciunt aluũ, si decoctum eius bibatur: biliosa enim deijciunt. Lienosis cum aceto pota vtilia: cum vino autem his qui Ixiam hauserunt. Menses ducunt. Tussientibus peripneumonicis, ex melle in ecleg mate dantur. Est & efficax potio, quare cibum fastidientibus, & stomacho male affectis, & acida ructantibus datur. Item ijs quibus † a maris tactatione nausea, & hypochondriorum calor excitatur. ædemata cum polenta illita discutiunt. † aliàs repletione,

EX GALENO.

Origanus Heracloetica efficacior est Onitide Syluestris verò vtraq; valentior. Omnes autẽ incidendi, extenuãdi & calfaciẽdi facultẽ obtinẽt. Tragoriganus quippiam etiam adstrictionis assumpsit.

EX PLINIO.

Origani priuatim vsus contra torsiones stomachi in tepida aqua: & cruditates. Contra araneos scorpionesq; in vino albo Luxata & contusa in aceto et oleo & lana Tragoriganũ vrinã ciet tumores discutit, contra viscũ potũ viperæq; efficacissimũ, stomachóq; acida ructanti et præcordijs. Tussientibus quoque cum melle datur &

pleuriticis, & peripneumonicis. Heraclium serpentes fugat. Percussis esui datur decoctum. Potu urinam ciet. Ruptis, convulsis medetur cum panacis radice. Hydropicis cum fico, aut cum hyssopo, acetabuli mensuris decoctum ad sextam item scabiem, prauiginem, psoras, in descensione balnearum. Succus auribus infunditur cũ lacte mulieris. Tonsillis quoque & vuis medetur. Capitis vlceribus. Venena opij & gypsi extinguit decoctum, si cum cinere & vino bibatur. Alvum mollit acetabuli mensura Sugillatis illinitur. Ité dentium dolori, quibus etiam & candorem facit cũ melle & nitro. Sanguinem narium sistit. Ad parotidas decoquitur cum hordeacea farina. Ad arterias asperas cum gallo & melle teritur. Ad lienem folia cum melle & sale. Crassiores pituitas & nigras extenuat coctum cũ aceto & sale sumptum paulatim. Regio morbo tritum cum oleo in nares infunditur. Lassi perunguntur ex eo, ita vt ne venter attingatur. Epinyctidas cum pice sanat. Furunculos aperit cũ fico trita. Strumas cũ oleo & aceto & farina hordeacea. Lateris dolores cum fico illitum. Fluxiones sanguinis in genitalibus tussim ex aceto illitum. Reliquias purgationum à partu.

DE ORCHI. CAP. CCX.

NOMINA.

Ὄρχις ἢ κυνὸς ὄρχις Græcis, Orchis & Cynosor

noſorchis Latinus, Teſticulus canis officinis, Germanis Knaben Kraut, (Gallis Du Satyritiũ) vocatur. Orchis dicta hæc verba eſt, quòd radices ſibi inuicẽ haud ſecus atq; duo teſticuli cohæreãt. Cynoſorchis verò, quòd canum teſticulis ſimilem radicem habeat. Teſticulus canis. Orchis cur dicta. Cynoſorchis.

GENERA.

Orcheos duo eſſe genera animaduertimus, marẽ nimirũ & fœminã. Mas in vniuerſum maior quàm fœmina procerior q; eſt, vt pictura ipſa pulchre declarat. Eſtq; duorũ generũ. Vnũ latioribus folijs & candicantibus ferè floribus, quod Orchin marem latifoliam vocauimus. Alterũ quod angustioribus folijs, & maculoſis magis, floribus q; purpureis conſtat. Nos maioris diſcriminis rationẽ habẽtes, Orchin marẽ angustifoliã nuncupauimus. Fœmina itidem duorũ eſt generũ: vna enim maior, altera minor eſt, vt pictura ſatis demonſtrat.

FORMA.

Folia habet circa caulẽ & ima eius parte per terram ſtrata, oleæ molli ſimilia, angustiora tamen, leuia & longiora. Caulem dodrantali altitudine, in quo purpurei flores. Radicem bulbo ſimilẽ, oblongã, duplicẽ. in modũ oliuæ anguſtam, ſuperiorem alteram, inferiorem alteram: & hanc quidem mollem ac rugoſam, illam verò plenam.

LOCVS.

Naſcitur locis. Dioſcoride autore, petroſis & arenoſis. In Germania certè noſtra in hortis &

pratis, locisq; sabulosis copiosè prouenit.

TEMPVS.

In Maio & Iunij principio carpitur.

TEMPERAMENTVM.

Radix eius maior calida & humida est, gustantibusq; dulcior est apparet. Minor admodum elaborata est, ad calidius siciusq; tendit.

VIRES EX DIOCORIDE.

Radix editur vt bulbus cocta. Fertur de ea, si maiorem edant viri, mares generari: minorem verò fœminæ, fœminas. Addunt etiam in Thessalia mulieres paruam cum caprino lacte bibendam dare, vt ad venerea excitent: aridam verò ad inhibenda atque dissipanda. Alterum etiam alterius potu resolui.

EX GALENO.

Radix maior Orchios multam videtur habere humiditatem excrementitiam & flatuosam: quâ propter potu Venerem excitat. Altera verò, minor videlicet, contrà non modo non stimulat ad coitũ, sed planè cohibet ac reprimit. Eduntur bulborum more assæ.

EX PLINIO.

Tumores & vitia partium earum erumpentia, cum polenta illita radix sedat, vel per se trita. Eadem ex lacte ouillo neruos intendit, & ex aqua remittit.

DE ORCHI SERAPIADE.

CAP. CCXI.

NO

NOMINA.

Ορχις σεραπιας, ἢ τριορχις, Paulo & Aëtio testibus, Græcis dicitur. Orchis siue testiculus Serapias Latinis. Officinæ eius cognitionem non habent. Germanicè Raguurtz, (Gallicè Espece de Satyrium qui à trois racines bulbues) dicitur. Serapias autem ab Andrea medico ob multos radicis vsus, vt inquit Dioscorides, appellata est. Sunt qui à Sarapi Alexandrinorum deo nominatam velint, propter lasciuiam impudentem, quam is deus Canopi, vbi templum & cultu & religione excellēs habebat, colebatur: de quo Strabo in. xvij. suæ Geographiæ libro Triorchis verò, manifesto ex ea appellatione argumento, quod non duabus, sed tribus testiculatis radicibus in terra nitatur. Quæ vna quidem re facilè à prioribus discriminantur Orchibus.

Serapias quare dicta.

Triorchis cur dicatur.

GENERA.

Duo esse Orchis Serapiadis seu Triorchis genera, res ipsa satis monstrat. Etsi enim in foliis ac radicibus nihil aut parum discriminis habeant, tamen in floribus manifestè differre videntur. Nam alterum genus, quod nos marem vocamus, floribus constat purpureis, & parumper albicantibus. Alterum verò, quod nos vt certius à priori discerneretur, fœminam nominauimus flores obtinet diuersis coloribus distinctos, purpureo videlicet, candido, viridi ac nigricante, in-

Triorchis mas.

Triorchis fœmina.

ferioreq; parte fuciplanè effigiem exhibent.

FORMA.

Folia habet porrò similia, oblonga, latiora & pinguia. in alarum cauis inflexa. Cauliculos dodrantales, subpurpureos flores. Radicem minimis testiculis similem.

LOCVS.

Prouenit in pratis & campestribus.

TEMPVS.

In fine Maij mensis & initio Iunij hoc genus apparet, dein nusquam inueniri potest.

TEMPERAMENTVM.

Valentius quàm primo ordine exiccat.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Radix illita tumores disijciendi vim obtinet, atq; vlcera expurgat. Herpetas cohibet. Fistulas abolet, inflammatione laborantia illita mitigat. Sicca nomas compescit, vlceraq; putrescentia & maligna oris sanat. Cum vino pota aluum sistit. Feruntur de hac etiam quæcunq; de Cynosorche dicta sunt.

EX GALENO.

Orchis Serapias ad Venerē non similiter accōmodus est. Oedemata illitus discutit, & vlcera sordida purgat, et herpetes sanat. Siccatus multò magis desiccat, adeò vt & putrescentia cōtumaciaq; vlcera sanet. Habet etiam quippiam subadstringens, ac proinde ventrem in vino potus sistit.

EX

EX PLINIO.

Eius radices sanant oris vlcera, thoracis pituitas, aluum sistunt è vino potæ.

DE OENANTHE. CAP. CCXII.

NOMINA.

Οἰνάνθη ἡ, Λευκάνθος Græcis, Oenanthe Latinis, Filipendula officinis, & Saxifraga rubea, Germanis ROT Steinbrech nominatur. Oenanthe autem dicta haud dubiè est quod cum vino floreat. Leucanthon verò à florum quos producit candore. Filipendulam à numerosis illius & rotundis in radice capitibus tuberibusue, quæ quasi ex filio quodam pendere videntur, appellatam esse constat.

Saxifraga rubea.

Oenanthe quare dicta.

Filipendula.

FORMA.

Folia Pastinacæ syluestris habet: flores candidos, caulem crassum, dodrantalē. semen Atriplicis radicē magnam, multa habentē capita rotunda. Ex qua descriptione palam apparet, Oenanthen eam esse herbam, quam ætas nostra Filipendulā vocat, quòd nulla prorsus sit nota quæ illi nō conueniat. Folijs enim Pastinacæ erraticæ est, quæ planè eius herbæ quæ vulgò Petroselinon hodie appellatur foliȳs similia sunt. Hinc est quòd in vulgaribus herbarijs scribatur folia Petroseāno similia habere: quāuis Staphylino legēdum esse putē. Manuscriptus etiam herbarius Filipendulā folia Dauci agrestis habere tradit. Flores denique illi albi, caulis crassus, dodrantalis, Atriplicis semen.

Radices quoq; multa. quinq; interdũ aut sex. nunquam etiam plura capita rotunda, tanquam à filo pendẽtia, vt ait antiquus herbarius, habentes: ita vt hinc esse Oenanthen abũdè constet. Sed demus nõ esse, nihil tamen inde periculi erit, quòd scilicet Oenanthe easdẽ quas Filipendula, sicut expaulò post dicendus patebit facultates obtineat.

LOCVS.

Nascitur in petris & montibus asperis. Tubingæ certè in monte Austriaco nominato copiosissimè prouenit, & in sylua non procul ab arce eius oppidi distante.

TEMPVS.

Iunio mense floret, quo sanè tempore, quia facilè ex floribus agnoscitur, carpi potest. Radices tamen inter autumni initia colligendæ erunt.

TEMPERAMENTVM.

Amara admodum est Filipẽdula, ita vt nõ temerè hanc recentiores calidam & siccam in tertio ordine statuant.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Oenãthes semen, caulis & folia cum mulso adcundas ejciendas bibuntur. Radix cum vino contra stranguriam conuenit.

EX PVALO.

Oenanthe secundas ejicit, vrinæ stillicidio, morboq; regio medetur.

EX PLINIO

Caulis eius & folia cum melle ac vino nigro pota,

pota, facilitatem pariendi præstant, secundas q; purgant. Tussim è mielle tollunt. Vrinam cient. Radix vesicæ vitijs medetur.

EX RECENTIORIBVS.

Filipendula in lotij stillicidio & vrinæ remoratu, neq; non renum doloribus, atq; lapide eorundem, conuenit. Eadem stomachi inflationes discutit, medetur & suspiriosis & anhelantibus, & omnibus morbis quos causa frigida concitant. Farinam eiusdem cibis comitialium inspergunt.

DE OXY. CAP. CCXIII.

NOMINA.

Trifolium acetosum.

Alleluya

Panis cuculi.

Oxys quare dicta.

OXys Græcè, Oxys Plinio & Latinis, Trifolium acetosum & Alleluya officinis, vulgò Panis cuculi, vel quòd cuculus auis eo vescatur, vel quia hoc erumpente, cuculus vocem suam ædere incipiat Germanis Saurerklee, Buchklee, Buchampffer, Buchbrot, Gauchklee, Gucrgauchklee & Hasenklee (Gallis Pain à Coqu) appellatur. Oxys verò ab acido sapore dicta est.

FORMA.

Humilis herba est, lõgis tantùm pediculis. tria summatim folia perinde atque Trifolium profe-rens, exigua, & in cacumine laciniata, sapore acido. Florem habet candidũ, in simplici stylo inter folia prosilentem: rusum in lunatis siliquis semen. Radicem in transuersum longam, geniculatam ac rusam. Antiquus & manuscriptus herbarius putat hanc herbam esse Lotum satiuã, cuius certè

sen

sententiam, quòd à Dioscoride non describatur Lotus, neq; probo neq; improbo. Cur tamen non sequar, facit quòd herba quam Alleluya barbari vocant, non sit satiua, sed passim in syluis & alijs locis vmbrosis nascatur fisturæ tẽpestatis prænuntia. Siquidem appropinquante aliqua tẽpestate, arrigitur contrà tanquam tẽpestati colluctatura.

LOCVS.

Multis locis prouenit: nam in syluis circa petrosa & aquea loca nascentem cõspeximus. Nullibi autẽ copiosiorem quàm Tubingæ in primo statim conscensu montis Austriaci ad dextram prouenire vidimus.

TEMPVS.

Aprili at q; interdũ Maio mẽse floret, dũ scilicet cuculi vox primùm exauditur, at q; hinc Cuculi panẽ dicta esse puto, vt dictũ est antea. Obseruatum aũt est à nobis. at q; adeò multorũ aliorũ experientia cognitũ, quòd eius herbæ copiosi flores, crebras illius anni pluuias, & aquarũ inundationes certò protendant: pauci contrà siccitatem.

TEMPERAMENTVM.

Quum acidum in gustu saporem præ se ferat, idem cum Oxalide habere temperamentum, frigidum nempe & siccum, euidentissimum est.

VIRES EX PLINIO.

Datur ad stomachum dissolutum, edũt & qui enterocœlen habent.

EX

Vlceribus, vulneribus & fistulis, potissimum autē oris, medetur. Sitim arcet, & vt summatim dicam, easdem quas Oxalis, acetosam nostri nominant, facultates obtinet.

DE OPHRI, CAP. CCXIIII

Ophris vulgo Elleborus albus dicitur, pratensis herba quæ præcedunt, aut nobis sunt, nomen retinēt, ob id à nobis omissæ.

NOMINA.

OPHRIN hāc herbam nominare placuit, quod inuenerim plantam binis duntaxat foliis constantem hac appellatione insignitam. Germanicum nomen nullum extorquere potuimus: neq; enim ea est quæ Durchwuachs, hoc est, Per foliata vocatur, ideoq; hanc à geminis foliis zweyblats nominauimus.

FORMA.

Caulem à radice singularem ac rotundū emittit, per bina quæ tantùm habet folia penetrantē, à cuius medio ad summū vsq; calyculi multi sunt, & in his veluti linguæ dissectæ nutantes flosculi. Radix verò illi subest tenuis, adnascentes sibi radiculas multas, obliquas & odoratas obtinens.

LOCVS.

Nascitur in montibus, & nullibi maiori copia quā Tubingæ in pede montis Austriaci prouenit.

TEMPVS.

Maio & Iunio mēsibus floret, deinde statim euanescit.

nescit. Quapropter hoc potissimum tempore colligenda.

TEMPERAMENTVM.

Gustanti glutinosa esse apparet, & quodãmodo dulcis, ideoq; calidã & siccã esse cõijcere licebit.

VIRES.

Iuxta dictarum qualitatum mistionem contrahendi & constringendi facultate præditum esse nemini nõ constat. Hinc est quòd ad rupta & vulnera conglutinanda hac herba commodè vtantur recentiores.

DE ORMINO. CAP. CCXV.

Orminum oruale quod aurum valet & toute bõne ab insigni virtute Gallis dicitur.

NOMINA.

Gallitricũ orminon cur dictũ.

Ορμινον Græcis, Orminũ & Geminalis Latinus, Gallitricũ officinis, Germanis Scharlach (Gallicè Asparge sauluaige, ou Oruale) appellatur. Orminon autem Græcus haud dubiè dictum est, quia Venerem extimulat.

GENERA.

Ormini duo sunt genera. vnum satiuũ, quod Gallitricum simpliciter nominant, & Germanicè Scharlach. Alterum syluestre, quod alio nomine Saluiam syluestrem herbarij vocant. Germani Vuilden Scharlach, oder Vuilde Salbey.

Saluia syluestris.

FORMA.

orminum satiuum.

Orminum satiuum herba est foliis Marrubio similis, caule quadrangulo, semiculitali, circa quẽ emi

eminentiæ siliquis similes prodeunt, ad radicem versus mutantes, in quibus semen est. Ex qua delineatione abundè liquet herbam quam hodie Gallitricum vocant, esse orminum satiuum: hæc enim foliis Marrubio similis est, nisi quod sunt maiora & mirificè odorata: caule semicubitali, quadrangulo, ab imo rufescente, calyculis circa caulem siliquarum effigie prominentibus, & ad radicē deorsum spectantibus, in quibus semen nigrum & oblongum includitur: flosculis in candido purpureis, aut in dilutum ruborem inclinatis. Sylvestre priori non admodum dissimile est, foliis satis ad Saluiam accedentibus, rugosaq; asperitate præditis: caule sesquipedali, leniter hirsuto, in quadrangulum striato: floribus è cæruleo in purpureum vergentibus, ad aquilini rostri effigiem falcatis, calyculis pluribus in terram inclinatis, in quibus ad summum quatuor semina, parua, rotunda & fuscescentia reperiuntur. Sylvestre.

LOCVS.

Satiuum nusquam non in hortis satum prouenit. Sylvestre autem passim omnia prata exornat, suaq; sponte in ijs nascitur.

TEMPVS.

Vtrumque Iunio mense floribus & semine prægnans est.

TEMPERAMENTVM.

Orminum calidū & mediocriter siccum est, id quod amaritudo atque adstrictio in gustu satis

mon-

monstrant.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Creditur semen satuì cum vino potum Venerem stimulare. Cum melle argema & oculorum albugines purgat. Illitum cum aqua œdemata discutit. Surculos extrahit. Herba ipsa illita eadem potest, Sylvestre vehementiorem facultatem habet, quare vnguentis miscetur.

EX PAVLO.

Orminon Venerem stimulat, oculorum crassities cum melle repurgat, œdemata discutit, & extrahit aculeos. Sylvestre domestico est valentius.

EX PLINIO.

Semen ad Venerem stimulandam, & ad oculorum argema & albugines valet. Vtroq; genere tuso extrahuntur aculei ex corpore, per se illito ex aqua. Folia ex aceto imposita, panos per se vel cum melle discutiũt. Item furunculos, priusquam capita faciant, amnesq; acrimonias.

EX RECENTIORIBVS.

Recentiores etiam eadem facultates suo Gallitrico attribuunt: potissimum autem conferre ad albugines & oculorum caliginem tradunt, vt hinc etiam colligi possit, herbam hanc Orminon esse Dioscoridis. DE OROBO. CAP. CCXVI.

Eruum prius semine in cunei modum figurato, cicercula magis videtur.

NOMINA.

Pos. Græcis, Eruũ Latinis dicitur. Offi-

cina

cinæ Græcam appellationem retinuerunt. Germanis Eruen (Gallis noer Vesse, ou des ers) ad imitationẽ Latini nominis appellari possunt.

GENERA.

Duo sunt Genera Erui: vnum enim candidũ, alterum autem rusum inuenitur. Nec inter se nisi floribus & radicibus differunt, quemadmodũ pictura affabrè monstrat. Rusum verò syluestre est, sua quæ sponte in aruis & inter dumeta prouenit.

FORMA.

Exiguus frutex est, tenuis, angustis foliis, floribus vel candidis, vel in candido cœruleis aut puniceis, seminibus in siliquis sine septo cylindraceis quemadmodum ipsa, se inuicem tangentibus.

LOCVS.

Lætatur loco macro, non humido, quia plærunque luxuria corrumpitur.

TEMPVS.

Floret Iunio & Iulio mensibus ijsdemq; semina profert.

TEMPERAMENTVM.

Desiccat quidem Eruum excessu secundo intenso, calefacit verò primo.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Capitis grauitatem facit Eruum, ventrẽ turbat, sanguinemq; per vrinam ducit si comedatur Coctũ tamen appositum boues saginat. Farina eius bonam facit aluum, vrinam ciet, corporis colorem commendat. Frequentior in esu aut potu san-

guinem cum torminibus per aluum & vesicam ducit. Vlcera cum melle purgat, & lentigines, & aspredinem cutis in facie, eiusdemq; maculas & reliquum corpus. Nomas, gangrenasq; cohibet, & mammarum duritias emollit. Fera vlcera, carbunculos, fauosq; rumpit. In vino macerata canum hominum, viperarumq; morsus illita sanat. Cum aceto autem difficultates vrinæ, tormina & teneſmos lenit. Prodeſt etiam ijs qui cibo non nutriuntur, nucis magnitudine frixa & cum melle ſumpta. Decoctum eius fouendo pernio nes, & in corpore pruritus ſanat.

EX GALENO.

Orobus quatenus amaritudinis eſt particeps, eatenus incidit, extergit atque obſtructiones expedit. Cæterùm ſi ſumatur copioſè, ſanguinẽ per vrinas euocat. Hominum cibis prorſus hoc ſemen dãnatur: eſt enim & inſuauiſſimum & prauiſſucci. Eruo autẽ inſtar lupini præparato ex melle vtimur, vt medicamento craſſos pulmonis thoracisq; humores expurgante. Candidum minus eſt medicamentoſum, quàm id quòd ad flauum aut pallidum colorem tendit.

DE OROSELINO.

CAP. CCXVII.

NOMINA.

Apiũ montanum.

Ὀροσέλινον, ἄγριον σέλινον Græcis. Syluestre Petroſelinum & Apium montanum Latinis, officinis & barbarã ſectantibus medi

medicinam Petroſelinum dicitur. Id quod hinc accidiſſe puto, quòd linguæ Græcæ inſcitia, Oreoſelinum dictionem in Petroſelinum mutauerint: vel quia ſimpliciter enuntiauerint quod cum adiectione nominandum erat Petroſelinum ſyluestre, ad differentiam nimirum Macedonici, quod verè eſt Petroſelinum veterum. Ger. Peterſilgē vocāt Nos teutſch peterſilgen, oder petetlin (Galli du Perſil des montaignes) nominauimus, vt diſcerneretur à Macedonico, de quo ſuo dicemus loco.

Petroſelinū officinarum.

Petroſelinum ſylueſtre.

FORMA.

Caulē habet vnū dodrantalē à radice tenui exeuntem, circa quem ramuli & capitula Cicutæ ſimilia, multò tamen tenuiora. In his ſemē obiongū, acre, tenue, odoratū, Cumino ſimile. Ex qua ſanè deſcriptione ſole clarius apparet, Patroſelinū officinarū eſſe Oreoſelinum veterum. caule enim vno prouenit dodrantali ex radice pertenui, qui per ambitum ramulos ſpargit capitulis Cicutæ, tametſi multò tenuioribus: in ijs ſemē, acrimoniā guſtu præferēs, odoratū, tenue, cumino proximū. Neq; obſtat quod in pleriſq; exemplaribus Dioſcoridis capitulorum Papaueris fiat mentio: error enim haud exiguus ſubeſt, quòd ſcilicet non μηκωνίῳ παραπλησίᾳ, hoc eſt, Papaueri ſimilia, ſed μηκωνιωδὲς eſt, Cicutæ legēdū ſit. Id quod in primis cōfirmāt ea quæ ſcribit Plinius libro. xix. capite octauo, in hunc modum: Oreoſelinū eſt Cicutæ ſolijs, radice tenui, ſemine Anethi, minutiore tamē

Dioſcoridis locus emendatur

Quòd si tamen hæc sententia minus arriserit, nihil moror quin dicas Petroselinum germanicum cùm forma parum admodum à verò Petroselino distet, vt palam fit vtriusque picturas intuenti.

LOCVS.

Nascitur in locis petrosis & montanis, vnde etiam nomen accepit. In Germania verò nostra in hortis passim plantatur.

TEMPVS.

Iunio & Iulio mense floribus & semine prægnans est.

TEMPERAMENTVM.

Calidum est in secundo gradu extenso, siccum verò in medio tertij.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Semen & radix in vino pota vrinam cient. Menses etiam ducunt. Miscetur antidotis, necnõ medicamentis vrinam cientibus & excalfacientibus. Non hallucinari nos oportet, existimantes Oreoselinum esse quod in petris prouenit: aliud enim ab hoc est Petroselinum.

APPENDIX.

Vtcunque autem diligenter hoc monuerit Dioscorides, tamen cauere non potuit quin posteritas medicorum Oreoselinum esse Petroselinum crediderit, EX GALENO.

Oreoselini similis apio vis est.

EX PLINIO.

Oreoselinum vrinæ & menstruis efficax, Eo etiam

etiam purgantur fœminæ è vino.

DE OIS. CAP. CCXVIII.

NONINA.

Sorbus.

OH Græcis, Sorbus Latinis, est arbor cuius fructus Græcis ὄα κοινὰ δῦα, Galeno teste, Lanis verò Sorba appellantur. Officinæ Latinâ nomenclaturam retinuerunt. Germanis Speier ling vel Sporopffel corrupta puto voce, p Sor bo pffel (Gallis Vng Cormier) nominantur. Vel sic ab austeritate vocata sunt, quasi mala austera.

Sorba.

GENERA.

Duo sunt genera Sorborum Theophrasto.

Sorborum duo genera tradit Theophrastus libro. iij. de historia stirpium, cap. xij. fœminã fructiferam, & masculam sterilẽ. Differre quoque fructibus idem scribit, quòd aliæ orbiculatum, aliæ ouatum ferant. Fructus autem orbiculati dulciores sentiũtur, ouati sæpenumero acidi, minusq; odorati. Plinius. lib. xv. cap. xxi. in Sorbo quatuor differentias Latinos nosse memoriæ prodidit alijs enim eorum ait, rotunditas mali est, alijs turbinatio pyri, alijs ouata species ceu malorum. Quartum genus torminale appellant. Nos picturam eius generis damus. quod turbinatum pyri mstar fructum ædit, qui Germanis Sporbirn, corrupta voce pro Sorrbirn, aut quasi austerũ pyrum dicitur.

Plinius quatuor differẽtias Sorborum ponit.

FORMA.

Sorbus arbor est procera, recto caudice, cortice leui, pinguiusculo, colore ad flauum albicante, cu-

ius folia pediculo singulari, prolixo, neruaceoq;, in versus condita, alæ modo à lateribus exeuntia tanquam ex omnibus vnum fiat, ad neruum vsque laciniatum, verum ampliusculo interuallo distantia. Omnibus ramulis in extremo pediculi solium impar prominet, cuius accessione impar numerus efficitur. Figura laurum tenuifoliam imitantur, verum ambitu serrata, breuioráq; sunt, nec in extremum acutum mucronata, sed in rotundius orbiculata. Flos racematim singulari petiolo, è multis minutis & candidis constans. Fructus vel orbiculatus, vt dictum est, vel ouatus, vel pyri instar turbinatus. Radices haud multas, nec altè descẽdentes, validas tamen & crassas & incorruptibiles agit.

LOCVS.

Loca amat humida, montana & frigida eodem Theophrasto autore.

TEMPVS.

Autumno fructus suos Sorbus ostentat.

TEMPERAMENTVM.

Adstringentem obtinet qualitatem Sorbus, sed multò imbecilliorem quàm Mespilus.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Sorba malorum colorem referẽtia, necdum matura, siccata, & in sole siccata, cùm manducantur aluum sistunt. Farina eorum cum mola teritur, polentæ loco in eundem vsum sumitur. Potest idem & decoctum eorum. EX GALENO.

Sorda quidem adstringunt, sed multò fortius

tius Mespila quàm Sorba. Quamobrem aluo fluenti in cibo accommodatissimè exhibentur. Sorba maiori cum voluptate sumuntur: prorsus enim initio nihil acerbi vti Mespila habent, sed succus eorum citra acerbitatem duntaxat austerus est. Illud porrò neminem puto latere, hæc omnia parcè, non largè vt ficus, quasq; esse comedenda. Ne quaquam enim ea vt cibis, sed magis vt medicamentis egemus.

DE OPHIOGLOSSO. CAP. CCXIX.

NOMINA.

HERBA hæc appositissima voce græcè ὀφιόγλωσσον appellari potest, non quòd sic eã veteres aut recentiores Græci nominauerint, sed quòd cum germanica nomenclatura optimè quadret. Neque enim certò constat an Græcis, & sub quo nomine herba illa cognita fuerit. Quapropter vt nouam ei inderemus appellationem necessum erat: meliorem verò hac ipsa quã retulimus inuenire haud potuimus. Latinè Ophioglossum, aut lingua serpentina dici potest. Germanicè enim Naterzunglin (Gallicè Lãgue de Serpent) vocatur, à forma & figura quam refert. E singulis nanq; foliys singulari pediculo prodit. quod ligulam serpentis forma sua referre videtur vt pictura affabrè monstrat.

ὀφιόγλωσσον cur dicta.

Lingua serpentina

FORMA.

Folium vnicum obtinet pingue, digiti longitudine Plantagini aquaticæ vocatæ haud dissimile cuius sinu inferiore pediculus exit, cui quip-

piam herbacei coloris insidet, quod serpentinæ linguæ vocati lapilli similitudinem refert.

LOCVS.

Copiosè in monte prope Tubingam Austriaco nominato prouenit. Amat & alia prata in montanis sita.

TEMPVS.

Maio mense reperitur, subinde autem euanescit, ac nusquam apparet.

TEMPERAMENTVM.

Citra caliditatem insignem exiccat, id quod gustus satis docet.

VIRES.

Vulneraria est herba, maligna siquidem & turatu difficilia vulnera sanat. Tumores etiam discutit, & ferè Symphyti facultates obtinet.

DE XANTHIO. CAP. CCXX.

Xanthium ad portam Antoninam frequens, cancrorum ardori extinguendo efficax.

NOMINA.

Lapa inuersa. Xanthion vndeductũ

ΞΑνθιον, ἢ φάσγανον Græcè, Xanthiũ Latinè nominatur. Ab herbarijs nostræ ætatis Lappa minor & Lappa inuersa vocatur. Germanicè Bettleslersleusz, oder Bubenleusz. Xanthiõ dictum, quòd ξανθάσω, hoc est flauos capillos faciat.

FORMA.

Caulem habet cubitalem, pinguem, angulosum, & in ipso alas multas. Folia Atriplici simili

incisuras habentia, odore. Nasturtij. Fructum rotundum ceu grandem oliuam, aculeatum vt Platani pila, contactu vestibus adhærẽtem. Ex qua quidem delineatione nemo non videt herbam cuius picturam damus esse Xanthion, quòd illi omnes notæ ad amussim respondeant. Caule enim est cubitali, pingui, anguloso, crebras fundẽte alas, foliis Atriplicis incisuras habentibus, Nasturtium manifestissimè olentibus, fructu magnæ oliuæ modo, rotundo, vt Platani pila spinoso, contactu vestes apprehendente. Nucleus qui in echinata pilula clauditur à pueris estur dulci & grato cibo.

LOCVS.

Nascitur lætis & pinguibus locis, & lacubus paludibusue exiccatis.

TEMPVS.

Fructus Autumno matureſcit, quo sanè tempore colligi debet.

Cum discutiendi vires habeat, facile colligitur temperamento esse calido & sicco præditum id quod ex sapore etiam, qui est amarus & subacris deprehendi potest.

VIRES EX DIOSCORIDE

Potest fructus antequam penitus inareſcat collectus, tusus, & in in fictili vase reconditus, capillos flauos reddere, si quis cũ vsus exigit, trybly pondus ex eo sumens, tepidáq; aqua madefaciens, nitro prius capite præparato illinat. Alij cũ

vino tusum ipsum reponunt. Fructus etiam commodè tumoribus illinitur.

EX GALENO.

Xanthium vocatur etiam Phasganion. Fructus discutiendi facultatem obtinet.

DE XYLO. CAP. CCXXI.

NOMINA.

Gossipion. Cotum. Cotonium Cotonum. Xylinæ uestes. Lana lignea.

XYLON & Gossipium Plinio & alijs Latinis dicitur. Græci, quòd sciã, eius nusquam meminerunt. Barbaris ac arabibus Cotũ & Bombax seu Bõbasum, Germanis Baumuoll (Gallis Plante cotonier) appellatur. Linũ eius cotonium vulgò vocatur, sicut lanugo ipsa cotonum. Ab huius generis planta uestes xylinæ, et lina xylina nominata sunt. Iurisconsulti lanam hanc ligneam nuncupant,

FORMA.

Erute x est exiguus, folio vitum, sed minore, floribus luteis in medio purpurascentibus, fructu barbatæ nuci simili, lanugine pleno, quæ netur in linum candidissimum, mollissimumq; Nux autẽ ipsa cum hiascens fatiscit, lanuginis globos repræsentat.

LOCVS.

Superior pars Aegypti in Arabiam vergens, Plinio lib. xix. capite primo teste, fruticem hunc gignit. In Creta etiã nascitur, & in Apulia, ac Maltha prope Siciliam insula. Nunc in Germaniæ nostræ hortis plantatur, vt plurima alia peregrina, nobis antea prorsus incognita.

TEM

TEMPVS.

Tam fertilis hic fructex est, vt simulatque adoleuit, quod duorum mensium spacio accidit, nũquam desinat florem & fructum proferre, donec asperitate & inclementia hyemis impediatur.

TEMPERAMENTVM

Arabes, vt annotauit Serapion, fruticis huius lanuginem calidam & humidam esse statuunt.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Foliorum succus medetur infantium alui profluuio atq; tormínibus. Semen tussi et thoracis vitijs. Oleo seminis emaculantur lentigines & faciei pustulæ. Semẽ etiã eius genitale semẽ procreat.

DE PARTHENIO. CAP. CCXXII.

NOMINA.

Παρθένιον, ἀμάρακον, χαμαίμηλον Græcis: Parthenium, Amaracum, Solis oculus, Millefolium Latinis: Thuscis Cauta, officinis & herbarijs Cotula fœtida dicitur Germanis Krottendill, Hundsizblum, Vuild Chamillen (Gallicè Espergoute ou matricaire) Cæterùm cogitabunt hoc loco studiosi, Amarachũ de quo nunc agimus diuersum esse ab eo quem alio nomine Samphsychon Græci vocant, vt suo loco fusius dicemus. Cauta. Cotula fœtida.

FORMA.

Folia Coriandro similia habet tennia. Flores per ambitum candidos, in medio luteos, odore graui & suburoso, gustuq; amaro. Hæc Dioscoridis descriptio pulchrè & per omnia herbæ illi quæ hodie

hodie vulgò Cotula fœtida nominatur, respõdet Siquidem ea foliis est Coriandri tenuibus, flore per ambitum albo, intus luteo, odore graui, & sapore amaro. Foliis autem Coriandri uon quidem iam erumpentis & paulò ante enati, necdum maturescentis, quæ sunt quadãtenus lata & subrotũda, atque in extremitatibus incisa: sed maturi, cuius quidẽ in alto folia ad Chamæmeli aut Fœniculi foliorum formam accedunt, capillatáque sunt constare scias. Sic enim vtriusque folia similia sunt, vt Coriandrũ Parthenij & rursus Parthenium Coriandri prorsus referre folia videatur Quod vt disertè innueret Dioscorides φύλλα πλατύτερα, id est folia tenuia dixit vt scilicet hac voce latiora, quæ in infima sunt Coriandri parte secluderet. Quod autem de ijs foliis Dioscorides locutus sit, ex tractandi ordine abundè liquet. De tribus siquidem herbis, Chamæmelo, Parthenio & Buphthalmo, quæ sanè inter se cõgeneres, atq; foliis admodum similes sunt ordine agit, quod nunquam feciſſet, si nulla inter has similitudo intercederet foliorum, adde etiam florũ. Buphthalmum tamen foliis ad Fœniculi formam propius quam reliquæ duæ accedit. Sententiam hanc nostram cõfirmat, quòd aliqui Parthenium, ob similitudinem quam habet cum Anthemide, Chamæmelon dixerint. Tam similis enim est Chamæmelo, vt frequenter etiam ab imperitis pro illa carpatur. His accedit & hoc, quòd ob foliorum tenuita-

tem

tem nonnullis Millefolium appellatum sit Parthenium. quod fieri minimè potuisset si ad latiora Coriandri folia Dioscorides respexisset. Præterea esse Parthenium Cotulam, nomẽ quod illi Thusci indiderunt satis declarat: Cautã enim appellauerunt, vnde diminutiuum Cautula deductum est, & tandem corrupta voce Cotula. Fœtidam autẽ esse, grauis odor qui in ea omnium maximè sentitur, euidenter declarat. Nequaquam itaque ea est herba potest, quam Matricariam vulgò vocãt, vt Hermolaus, & alij multi docti viri hũc sequẽtes putant: quòd huius folia latiora sint, quam vt cum Chamæmeli, Buphthalmi aut Coriandri tenuibus foliis comparari queant, tantùm abest vt similia sint. Huc accedit, quod omnium maximè euertere videtur aduersariorum sententiam: nemo vnquam ex recentioribus Matricariæ herbæ bilis & pituitæ per inferna tractricem facultatẽ tribuit, qnam tamen Parthenio Dioscorides, Paulus, & alij veteres assignant, vt etiam hoc nomine Parthenium non posiit esse Matricaria herba dicta vulgò.

Cotula. vox vnde deducta.

Partheniũ nõ est Matricaria.

LOCVS.

Nascitur inter segetes & iuxta semita, interdum mixta ferè semper Chamæmelo. In hortorum etiam sepibus Plinio teste prouenit.

TEMPVS.

Primò statim verè, Maio potissimum mense, erumpit, ac totam æstatem durat.

TEM

TEMPERAMENTVM.

Haud instrenuè, Galeno autore qui Amara cum vocat calefacit, non autem vehementer desiccat. Itaque in caliditate tertij est ordinis, in siccitate verò secundi.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Sicca cum oxymelite, aut sale pota, non secus atque Epithymum bilem atram & pituitam per inferna ducit. A sthmaticis & melancholicis prodest. Herba ipsa floribus demptis à calculosis & asthmaticis vtiliter bibitur. Decoctum eius ad insidendum prodest in vuluæ duritia & inflãmatione. Illinitur cum floribus sacris ignibus, & inflammationi. EX PAVLO.

Parthenium aridum in potu sumptum atram bilem per inferna deducit. EX PLINIO.

Siccatũ cũ melle & aceto potũ bilẽ trahit atrã. Ob hoc contra vertigines vtilis & calculosis. Ad insidendũ decoctum in duritia vuluarũ & inflãmationibus. Illinitur & sacro igni, item strumis cũ axũgia inueterata. Magi contra tertianas sinistra manu euelli eam iubẽt, dicitq; cuius causa vellatur, nec respicere dein eius foliũ ægri linguæ subijcere, vt mox in cyatho aquæ deuoretur.

Superstitiosum.

DE POLIGONATO.

CAP. CCXXIII.

NOMINA.

Sigillũ Salomonis.

Πολυγόνατον Græcis, Polygonatum Latinis dicitur Officinis item herbarijs & vulgo, sigil

sigillū Salomonis, Germanis Vuciszuurtz, (Gallis Signet de Salomon) hoc est, radix alba nominatur. Polygonatum autem à radice geniculorum frequentibus nodis ex interuallis tumẽte appellauerunt. Polygonatum curtum cur dictum.

GENERA.

Duo eius genera damus. Vnum verum, latioribus folijs: alterum multò angustioribus, quemadmodum picturā graphicè ostendit. A folijs vtrique nomina sunt indita.

FORMA.

Frutex est cubito altior, folia lauro similia habens, latiora tamen & læuiora, sapore mali cotoneæ aut punicæ, gustatum enim adstrictionẽ quadam respirat. Per singulos foliorum exortus cãdidos flores promit numero maiore quã folia, supputatione à radice facta. Radicem habet candidam, mollem, longam, geniculis plenam, densam, graueolentem digiti crassitudinem obtinentem. Iam si singulas Salomonij sigilli notas libeat prosequi omnes, ne vna quidem reclamante, adesse comperies. Nanque in montibus gignitur, fruticē cubito proceriore, folijs laurilatioribus, & læuioribus, quæ gustatæ quendam mali cotoneæ aut punicæ saporẽ referãt cũ aliqua adstrictione. Flores per singulas foliorũ eruptiones exilibũt cãdidi, qui folia numero lõge superẽt à radice ad cacumẽ supputata. Siquidẽ bini, terni aut plures ab vnoquoq; foliorũ sinu prodeunt. Radix illa cãdida, mollis, lõga, crebris nodis articulata dẽsa, grauiter olens, digitali crassitudine. Floribus excussis

Sigillũ Salomonium

bacca

baccæ pisi ferè magnitudine dependent, ex viridi nigricantes, & in quendam ordinem digestæ.

LOCVS.

Nascitur in montibus

TEMPVS.

Maio mense floret, quo etiam tempore carpi debet. TEMPERAMENTVM.

Polygonatum mistam habet qualitatem. Est enim in eo adstrictionis pariter & acrimoniæ quippiam, nec non fastidiosæ cuiusdam amaritatis explicatu difficilis.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Radix illita vulneribus auxiliatur. Quinetiam vultus maculas delet & aufert.

EX GALENO.

Radicem Polygonati quidam vulneribus illinunt, Sunt etiam qui illo nævos maculasq; in facie detergant.

APPENDIX.

Hodie quoq; mulieres sigillo Salomonis sibi faciē extergunt & fucant, vt planè nullū subsit dubiū, quin Polygonatum esse constāter credamus.

DE POLIPODIO.

CAPVT CCXXIIII.

NOMINA.

Πολυπόδιον Græcè, Polypodiū, Filicula Latinè, officinæ Græcā appellationem retinuerunt, Germanicè Engelsüss, Baumffart, Dropffuurtz (Gallicè du Polypode) vocatur

tur. Polypodio nomen à radice quæ polyporum modo cirros obtinet, inditum est. Filiculam autẽ Latini à similitudine foliorum cum Filice nuncupauerunt.

Polypodiũ vndedictũ Filicula.

FORMA.

Herba est palmi altitudine, Filici similis, sub hirsuta, incisuris diuisa, non tamẽ adeò tenuibus Radix illi est hirsuta, cirros polyporum modo habens, minimi digiti crassitudine. Derasa hæc intus viridis est, acerba gustu subdulcis. Parte auersa folia fuluis maculis notata, sine semine.

LOCVS.

Gignitur in muscosis petris & in agrestibus quercuum truncis.

TEMPVS.

Radix in fine Augusti carpenda.

TEMPERAMENTVM.

Polypodium dulcem simul & austeram habet vincentem qualitatem, vt facultatis sit admodũ desiccantis, citra morsum tamen.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Purgandi vim obtinet. Coquitur autem cum Gallina, aut piscibus, aut beta, aut Malua ad purgationem. Arida aquæ mulsæ insparsa, bilem & pituitam ducit. Radix trita & illita luxatis confert, & ad fissuras quæ inter digitos sunt.

EX PAVLO.

Polypodium exiccat admodum citra morsum, & potum per inferna purgat.

EX PLINIO.

Radix in vsu. Exprimitur succus aqua madefacta, & ipsa concisa inspergitur oleri, & Betæ, & Maluæ, vel salsamento, vel cum pulticula cõquitur ad aluum leniter soluendam, vel in febri. Detrahit bilem & pituitam. Stomachum offendit. Aridæ farina indita naribus Polypum cõsumit. Illita luxatis medetur.

DE PRASIO. CAP. CCXXV.

NOMINA.

Marrubiũ Præstum.

Πράσιον Græcis, Marrubiũ Latinis, Prassiũ officinis vocatur Germanis Andorn das vuciblin, Vuciſz Andorn, Marobel, Gottſzuergeſz. (Gallis du Marrubium.)

FORMA.

Frutex est ab vna radice ramosus, subhirsutus, albicans, virgis quadrangulis. Folium pollicis æquale, subrotundum, hirsutum, rugosum, gustu amarum. Semẽ per interualla in caulibus est. Flores asperi verticilorum figura. Hæc delineatio adamussim Marrubio hodie dicto respondet. Siquidem singulari radice, angulosis ramulis fruticat, lanuginosum: foliis ferè orbiculatis, pollicis magnitudine, incanis, hirtis amaris, lacteo flore, verticillato cinctu caulem ex interuallo amplectente, cui succrescit teres & asperum semen.

Marrubiũ

LOCVS.

Nascitur circa domicilia collapsa, & inter ruderа.

TFM

TEMPVS.

Colligitur herba in æstate, Iulio potißimum mense, dum semine est prægnans.

TEMPERAMENTVM.

Marrubium in calliditate quidem secundi ordinis iam completi est, in siccitate verò tertij medij aut completi.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Huius folia arida cum semine decocta in aqua aut viridium expressus succus, datur cum melle asthmaticis, tussientibus & tabidis. Crassa è thorace cũ iride sicca ducunt. Datur mulieribus quæ non purgantur, vt mẽstrua & secundas pellant. Item difficilè parientibus, his què à serpentibus morsi sunt, & qui letale quid biberunt. Vesicæ tamen & renibus nocent. Folia cum melle illita sordida vlcera purgant, pterygia nomasq; cohibent. Dolores laterum mitigant, Ad eadem pollet ex foliis contusis expressus succus & sole coactus. Cum vino & melle illitus, oculorum claritatem exacuit. Morbum regium per nares expurgat. Auriũ doloribus per se, aut cũ rosaceo instillatus prodest.

EX GALENO.

Præsium vt gustu amarũ est, ita si quis vtatur consentientem huic sapori actionem habet, iecur ac lienem obstructione liberans, & thoracem pulmonẽ que purgans, ac menses promouens, Sed & illitum detergit ac discutit. Succo eius cũ melle

ad aciei oculorum claritatem vtuntur. Quinetiã & per nares morbum regium purgant, & ad aurium dolores inueteratos adhibent, in quibus vtique abstructionem discutere, meatumq; ipsum & explantationes membranarum expurgare necesse est.

EX PLINIO.

Huius folia semenq; contrita prosunt cõtra serpentes, pectorum & lateris dolores, tussim veterẽ. Iis qui sanguinem eiiciunt eximiè vtile scapis eius cũ panico aqua decoctis, vt asperitas succi mitigetur. Imponitur strumis cum adipe. Sunt qui viridis semen, quantum duobus digitis capiant, cum farris pugillo decoctum, addito exiguo olei & salis, sorbere ieiunos ad tussim iubeant. Alij nihil comparant. In eadem causa Marrubij & Fœniculi succis ad sextarios ternos expressis, decocti succi ad sextarios duos, si cochlearij mensura in die sorbeatur in aquæ cyatho. Virilium vitijs tussim cum melle mirè prodest. Lichenas purgat ex aceto. Ruptis, conuulsis, neruorum contractionibus salutare. Potum aluum soluit cum sale, & aceto. Item menstrua & secundas mulierum. Arida farina cum melle ad tussim siccam efficacissima est. Item ad gangrænas et pterigia. Succus verò articulis & neruis morbo regio, minuendæq; bili cum melle prodest. Item contra venena inter pauca potens. Ipsa herba stomachũ & excreationes pectoris purgat. Cum iride & melle

melle vrinam ciet. Cauenda tamen exulceratæ vesicæ, & renum vitijs. Dicitur succus claritatem oculorum adiuuare.

DE PERISTEREONE. CA. CCXXVI.

NOMINA.

ΠΕεριστερεών, καὶ περὶ βοτάνη Græcè: Verbenaca, Verbena, Columbaris seu Colũbina, herba Sagminalis Latinè, herbarijs & officinis Verbena vocatur. Germanicè Eisenkraut, vel Eisernhart, (Gallicè Veruaine,) hoc est, ferraria, quod nomen vt olim, sic hodie quoq; habet. Peristereon nomen inditum à columbis, qui in ea versari plurimũ delectãtur. Hierobotane autem, hoc est sacra herba ideo dicta, quòd ea olim apud Romanos domus purgabatur, familia lustrabatur, Iouis mensa ad sacrificium & epulas verrebatur, & fœciales in sacris legationibus illa coronabantur, vel vt Dioscorides inquit, quòd in expiationibus suspensa & alligata mirè vtilis sit. Sagminalis verò, quòd inter sagmina, hoc est, gramina ex loco sacro, præsertim arce Capitolij, cũ sua terra euulsa, primum hæc honorem haberet.

Verbenaca. Verbena. Peristereõ cur dicta. Hierobotane. Sagminalis.

GENERA.

Duo Verbenacæ & Græci & Latini fecerunt genera. Dioscorides & alij Græci à plantæ habitu rectam & supinam. Plinius à sexu marem & fœminã. Recta Dioscoridis, est Plinij mas, alioq; nomine Crista gallinacea, à ferratis foliis quæ gallinaceæ cristæ formam referunt, dicitur. Recta autem

Crista gallinacea.

tem nominata est, quòd rectis ramulis assurgat. Supina autem Dioscoridis, apud Plinium fœmina est. Romanisq; Cincinnalis vocatur. Supinam verò vocarũt, quòd semper humi supinè procumbat. Germani etiam per sexum genera illa distingũt, vocantq; rectam Verbenacam Eisenkraut das mennle. Supinam vero das Vueible.

FORMA.

Recta. Recta siue mas herba est altitudinis palmi, aliquando etiam maioris. Folia huic incisa, subalbida, è caule prodeuntia, qui ei vnus est magna ex parte, quemadmodum & radix vna. Flos luteus, quo solo ferè à fœmina differre videtur. Hæc descriptio pulchrè Verbenacæ mari respondet: est enim herba dodrantalis, interdum verò procerior, quemadmodũ ea est quæ in Germania nostra prouenit: nunquã enim aut rarissimè palmi altitudinem non excedit. Folia habet incisuris duisa, albescentia, erumpentia è caule. Singularis denique illi, vt plurimum, caulis & radix vna. Supina fœmina ramos profert cubitales, aliquando etiam maiores, angulosos, circa quos folia sunt per interualla quernis similia, angustiora tamen & minore, per ambitum incisa, colore subcæsio. Radicem habet oblõgam, tenuem. Flores purpureos, tennes, Cuius iterum delineationis notæ. Verbenæ fœminæ adamussim conueniunt. Siquidem multis stamen à radice angulosis coliculis constat, coma subtilis incana, folio querno nõ dissimili, nisi quòd minus est

Supina.

mus est & angustius, multis per ambitum incisuris: flosculo ex albore & purpura versicolore. Quibus omnibus manuscripti codices, qui Peristereon interpretatur Verbenã, accedit testimoniũ, & cõmunis omniũ consensus, à quo sine manifestis conlecturis & rationibus nunquam est discedendũ.

LOCVS.

Vtraq; in planis & aquosis locis prouenit.

TEMPVS.

Mas citius quàm fœmina apparet. Colligi debent, potissimũ fœmina, circa Canis ortum, nam hoc tempore floret.

TEMPERAMENTVM.

Vtraque desiccat & adstringit.

VIRES EX DIOCORIDE.

Rectæ Verbenacæ folia cum rosaceo, aut adipe suillo recenti apposita, vuluarum dolores finire putantur. Ignem sacrum cum aceto illita reprimũt. Putrescentia vlcera cohibent. Vulnera glutinant, veteraque ex melle ad cicatricem perducunt. Supinæ autem folia & radix in vino pota illitaq; aduersus reptilia serpentésue faciunt. Eadẽ drachmæ pondere cum thuri obolis tribus, & vini veteris hemina, quadragenis diebus ieiuno contrà regium morbum bibuntur. Vetera œdemata, & inflãmationes illita mitigant. Sordida vlcera purgant. Tota autem herba in vino decocta tonsillarum crustas abrũpit, & oris nomas gargarissata cohibet. Fertur sparso aqua triclinio qua ma-

duerit, lætiores conuiuas fieri. Datur potandum in tertianis febribus tertium à terra geniculum cũ adiacentibus foliis: quartanis, quartum.

EX GALENO.

Vim habet adeò deficcantẽ vt vulnera glutinet.

EX AETIO.

Verbenaca recta ad capitis dolores summo præsidio esse testatur Archigenes, si ea coronetur patiens, aut si teratur cum aceto & rosaceo & illinatur, aut oleo decoquatur, ac foueatur caput. Nec tantũ capitis dolores sedat, sed capillos quoq; fluentes compescit. Radicis decoctum calidumore retentum dentium dolores mitigat, ac mobiles firmat, orisq; vlceribus medetur. Ad colicos radices semicontusas in aqua ad dimidiam decoquito, & diebus quinq; decoctum potãdum dato: efficacissimũ id esse experientia compertum est. Facit & ad calculos atque ad inchoantem elephantiasim, si cum melle propinetur. Vtere itidem ad epilepticos, & ad quotidiana, quartanáue febre laborantes. Ad podagricos verò & coxendicum morbo affectos, vino decocta exhibetur. Succi è radice expressi collutio ad fistulas commodissima est. Et si mororum liquori ac melli mixtus exuratur, & acidus illinatur, fistulas sanat. Potest etiam melle assumi, & fistulæ tãquam collyrium injici, ac mirum in modum prodest.

EX PLINIO.

Aiũt si aqua spargatur triclinio qua maduerit

Verbe

Verbenaca, lætiores conuictus fieri. Aduersus serpentes conteritur ex vino. Omnibus visceribus medetur, lateribus, pulmonibus, iecinoribus, thoraci, peculiariter aũt pulmonibus, & quos ab ijs phthisis tentat. Dysenterias emendat ex aqua data carentibus febre, aut ex vino aminæo cochlearibus quinq; additis in cyathis tribus vini.

EX SIMEONE SETHI.

Verbenaca recta facit ad capitis dolores & defluentes capillos inuncta. Dentium dolores sedat, & motos atq; concussos confirmat. Oris vlcera sanat. Decoctum eius colicos & calculosos iuuat. Pota ijs qui primũ elephantia laborare incipiunt, & comitiali morbo affectis succurrit. Item quotidiana & quartana laborantes similiter iuuat. Podagricos verò & coxendicis morbo captos, vulneratosq; illita sanat.

DE PTERIDE. CAP. CCXXVII.

NOMINA.

Πτέρις, ἡ πτέριον Græcis, Filix Latinis dicitur. Officinæ Latino nomine vtũtur. Germanicè Valdtfarr, (Gallicè Feuchiere.) Pteris autem & Pterion ab alis auium, quarum formam in ramulis disposita eius folia referunt, Græcis dicitur: pennatus enim, & pennatis folijs frutex Filix est. Filix. Pteris cur dicta.

GENERA.

Duo Filicis sunt genera, mas scilicèt & fœmina. Mas Græcis simpliciter πτέρις, Latinis Filix Pteris.

Pteris. Thelypteris.

mas Germa. Vualdtfarr mennle dicitur. Fœmina græcis θυλυπτερις, Latinis Filix Fœmina, Germanis Vualdtfarr Vueibie appellatur.

FORMA.

Filix mascula.

Filix mascula folia habet sine caule, sine flore, sine semine, ex vno pediculo cubitali longitudine exeũtia, incisa, alarũ auium modo explicita, odore subgrauia. Radicem in terræ superficie foris nigram, crassam, oblongam, adnascentias appendicésue multas habentem. Ex qua siquidem descriptione satis constat hanc quam sub hoc nomine pictam damus herbam, esse Filicem masculam: hæc enim neq; caulem (quod enim in ea supra terram extollitur, pediculi foliorum, non caulis rationem obtinet) neq; florẽ, neq; semen habet: folia ex vno pediculo cubitali a terra statim, aut ex stipite eius exeunt, vtroq; latere pinnata, subgrauiodore. Radix deniq; illi est per summa cespitum nigra, & vt Theophrastus ait, crassa, obloga, multis adnatis capillamentis fibrata, atq; vt summatim dicam, omnes illi notæ adamussim respondent. Filix fœmina folia priori similia obtinet, nõ tamen vno singulariq; pediculo vt illa hærentia, sed adnascẽtes ramulos multos altioresq; habentia. Radix illi longa, obliqua, in nigro colore subflaua, aliquando verò rubescens. Quæ descriptio iterum per omnia cum ea herba cuius picturam exhibemus ita conuenit, vt nulla prorsus sit nota quæ illi non respondeat.

Filix fœmina.

LOC

LOCVS.

Nascuntur vbique, sed maximè in montibus, syluis & saxosis locis.

TEMPVS.

Effodiuntur Vergilijs occidentibus, hoc est, autumno.

TEMPERAMENTVM.

Amarae sunt Filices, paululum habentes adstrictionis, vt euidentissimum sit has calefacere & exiccare posse.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Filicis masculae radix pellit latos lumbricos pondere drachmarum quatuor cum aqua mulsa pota. Melius autem si cum Scammoniae, aut veratri nigri quatuor obolis detur: veruntamen oportet sumentes allia praesumpsisse. Lienosis vt restituantur prodest pota. Radix etiam cum axungia illita contra ictus ab harundine factos vtilis est. Eius autem haec probatio. Peribit Filix quam per ambitum copiosior harundo coronet: & contrà euanescet harundo, quam obsepiens multa Filix in orbem cinxerit. Foeminae radices cum melle in eclegmate sumptae, latos lumbricos pellunt. Cum vino autem pondere trium drachmarum potae, rotundos lumbricos eiiciunt. Mulieribus datae sterilitatem faciunt. Et si praegnans sumat, abortum. Siccae & in farinam tritae, humidis & ijs quae difficulter sanantur

vlce

vlceribus inſpergũtur. Medentur iumentorum ceruicibus. Foliaeius nuper prodeuntia olerum modo elixa comeduntur, aluumq; molliunt.

EX GALENO.

Filix mas radicem habet maximè vtilem: latũ enim lumbricum interficit, ſi quis eam quatuor drachmarum pondere in aqua mulſa ſumpſerit. Ad eundem modum fœtum quidẽ viuum necare, mortuum autem eiicere mirum non eſt. Vlceribus impoſita valenter deſiccandi facultatem obtinet, non tamen mordax eſt. Similẽ ei vim habet Thelypteris nominata.

EX THEOPHRASTO.

Thelypteris ſeu fœmina. Filix, cõtra lumbricos ventris & latos & graciles vtilis eſt. Cõtra latos quidem cum melle mixta, contra tenues aũt in vino dulci cum polenta data. Quinetiã mulieri ſi detur, prægnanti quidem abortum: ſimpliciter autẽ fœminis ſterilitatem facere affirmant.

EX PLINIO.

Vſus radicis in trimatu tantùm, neq; antè neque poſtea. Pellunt interaneorum animalia. Ex his tineas cum melle, cætera ex vino dulci triduo potæ. Vtraque ſtomacho inutiliſſima. Aluum ſoluit, primo bilem trahens, mox aquam. Melius tineas cum Scãmonij pari pondere. Radix eius duũ obolorum pondere ex aqua, poſt vnius diei abſtinentiã bibitur, melle præguſtato, contra rheumatiſmos. Neutra danda fœminis, quoniam grauidis abor

abortum, cæteris sterilitatem facit. Farina earum vlceribus tetris inspargitur. Iumentorum quoq; cernicibus. Folia cimicem necant, serpentem non recipiunt, ideo substerni vtile est in locis suspectis. Vstæ etiam fugant mdore.

APPENDIX.

Falsum & cõmentitium haud dubiè est quicquid neoterici aliqui de Filicis semine fabulãtur, quòd scilicet vna solstitiali nocte floreat, eademq; hora cum defloruit maturum in terram semen cadat, ideoq; nisi quispiam tunc affuerit, nec videri florem, nec colligi semen posse, tum quia incredibilia sunt, tum quòd omnes, Theophrastus scilicet, Galenus, Dioscorides, Plinius, sterilem & sine semine dixerunt. Neq; etiam medici vel Arabes vel Persæ, ad magicas vanitates nati, seminis huius meminerunt. Quapropter omnia hæc agyrtarum commenta esse videntur humanæ ignorantiæ ad quæstum impudenter illudentium, quæ certè vel vna hac ratione abundè satis confutari possunt, quòd cuncta illa fieri & obseruari natali nocte diui Ioannis Baptistæ præcipiunt, cum natalis ea nox & solstitialis illa duodecim dierum numero nunc inter se distent. Filicis semine prorsus caret.

DE PEVCEDANO. CAP. CCXXVIII.

NOMINA.

Πευκέδανος Græcis, Peucedanus Latinis, Officinis & herbarijs nostræ ætatis Fœniculus porcinus dicitur. Germanis Garstrang, Fœniculus porcinus.

Seuu

Seuufenchel, oder Schuuefeluurtz, (Gallis Peucedame, ou queue de porceau,) quòd lachryma è radice sulphuri aut thuri similis exudet. Peucedanum autem nomen inuenit à pinu, quæ Græcis πεύκη dicitur, cui folio par est. Hinc posteriores Latini Pinastellum eum vocauerunt.

Peucedanus vnde dicta.

Pinastellus.

FORMA.

Caulem emittit tenuem, maculetum, Fœniculo similem comam habet circa radicem copiosam & densam. Florem luteum, radicem foris nigram, intus albam, graui odore, crassam, liquore plenam. Hæ sanè omnes notæ, nulla prorsus reclamante, huic quam pictam exhibemus herbæ conueniunt.

Officinæ, quæ non rarò adulterinas pro genuina vendunt herbas, Peucedanum ostendunt radice non succosa, sed lignosa, nec graui odore, sed iucundo: vnde satis constare potest verum non esse.

Officinarum Peucedanus non est genuina.

LOCVS.

Gignitur in montibus opacis, potissimum in monte prope Tubingam, cui olim arx imposita fuit, in itinere versus Rotenburgum sito.

TEMPVS.

Floret Iulio & Augusto mensibus, atq; deinceps semen producit. Radix foditur exitu autumni.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit ordine secundo iam completo: desiccat verò tertio iam incipiente.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Radice adhuc tenera Peucedani cultello incisa liquor

liquor effunditur, profluensq; statim in vmbra reponitur in sole siquidem languescit. Facit cùm colligitur capitis dolores & vertigines, nisi quis antea rosaceo nares præungat, & caput irrigat. Radix assata inutilis fit. Colligitur & ex caulibus & ex radice sicut è Mandragora liquor atq; succus. Minus tamen efficax succo liquor, & velocius expirat. Interdum etiam concreta inuenitur lachryma thuri similis, caulibus radicibusq; adhærens. Ex aceto & rosaceo inunctus lethargicis, phreneticis, vertiginosis, comitialibus, diuturnis capitis doloribus, resolutis, ischiadicis, conuulsis: in vniuersumq; neruorum affectionibus ex oleo & aceto inungitur. Strangulatu vuluæ laborantes olfactus, soporéque profundo correptos reuocat. Suffitu serpentes fugat. Aurium doloribus cum rosaceo instillatus prodest. Canis dentium erosis inditus eorundem dolores mitigat. Contra tussim in ouo sumptus facit. Difficultati spirandi, torminibus & inflationibus subuenit. Aluum leniter mollit. Lienem minuit. Difficiles partus egregiè adiuuat. Ad vesicæ renumque dolores & distentiones potus confert. Aperit vuluam. Radix ad eadem vtilis est, sed inefficacior. Eius decoctum bibitur. Sicca trita sordida purgat vlcera, ossáque squamas detrahit, veteráque cicatrice obducit. Ceratis malagmatisq; calefaciendi vi præditis miscetur. Eligi debet recens, nõ cariosum, solidum odoris plenum. Succus ad potiones amaris amygdalis,

lis, aut ruta, aut pane calido, aut anetho dissoluitur.

EX GALENO.

Peucedani radice quidem maximè, sed tamen etiam succo & liquore vtimur. Sunt autem hæc omnia eiusdem specie facultatis, sed valentior liquor admodum excalfaciens & digerens. Quare affectibus omnibus circa neruos cõsistentibus conuenire creditur, tum morbis in pulmone & thorace ex crassitudine atq; viscositate humorum factis. Et intro quidem in corpus sumpta, sed tamen etiã olfactu prosunt. Porrò quòd incidat atq; extenuet. sæpe etiam dẽtium perforatorum dolores cauitati impositus protinus sedauit, quia videlicet est tenuium partium, & excalfactorius. Quinetiã lienes induratos iuuat, nempe incidendo, digerendo & extenuando crassos humores. Sed & radice ad hæc vti licebit quæ & squamas ab ossibus celerrimè detrahit, quia videlicet validè desiccat, minus tamen quàm succus excalfaciens. Et vlceribus malignis arida illita optimũ est remedium: ipsa enim expurgat, carnem generat. & ad cicatricem perducit.

EX PLINIO.

Peucedani radices conciduntur in quaternos digitos osseis cultellis, fundunt q; succum in vmbra, capite prius & naribus rosaceo perunctis, ne vertigo sentiatur. Et alius succus inuenitur caulibus adhærens, incisisq; manat. Probatur crassitudine mellea, colore russo, odore suauiter graui, feruens gustu

gustu. Et hic in vsu & radix, & decoctum eius pluribus medicamentis. Succo tamen efficacissimo, qui resoluitur amaris amygdalis, aut ruta bibiturq; contra serpentes, & ex oleo perunctos tuetur. Idem pectoris doloribus subuenit. Pituitam & bilem detrahit. Peucedani radix. Eadem decocta lieni & renibus prodest. Perungunt & radicem sudoris causa eliciendi, quoniam caustica vis ei est. Peucedano ad recentia vulnera tãta vis est vt saniem ossibus extrahat. Cum semine Cupressi bibitur, si sanguis per os redditus est, fluitq; ab infernis. Strangulatus vuluæ nidore vstum recreat, laxanturq; suffocationes eo: sed quidã ammiscent in vino semen Cupressi contritum. Potũ cum coagulo vituli marini æquis portionibus comitiales sanat. Succus infantium ramici, & vmbilicis eminentibus inungitur. Stranguriæ cum melle medetur. Item semine lethargici excitãtur & vt perlibent ex euphorbio naribus tactis Peucedani succo.

DE PERSICA ARBORE.

CAPVT CCXXIX.

NOMINA

Περσικὴ μηλέα Græcis, Persica malus Latinis: antiquum nomen herbarij vulgares retinuerunt: Germanis Pferfichbaum, (Gallis Vng Pechier) appellatur. Persica forte dicta, quòd ex Perside primum aduecta sit. Persica cur dicta.

FORMA.

Persicca folijs amygdalæ maioribus cõstat: flore subpunniceo, pomo carnoso, succulento, foris lanuginoso, dura intus & scabra nuce, in qua nucleus qualis amygdalis. LOCVS.

Passim in hortis, vineis potissimum, nascitur. Gaudet autem aquosis. TEMPVS.

Floret primo statim vere, Fructus verò eius autumni ferè exitu matureſcit, celerrimè marceſcẽs. TEMPERAMENTVM.

Persica arbor in germinibus & folijs vincentem amaram qualitatem habet, vt hoc nomine calidam esse nemo dubitare possit. Fructus eius in secundo ordine frigidus & humidus existit. VIRES EX DIOSCORIDE.

Persica poma stomacho grata sunt, matura bonam faciunt aluum, cruda verò aluum constringunt. Siccata vehementius adstringunt. Siccorũ decoctum haustum stomachi & ventris fluxiones sistit. EX GALENO.

Folia Persicæ trita & super vmbilicum imposita lumbricos necant. Alioquin sanè etiam discutiens medicamentum est. Pomorum verò eius succus & veluti caro facilè corrumpitur, omninoq; noxã infert; quapropter haud post alios cibos vltimoq; sicut nonnulli solent, illa offerri oportet, nã in summo natantia corrumpuntur. Huius verò, quod omnibus commune est, meminisse oportet: quæcunque vitiosi succi, quæ humida & lubrica

sunt

sunt facileq; descendunt secedúntve, præ alijs comedenda esse: sic enim & ipsa celeriter subeunt, & alijs præeunt, ac quasi iter muniunt. Postremò autem sumpta, vna secum alia quoque in corruptionem trahunt.

EX PLINIO VALERIANO.

Persicorum cibus est quidem stomacho inutilis eò quòd citò succus eius inacescat, & caro æquè in digestione vitietur, verùm minimè grauis, dũ non diutius in intestinis moratur, & ad ima semper exitu celeri festinat. Persicorum cibus negatur à medicis membra nutrire. Sed & Galenus suadet nunquam omnino post cibum sumere, corrũpi affirmans si cibis cæteris innatent. Persicorum folia trita & imposita ventris animalia perimunt & expellunt. Eadem sicca & in puluerẽ tusa recentes plagas cruentorum vulnerum clau dunt. Nucleus persicorum capitis dolori cum oleo & aceto tritus illinitur: quãuisquidam cum solo rosaceo terere maluerint. Gummi gutta quã Persici truncus illachrymat, fluenti aluo medetur. Eadem mixta cum vino etiam in vesica lapillos frangit. Trita ex aceto impetigines reprimit. Decocta cum croco tumores faucium mitigat. Aspera arteriæ canalem leuiorem facit. Excreantibus sanguinẽ miro modo subuenit. Thoracis obstrictos sinus reserat. vitia palmonis expurgat.

APPENDIX.

Flores Persicæ saccharo conditi, instar rosarũ

aut violarum, aluum haud leuiter mouent atque subducunt.

DE PEPLO. CAP. CCXXX.

NOMINA.

Esula rotunda.

ΠΕΠΛΟΣ Græcis, Peplos Latinis, officinis et vulgò Esula rotunda, Germanis Teufelſzmilch, (Gallis Reueille matin des Vignes) appellatur.

FORMA.

Exiguus frutex est albo liquore plenus: foliis paruis vt Rutæ, latioribus tamen. Tota eius coma dodrantalis, rotũda humi fusa: semine sub foliis paruo & rotundo, minore quàm candidi papaueris. Radice vna, ex qua totus frutex pronenit

LOCVS.

Nascitur in hortis & vineis.

TEMPVS.

Colligitur messibus, siccaturq; in vmbra, & continuè vertitur.

TEMPERAMENTVM.

Idem cum Tithymallis habet temperamentũ atque adeò ex quarto calefacientium ordine est.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Herba ipsa multos habet vsus, radix verò inutilis. Semen eius tusum, feruidaq; aqua madefactum reconditur: Pituitam & bilem acetabuli põdere cum hydromelitis cyatho potum ducit. Opsonijs mixta herba aluum conturbat. Conditur in muria.

EX

EX GALENO.

Peplos frutex liquorem similem Tithymallis habet, cum in alijs, tum quia purgat ceu illi.

EX AETIO.

Pituitam ac bilem ducit acetabuli mensura cũ mulsæ cyatho bibitum Pepli semen. Sale etiã herba maceratur, flatusq; discutit, vt Hippocrates asserit. Summopere igitur confert flatuosis affectibus, qui in melancholia dominãtur, item diuturnis lienis & vteri & coli flatibus, tumefactisq; œdematibus in abdomine.

EX PLINIO.

Semine Pepli poto alnus soluitur, bilis ac pituita detrahitur. Media potio est acetabuli mensura in aquæ mulsæ heminis tribus. Et cibis inspergitur opsonijsq; ad moliendam aluum.

DE PILOSELLA. CAP. CCXXXI.

NONINA.

QVO nomine veteribus Græcis aut Latinis nominata sit hæc herba ingenuè fateor me ignorare. Neque enim est μυὸς ὠὴ Dioscoridis. Cum itaque Græco & Latino nomine destituere mur, barbaro vti nobis necesse fuit, nisi planè herbam hanc vulneribus glutinandis mirè vtilem, præterire voluissemus. Herbarij itaque nostræ ætatis à copiosis pilis quibus vestitur, Piloſellam, Germani Meuszorlin, vocant. Piloſella vndedicta

GENERA.

Duo eius herbæ genera reperiuntur, in nullo

ferè nisi floribus distantia. Vnum genus maioribus foliis, & quæ se à solo sustollunt, floribusq; luteis, maior Pilosella nominatur, Germanis propriè Nagel Kraut. Alterum minoribus foliis, in terra sessilibus floribus, purpureis & quasi in pappum euanescentibus, Germanis Meusorlin, oder Hasenpfatlin peculiariter appellatur. Sic etiam suam Pilosellam manuscriptus herbarius in maiorem & minorem digessit.

Maior

Minor.

FORMA.

Herba est foliis in terrã graminis modo sparsis, pilosis, albicantibus à terra, supernè virentibus, floribus luteis aut purpureis, radice in exilitatem multam extenuata. Ex qua descriptione sole clarius fit, eam herbam quæ à Græcis Myosotis, à Latinis autem Auricula muris dicitur, non esse Pilosellam: nam, vt reliqua taceam, neque maior neque minor Pilosella cœruleum flosculum velut Anagallis obtinet: vt non parum errent herbarij nostri temporis qui Pilosellam alio nomine Muris auriculam appellari tradunt.

Myosotis nõ est Pilosella.

LOCVS.

Nascitur vtrunque genus locis montosis & collibus terrenis. Maior autem inuenitur etiam in asperis & in cultis agrorum limitibus.

Auricula muris non est Pilosella.

TEMPVS.

Maio et Iunio potissimum mense florent. Minor tamen Pilosella paulò post initia Iunij mensis disperit, et nusquam subinde inuenitur.

TEM

TEMPERAMENTVM.

Esse calidas & siccas Piloſellas guſtus palàm declarat: habent enim adſtrictionem cum exigua quadam acrimonia coniunctam, vt hoc nomine ad purificanda ac ſubinde glutinanda vulnera ſint mirificè vtiles.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Ferunt foliorum farinam vulnera mirum in modum glutinare. Herbæ recentis ſuccum exprimunt ad cohibendos quartanæ febris horrores. Eodem tinguntur gladiorum aciem vt omne ferrum aliud domet, ſecetq; ferrum enim quod huius ſucco commaduit tantam contrahere duritiam, tãq; magnum induere robur produnt, vt chalybis aciem reſpuat. Has certe omnes facultates manuſcriptus herbarius Piloſellæ adſcribit. Recentiores huius herbæ radicem Maio menſe effoſſam, ſiccatam, & in pulverem redactam, ac ſubinde potã aut in cibo datam, efficaciſſimum eſſe aduerſus ramicem remedium tradunt.

DE PIMPINELLA. CAP. CCXXXII.

Neutra ex hius Pimpinelis noſtram expri, quæ eſt odore cucumeris, coliculis rubentibus, & floſculis in capitello purpuraſcentibus quam poſt ſanguiſorbam vocat.

NOMINA.

VT appellata ſit Græcis aut Latinis herba hæc quã hodie vulgus herbariorũ, et officinæ Pimpinellã vocãt, nõdũ nobis certò ſcire licuit

Sunt qui Pampinulam & Bipennulam nominent. Germani Bibinellen & Bibernellen, (*Ga.* Pimpinelle, ou Pimprenelle) *appellãt*

GENERA.

Duúm est generum Pimpinella. *Vna maior, radice admodum lõga, foliys multifariam scißis. Sisaro haud diſsimilibus, caulibus anguloſis, floribusq; in ſummo exiguis & candidis. Altera minor, caulibus rufeſcentibus, folyſq; minoribus & non diſſectis multifariam, ſed ſerratis tantùm, alias priori per omnia ſimilis.*

FORMA.

Herba eſt folio mucronato, diſſecto, aut in extremitatibus ſerrato, caulibus ab eadẽ radice binis aut trinis, anguloſis, et interdum rubentibus, in quorum ſummo naſcuntur flores minuti & cãdidi, & yſs decidentibus ſemen exignum Oreoſelini ſemini ſimile. Radice craſſa, longa, & ſubrubente, acri, admodum.

LOCVS.

Lucis & opacis locis minus, in pratis autem maius, affatim citra cultum erumpit.

TEMPVS.

Aeſtate in autumnum vſque floret.

TEMPERAMENTVM.

Quum acrimoniam non exiguã in guſtu præ ſe ferat, haud dubiè in ſecundo ordine calida & ſicca erit, imò ſecundum calefaciendi ordinem excedere credibile eſt, & ad tertium ferè accedere.

VIR

VIRES EX DIOSCORIDE.

Pimpinellæ succus bibitur contra serpentium morsus. Ex vino pota calculos terit. Strangu-riam etiam decocta leuat. Succus eius potus omne venenum discutit. A qua eius ignis vi ex pressa oculorum caliginem discutit. Hæ sunt facultates quas illi antiquus herbarius tribuit. Alij tradunt succum eiusdem faciei maculas detergere posse. Est autẽ radicis Pimpinellæ tũ vsus præcipuus quũ sæuientis populatiõi pestilẽtiæ cõtagia arcere conamur: vnice enim venenis aduersatur, et corpora ab hac luce vindicat, vt adfirmant, si tãtùm in ore teneatur. Quod certè non potest ea quam hodie Sãguisorbam vocant herba, quare mirum in modũ errant, qui hanc cum Pimpinella confundunt, vt fusius suo dicemus loco.

Sãguisorba non est Pimpinella.

DE PASTORIA BVRSA.

CAP. CCXXXIII.

NOMINA.

QVO nomine herba quam vulgus Pastoriã bursam appellat Græcis & Latinis medicis dicta sit, ignorare me ingenuè fateor. Sunt qui peram etiam pastoris nominant, à folliculis in exiguæ vuluæ similitudinem compressis, turbinata cordis effigie. Germanis Detchel Kraut & Hirtenseck el *vocatur.*

Bursa aut pera, pastoris cur dicta.

FORMA.

Herba raro pede altior, ramosa, Erucæ folia habens, at minora. Flores exiguos, candidos. Semen

in vulgis minutum & nigrum, Radicem candicantem & oblongam.

LOCVS.

Nascitur propter vias passim, & in parietinis.

TEMPVS.

Iunio & Iulio mensibus legitur.

TEMPERAMENTVM.

Refrigerat & adstringit.

VIRES EX RECENTIORIBVS.

Ex aceto trita collectionum inflammationes refrigerat, ac eò confluentes humores cohibet. Imponitur sacris ignibus, & quibus stomachus æstuat. Succus eius purulentis auribus infunditur. Cruenta sanat vulnera. Medetur dysentericis, sanguinem excreantibus, neque non muliebri profluuio. Manuscriptus herbarius addit hanc sanguinem è naribus profluentem sistere mirificè posse. Herbam quoque manu tantum gestatam, mox idem efficere tradit. Quid multa? mirè efficax est in comprimendis omnibus sanguinis eruptionibus

DE PEDE LEONIS.

CAP. CCXXXIIII.

NOMINA.

Leontopodion, Dioscoridis non est Pes leonis herbariorum.

QVAM *vulgus herbariorum* Pedem leonis *nominat, non est* Dioscoridis Leontopodiũ, *id quod descripsio satis monstrat. Quo verò nomine Græcis & Latinis appellata sit, mihi nondũ constat. Sunt ex barbaris qui Alchimillam, alij etiã qui plãtã leonis nominant. Sic autẽ dictũ, quod*

quòd folia habeat instar leonini pedis lata & rotunda. Germanis Synnau Louentapen, Louenfusz & vnser frauuen mantel (Gallis Pied de Lion) vocatur. Alchimilla.

FORMA.

Dodrantalis est herba, folia lata, crispa & rotunda oclo serratis incisuris distincta, non tamẽ ad pediculos vsquè, qui statim è radice exeunt, fissa habens. Flores item exiguos & luteos profert. Radicem digito crassiorem, & sesqui palmo longiorem, subrubescentem. Pes leonis cur dicta.

LOCVS.

Passim in pratis, in alto potissimũ sitis, nascitur.

TEMPVS.

Maio mense erumpit, ac inter lunij initia floret.

TEMPERAMENTVM.

Folia & radix adstrictione vehementi participant, atque adeò exiccant. Recentiores idipsum in secundo efficere ordine tradunt.

VIRES EX RECENTIORIBVS.

vulneribus glutinandis aptissima est Decocto enim illius lauantur vtiliter omnia vulnera. Linteum quoque in eo madefactum illis commodè imponitur. Mulierum mammas impensè laxas linteum decocto eiusdem intinctum & impositũ, duras solidasq; efficit. Decoctum denique hoc epotũ interanea vulnera, rupturasq; glutinat. Et quod dictu mirum est, tanta eius plantæ in glutinando vis est, vt ramices intestinorum, in pueris potissimum, sanare possit.

DE

DE POLYGONO MARE.

CAP. CCXXXV.

Polygonum mas herba innocentium vulgò dicitur, quod Parisijs in cœmeterio Innocẽtibus sacraro luxuriat.

NOMINA.

Seminalis cur dicta.
Sãguinalis.
Corigiola
Centumnodia.

Πολύγονον ἄῤῥεν Græcè: *Proserpinacha*, *Seminalis à seminis multitudine, & sanguinalis à cohibendo sanguine nominatur. Officinis Corrigiola & Centumnodia. Germanicè* Vuegrasz, Denngrasz Vuegdritt *appellatur. Polygonon à geniculorum frequentia & multitudine dictum est.*

FORMA.

Herba est ramis tenuibus, teneris copiosis, geniculis interfectis, in terra graminis modo repentibus. Folijs Rutæ similibus: longioribus tamen. Iuxta singula folia semine, vnde masculum vocatur. Flore albo aut puniceo.

LOCVS.

Nascitur passim quotidieq; pedibus conculcatur. Sua spõte in aggeribus & semitis proueniẽs.

TEMPVS.

Aestate floret, quo etiam tempore legitur.

TEMPERAMENTVM.

Vti adstrictionem quandam obtinet Polygonum, ita sanè vincit in eo aqueum frigidum, vt videlicet secundi sit ordinis medicaminum refrigerãtium aut etiã quodammodo initio in tertij.

Est

Est etiam exiccatorium.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Vim habet adstringendi & refrigerandi succus Polygoni potus. Prodest sanguinem c..puentibus, & alui defluxionibus, cholericis & vrinæ stillicidio. Vrinam enim euidenter ducit. Cũ vino potus venenatorum morsibus auxiliatur. Valet etiam ad febrium circuitus vna hora ante accessionem sumptus. Muliebre profluuium appositus sistit. Aurium doloribus, & purulentis auribus instillatus confert. Cum vino decoctus melle adiecto, eximiè ad genitalium vlcera facit. Folia cõtra stomachi ardorẽ, sanguinis reiectionẽ herpetas, ignes sacros, inflammationes, œdemata, & vulnera recentia illinuntur.

EX GALENO.

Polygonum ijs sanè quibus stomachus æstu feruet extrinsecus illitum auxiliatur: veluti etiã ignes sacros & calidas phlegmonas iuuat. Porrò tale cum sit et fluxiones reprimit, & hac ratione videtur exiccatorium esse. Quare cum herpetum tum vlcerum, aliorũq; bonum est remedium: efficacissimum autem inflammatione et fluxione laborantium partium. Est & cruentorum vulnerũ glutinatorium. Sed & aurium vlceribus prodest & si vel satis puris insit, hoc tamen etiam desiccat. Eadem ob facultates & muliebre profluuiũ & dysenteriam, & sanguinis eiectiones & vndecunque aliunde immoderatiores impetus sistit.

Re

Refert Dioscorides quòd & vrinam prouocet exhibitum stillicido affectis. Non tamen affectu exactè discriminat in quo dari ipsum expediat.

EX PLINIO.

Succus eius infusus naribus supprimit sanguinem, & potus cum vino, cuiuslibet partis prostuuium excreationesq; cruetas inhibet. Vis eius spissare ac refrigerare. Semen aluum largius sumptum soluit, vrinam cict, rheumatismos cohibet qui si non fuere, non prodest. Stomachi feruori folia imponuntur. Vesicæ dolori illinuntur, & ignibus sacris Succus et auribus paruletis instillatur & oculorum dolori per se. Dabatur & in febribus ante accessiones, duobus cyathis in tertianis quartanisue præcipuè. Item cholericis, dysentericis, & in solutione stomachi.

DE PEGANO CAP. CCXXXVI.

NOMINA.

Peganon vnde dictum.

Πήγανον κυπριωτόν Græcè, Ruta hortẽsis Latinè: officinæ retinuerunt nomen latinũ Rauten & Vucinrauten Germanicè (Gallicè de la Rue) vocatur. Peganon Græci, Plutarcho li. tertio Sui symposij teste, à facultate, quòd calore siccitateq; genituram coagularet, dixerũt πήγνυσαι enim coagulare & quasi in glaciẽ contrahere est. Hinc verum gestantibus immica etiam coronis inserta putatur.

FORMA.

Frutex est Ruta hortensis grauissimi odoris semper

semper ferè virens: folio exiguo, penè rotundo cæsij coloris, denso, surculosis ramis flore luteo, angulosis calycibus, in quibus semen albũ continetur.

LOCVS.

Prouenit passim in hortis, amat aprica & sicca loca

TEMPVS.

Floret æstate. Semen autem Autumno maturescit, quo etiam tempore carpendum venit.

TEMPERAMENTVM

Gustu non solũ acri, sed & amato est, ex tertio ordine excalfacientium, & strenuè desiccantiũ.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Vrit, calfacit, exulcerat, vrinam mouet menstruaq; ducit. Aluum sistit pota & comesta. Letalium venenorum antidotum est si semen acetabuli mensura in vino bibatur. Folia per se ante cibum sumpta, & cum nucibus tuglandibus, aridisq; sicis, inefficacia venena reddunt Cõtra serpentes similiter sumpta prosunt genituram tam in cibo quam potu extinguit. Coctum cũ anetho sicco, tormina sistit. Facit etiam ad lateris thoracisq; dolores, difficultatem spirandi, tusses, pulmonis inflammationem, coxendicum, articulorumq; cruciatus, rigores circuitibus certis repetentium, febrium, vti prædictum est, pota. Ad inflationes coli vteri & recti intestini, decocta cum oleo & infusa. Vulnæ strangulatu liberat trita cũ melle si a genitali vsque ad sedem imponatur. Feruefacta cũ oleo & pota, labricos excutit. Articulorũ

doloribus

doloribus cum melle, aquæ inter cutem, quæ hypo sarca dicitur, cum ficis illinitur. Eisdem pota auxiliatur, in vino decocta ad dimidias partes, & si ea abstergantur. Cruda, saleq; condita ac comesta, visus aciem exacuit, & oculorum dolores cũ polenta illita sedat. Cum rosaceo & aceto capitis doloribus succurrit. Sanguinis narium profluuia trita & imposita sistit. Testium inflammationibus cum Lauri foliis illita & exanthematis cum myrto & cerato prodest. Cum vino autem, pipere & nitro cõfricta, albæ vitiligini medetur. Cũ ejsdem illitha thymos & myrmecias tollit, Cum melle & alumine impositha lichenibus prodest. Succus in malicorio calfactus & instillatus aurium doloribus succurrit. Oculorum habetudinibus cum succo Fœniculi & melle inunctus subuenit. Ignes sacros, herpetes & achores cum aceto, cerussa & rosaceo inunctus sanat. Ceparum & aliorum acrimoniam commanducata domat.

EX GALENO.

Ruta incidere atque digerere crassos lentosq; humores potest. Ob eam autẽ vim & vrinas mouet. Quinetiam tenuium est partium, flatusq; extinguit. Quare ad inflationes prodest, ac Veneris appetitũ cohibet. Discutit atque exiccat stremẽ: est enim ex eorum medicamẽtorum numero quæ valenter exiccant.

EX PLINIO.

Quæcunque Ruta & per se pro antidoto valet

folijs

folijs tritis, & ex vino sumptis. Contra aconitum maximè et ixiã. Item fungos, siue in potu detur, siue in cibo. Simili modo contra serpentium ictus vt pote quum mustellæ dimicaturæ cum his, Rutam prius edendo se muniant. Valent & contra scorpionum ictus, & araneorũ, apum, crabronũ, vesparum aculeos, & cantharidas, ac salamandras canisue rabiosi morsus, acetabuli mensura si succus è vino bibitur, & folia trita vel commanducata imponuntur cum melle & sale, vel cũ aceto & pice decocta. Succo verò perunctos, aut etiã habentes, negant feriri ab his maleficijs. Serpentesq; si vratur Ruta nidorem fugere. Efficacissima tamen est syluestris radix cum vino sumpta: eandem adjicũt efficaciorem esse sub dio potam. Pythagoras oculis noxiam putauit falso, quoniã scultores & pictores hoc cibo vtuntur oculorũ causa. Cum pane quoque vel nasturtio satiuæ atque syluestris propter visum. Vt aiunt, multi succo eius cum melle attrito inunctli discussérunt caligines, vel cum lacte mulieris puerum enixæ, vel puro succo angulis oculorum tactis. Epiphoras cum polenta imposito. Lenit autem capitis dolores pota cum vino, aut cum aceto & rosaceo illuta. Si verò sint cephalæa, cum farina hordeacea, vel aceto. Eadem cruditates discutit, mox inflationes, dolores stomachi veteres. Vulnas aperit, corrigitq; cõuersas, illita in melle toto ventre & pectore. Hydropicis cum ficu, & decocta ad dimidias partes,

potáq; ex vino. Sic bibitur & ad pectoris dolores lateriúq; & lũborũ, tusses, suspiria: pulmonũ, tecinorũ, renũ vitia horrores frigidos. Ad crapulæ grauedines decoquuntur folia poturis. Et in cibo vel cruda vel decocta cõditáve prodest. Itẽ tormi nibus in Hyssopo decocta, & cũ vino. Sic & sanguinem sistit interiorẽ, & nariũ indita: sic et collutis dentibus prodest. Auribus quoque in dolore succus infunditur, custodito vt diximus modo. E sylueſtri verò contra tarditatem & sonitum cũ roſaceo, vel cũ laureo oleo, aut cumino & melle. Succus & phreneticis ex aceto tritæ inſtillatur in tẽpora & cerebrũ. Adiecerunt aliqui & Serpyllũ, & Laurũ, illinẽtes capita & colla. Dederunt & lethargicis ex aceto olfaciẽdũ. Dederũt & comitialibus bibendum decoctæ ſuccum in cyathis quatuor ante acceſiones, quarũ frigus intolerabile eſt. Alſioſisq; crudã dari in cibo. Vrinam quoq; vel cruentã pellit. Fœminarũ etiam purgationes ſecundasq;, etiam emortuos partus, vt Hippocratẽ videtur, ex vino dulci nigro pota. Itaque illitã et vuluarũ cauſa etiã ſuffire iubet. Diocles & cardiacis imponit ex aceto & melle cũ farina hordeacea. Et contra ileũ decocta farina in oleo & velleribus collecta. Multi verò & cõtra purulentas excreationes ſiccæ drachmas duas, ſulphuris vnã & dimidiã ſumi cẽſent. Et cõtra cruentas, ramos tres in vino decoctos. Datur & dyſentericis cum caſeo in vino contrita. Dederũt & cũ bitumine infrictam potioni propter anhelitũ. Ex

alto lapsis seminis tres vncias ex olei libra viniq; sextario. Illinitur cum oleo coctis foliis partibus quas frigus adusserit. Si vrinam mouet, vt Hippocrati videtur, mirum est quosdã dare velut inhibẽtẽ potui cõtra incontinẽtiã vrinæ. Psoras & lepras cũ melle & alumine illita emẽdat. Itẽ vitiligines vel rugas, strumas, & similia, cũ hircino & adipe suillo ac taurino seuo. Itẽ ignẽ sacrũ ex aceto & oleo, vel psimmythio. Carbunculũ ex aceto. Nonnulli laserpitiũ vnà illini iubent, sine quo vepinyctidas pustulas purant. Imponũt et mãmis turgẽtibus decoctã, & pituitæ eruptionibus cũ cera. Testiũ verò epiphoris cũ ramis laureæ teneris, adeò peculiari in visceribus his effectu, vt syluestri Ruta cũ axũgia veteri illitos ramices sanari prodant. Fracta quoque mẽbra semine tristo cũ cera imposito. Radix Rutæ sanguinẽ oculis suffusum, & in toto corpore cicatrices aut maculas illita emendat. Ex reliquis quoq; quæ traduntur, mirũ est, cum feruentẽ Rutæ naturam esse cõueniat, fasciculũ eius in rosaceo decoctum addita vncia aloës, perunctis sudorem reprimere. Itemq; generationes impediri hoc cibo, ideo profluuio genitali datur, & Venerem crebro per somnia imaginantibus. Præcauẽdũ est grauidis abstineant hoc cibo necari enim partus inuenio. Eadẽ ex omnibus satis quadrupedũ quoque morbis in maximo vsu est, siue difficile spirantibus siue cõtra maleficiorum animaliũ ictus, infusa per nares ex vino: aut si sanguisugam exhauserit, ex aceto &

Maius Pă taphilum. quocunque in simili morborum genere vt in homine temperato.

EX SIMEONE SETHI.

Incidit crassos & tenaces humores, perq; vrinam vacuat, & ad inflationes conducit, appetentiam q; Veneris compescit, ac strenuè exiccat. Ad inflatas aquas inter cutem, & anasarcam, morsus à vipera, succum Papaueris aut aconitum bibentes, coliquosq;, pota & iniecta Traditur quòd comesta visum acuet, ob id antiqui pictores hanc assiduè degustabant. Nonnulli & succũ eius melli commiscentes, medicamentum ad oculorum aciem acuendam conficiunt. Succurrit difficultati vrinæ si cum oleo coquatur, & ea vesica foueatur Item difficulter spirantes cum melle data, consestim iuuat. Lethargicis pota & per clysteres iniecta remedium sit, Intestina coroborat, non solum caliditate, sed proprietate quadam. Fertur etiam quod si prægnans mulier ex eius succo bibat, abortiat. Et si in dies quindecim folia assumat, idẽ facit. Obstructiones iecoris & lienis tollit. Si ieiunus quisquam ipsam assumpserit, eò die à veneno non lædetur.

DE POTENTILLA. CAP. CCXXXVII.

NOMINA.

Potẽtilla. Tanacetũ syluestre. QVO nomine Græci & Latini hanc herbã appellarint, à nullo, quòd sciam, adhuc proditum est. Recentiores herbarij Potentillã ali qui ob similitudinem Agrimoniam & Tanacetũ

cetum syluestre nuncupant. Germani quòd herba illa anseres in cibo delectẽtur, Genserich (Galli Tanaisi sauluage) vocant. FORMA.

Herba Eupatorio, quod Agrimoniã hodie vocant, haud dissimilis. Caules ex vna radice multos profert, humi stratos. Folia Eupatorio similia, supernè viridia, infernè candicãtia. Flores luteos singulari pediculo pendentes. Radicem extrinsecus rufescentem, intus candidam.

LOCVS.

Nascitur passim circa semitas & loca aquosa, atq; in fluuiorum ripis ac marginibus.

TEMPVS.

Aestate floret, quo etiam tempore legi debet.

TEMPERAMENTVM.

Quum folia eius & radix adstringant, temperamẽto à Pentaphyllo seu Quinquefolio nihil differre videtur. Quare hæc potissimũ aũt eius radix, ex tertio ordine desiccatoria est, minimumq; euidentis caliditatis habet. Errant itaq; mirũ in modũ recentiores, qui hanc humidã esse statuunt, nulla alia moti ratione, quàm quòd in humidis locis prouenial: quasi verò Nasturtiũ aquaticum, quod Sisymbrium cardamine Dioscoridi vocatur, haud obstante quòd in aquosis nascitur, non etiã in tertio desiccet ordine. Debuisset certè illos ab hac sententia deterrere nõ leuis illa adstrictio, quæ certissimus est siccitatis index: adstringentia enim, Galeno libro quarto de simplici. medicament. fa-

Potentilla nõ est humida.

cult. capite sexto teste, terrena sunt & crassa corporis consistentia, atque adeò sicca.

VIRES.

Recentiores Potentillã fluxionibus & punctu-
ris oculorũ prodesse, recẽtia vulnera glutinare, &
exedentia sanare, mulierũ menstrua cõpescere, ar
tus & membra cõfirmare, rectè tradunt: nam id-
ipsum posse, adstrictio, quæ in hac herba haud mo
dica est, abundè docet. Et cùm habeat Quinque-
folij temperamentum, eius etiam facultates obti-
neat necesse est. Dentium itaque dolorẽ sinit. Ex-
edentia oris vlcera sanat. Dysentericis & alui pro
fluuijs, coxendicis articulorumq;, doloribus subue-
nit. Sanguinis eruptiones sistit, aliaq; potest quæ
à Dioscoride Quinquefolio tribuũtur. Quod verò
adijciũt hanc etiam lumbricos exterminare posse,
id minus rectè faciunt. Ea siquidem facultas non
huic, sed illi inest herbæ quæ verè Tanacetum dici
tur, quæ quidem est tertia, vt suo diximus loco,
Artemisiæ species. Proinde non sine magno errore,
Potentillam cum ea quæ propriè Tanacetum vo-
catur herba confuderunt.

Herbarij Potentillã cũ Tanacето confude runt.

DE PRVNELLA. CAP. CCXXXVIII.

NOMINA.

NONDVM nobis constat quo nomine hac herba veteribus tum Græcis tum Latinis appellata sit. Vulgus tamen medicorum & herbariorum Prunellam nominant. Germani Brau nellen oder Gottheyl.

Prunella.

FOR

FORMA.

Cáules habet in medio striatos, pingues & hirsutos: folia Ocimo similia, coloris herbacei, & acuminata. Flores in summis caulibus spicatos. Lauẽdulæ vocatæ herbæ non dissimiles. Raducẽ tenuẽ, multis capillamentis fibratam.

LOCVS.

Nascitur passim in pratis.

TEMPVS.

Maio & Iunio mensibus floret.

TEMPERAMENTVM.

Calidam & siccam esse constat, id quod ex gustu patet: glutinosa enim admodũ & modicè amara est.

VIRES.

Vulnerariã esse herbã euidentissimũ est. Succũ eius cũ aceto & rosaceo mixtum, vehemẽtes capitis dolores sedare recentiores vno consensu tradunt si tempora ex eo inũgantur. Aphthas & oris vlcera, fauciumq; vitia succus eiusdem sanat.

DE PENTAPHYLLO. CA. CCXXXIX.

NOMINA.

ΠΕντάφυλλον græcis. Quinquefoliũ Latinis & Officinis, Germanis Funff finger-kraut, oder Funffblatt (Gallis Quintefueille) appellatur. Nomen à numero foliorũ habet: in vnoquoq; enim pediculo quinq; esse deprehenduntur. *Quinquefolium vnde dictum*

GENERA.

Etsi Dioscorides vnũ dũtaxat Pẽtaphylli genus faciat, tamen nos ad nostras respicientes terras

tria eius genera in vniuersum produximus. Vnũ quod maius appellauimus, prorsus ad Dioscoridis picturam accedens, vt hoc nomine verum esse quinquefolium putemus, Estq; duùm generum: vnum quod pallidos seu candidos flores obtinet, hinc est quòd Quinquefolium maius candidum appellauerimus, Germanicè groſz Vuciſz Funff fingerkraut. Alterum floribus ornatur auri colorẽ æmulantibus, seu luteis. Nos vt discerneremus à priori, Quinquefolium maius luteum nominauimus. Dioscorides etiam hæc duo genera innuere videtur, cùm inquit florem habere vel candidum vel auri æmulum. Tertium minus diximus, quod priori aut dissimile est, non tamen passim vt illud quinq; folia obtinens. Hoc, cùm non haberemus aliud nomen quo ipsum appellaremus, inter Quinquefolij genera connumerare placuit. Videtur vero Hipocrates etiã duo Quinquefolij genera nouisse, vnũ humilius, alterum procerius, vt hoc nomine nobis etiam liceat minus & maius statuere.

Minus.

FORMA.

Ramulos habet festucarũ instar graciles, dodrãtales, & in ijs semen. Folia Mẽthæ similia, in singulis pediculis quina, rarò plura, per ambitum sarræ modo incisa: florem in candido pallidum, auri æmulum. Radicem subrubram, oblongam, Ellebori nigro crassiorẽ. Ex qua sanè descriptione omnibus liquet, maius Quinquefolium esse legitimũ. Ex vna siquidem radice subrubra & oblonga, ramis

Maius Quinquefolium est verũ Pentaphyllon.

ramulos profert tenues, ac prorsus festucaceos, & in ijs semen folia Menthæ, quina in singulis pediculis, per ambitum serræ modo crenata, florem luteum, aut aureum. Quibus accedunt natalis locus (in riguis enim nascitur) & immensa adstringendi facultas: quæ quidem singula verũ esse Quinquefolium docent. Adeoq; mirari satis nõ possum, cur nonnulli adulterina hæc esse Pentaphylla sibi persuaserint.

LOCVS.

Provenit aquosis locis, & iuxta aquæductus. Interdũ etiam in incultis, siccis & arenosis locis.

TEMPVS.

Floret Maio & Iulio mensibus potissimum.

TEMPERAMENTVM.

Vtriusque certè folia, flores & radices vehementer adstringunt: atqueadeo, vt Galenus ait, radix, cuius multus est vsus, ex tertio est ordine desiccantium, minimum habens euidentis caliditatis.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Radicis Quinquefolij decoctum ad tertias de pressum deductumue, si in ore retineatur, dentium dolores sedat. Putrescentia oris vlcera collutione sistit. Arteriæ asperitates gargarizatum emẽdat. Contra alui profluuia, & dysenterias auxiliatur. Item articulorum & coxendicum dolores potum sanat. Cocta in aceto & illita, herpetas cohibet. Strumas discutit, duritias, œdemata, aneurysma-

ta, abscessus, crypelata, digitorum pterygia, condylomata, scabies q; sanat. Teneræ radicis succus, contra iecinoris pulmonisq; affectiones & venena prodest. Folia cũ hydromelite, aut vino diluto, & exiguo pipere, contra febrium circuitus bibuntur: in quartana quidem quaternorum ramulorum folia, in tertiana verò trium, in quotidiana vnius. Tricenis diebus pota comitiali morbo medentur. Succus foliorum per dies aliquot trium cyathorum mensura potus, celeriter regium morbum sanat. Vlceribus ac fistulis cum sale & melle illita medentur. Enterocelicis, id est, intestinorum ramice laborantibus succurrunt. Sanguinis eruptiones potum & illitum Quinquefolium sistit. Incidtur ad expiationes lustrationésue, sanguinis profluuia & castimonias.

EX GALENO.

Pentaphylli radix desiccat vehementer, minimum verò acris est. quare in multo est vsu: velut alia quoq; omnia, quæ quum sint tenuium partiũ, citra morsum desiccant.

EX PLINIO.

Quinquefolium adhibetur purgandis domibus. Strumis medetur, & pectoris vitijs. Idem ischiadicis bibitur & imponitur. Panos sanat. Impositum articulis vtilissimum. Fistulis quæ in omni parte serpunt auxilio est cum sale & melle. Phalangio aduersatur, lichenas emendat. Succus de Quinquefolio potus cyathis tribus anginæ

medetur Idē iecinoris & pulmonis vitijs, sanguinemq; reijcientibus, cuicunq; sanguinis vitio intus occurrit. Multi supra omnia laudant ad deplo ratos dysentericos Quinquefolium, decoctis in lacte radicibus & potis. Item decoctum ad tertias in vino sclericis dari atque illimi vtilissimum est. Eius folia ex aqua comitiales sanant. Item contrita ex vino sumpta triginta diebus in betonicæ farinæ pondo denariorum tredecim cum aceti scillitici cyatho, comitialibus morbis liberant. Celerrime succus regio morbo medetur, tribus cyathis cum sale & melle potus. Quinquefolij folia quidam terna tertianis dedere, quaterna quartanis plura cæteris, omnibus obolis tribus cùm pipere ex aqua mulsa.

DE PISIS. CAP. CCXL.

NOMINA.

Πισον, ἡ Λάκυθος Græcè, Pisum Latinè dicitur. Officinis hoc nomine notum. Germanicè Erbsſoder Eruueyſſen, Gallicè pois. Sic autem à Pisa loco in quo olim copiosissimè nascebatur, nominatum est. *pisum quare dictum.*

GENERA.

Duo apud nos genera Pisorū reperiuntur. Vnū in aruis caducum, humi serpens, quod genus Germani Klein feld Eruueyſſen nominant. Huius, vtpote vulgaris, picturam haud damus. Alterum in altum scandit, arboribus aut palis quibus accubet adfixis, quibus sese capreolis vinciens illigat.

illigat. Hoc Germani Grosz garten Eruue-yssen vocant. Genus hoc pictum exhibemus.

FORMA.

Caules in terram spargit concauos, ramosos; prætenui surculo: folio frequenti præter cæterorum morē longiusculo: flore papilionis forma, circa vmbilicum purpureo: siliqua oblōga seu cylindracea: granis rotundis, &, vt Plinius lib. xviij. cap. xij. ait, angulos multos inæquales habentibus: radice imbecilla: vt mirari satis non possim, vnde plærisque suspicio orta sit, vt Pisum nostrum legitimum esse dubitauerint. Scio autem esse qui legumen hoc quod hodie passim Pisum appellatur, putent esse Cicer arietinū, quod scilicet valuulæ seu siliquæ eius cornu arietini formam habeant. Quorum certè sententiam probare non possum, quod, Plinio teste, Cice. arietinum sic non sit dictum, quia valuulæ effigiem arietini cornu exprimant, sed quia legumen ipsum seu granum Ciceris arietino capiti simile sit. Eam autem formā legumen hoc quod Pisum nominauimus non refert.

LOCVS.

Apricis haudet locis, frigorum nanq; impatientissimum. Tepidum itaq; locum, & cœlum frequē tis humoris desiderat.

TEMPVS.

Iunio & Iulio mēsibus floret, & subinde etiā semina in valuulis profert.

TEM

TEMPERAMENTVM.

Quum Pisum simile quid tota substantia cum faba, vt testatur Galenus, obtineat, necesse est vt non multum à medio temperamẽto in refrigerando & exiccando recedat.

VIRES EX GALENO.

Simile quid tota substantia cum fabis obtinẽt Pisa, nec alio quàm illæ modo mãduntur. In duobus autem euariant. Non enim similiter ac fabæ inflant, nec abstergendi facultatẽ habent, ideoq; segnius quam illæ per aluum secedunt.

EX PAVLO.

Pisum molle quidem & laxum est, nõ tamen adeò inflat.

DE POLVTRICHO APVLEIANO. CAP. CCXLI.

NOMINA.

NON temerè adiectum est Apuleij, ne scilicet quispiam Dioscoridis & aliorũ Græcorum intelligeret Polytrichon, quod sanè forma ab eo quod nunc describimus alienissimũ est. Germanicè à colore aureo quam habet, Guldiner Vuideerthon vocatur. Officinis incognita est hæc herba. Polytrichon dicta est à ramulis, qui capillorum instar tenues sunt. Polytrichũ Apuleij cur dictum.

GENERA.

Duo Polythrichi Apuleiani damus genera. Vnum maius, alterum minus: neque enim differunt nisi sola magnitudine.

FOR

FORMA.

Ramulos habet capillorum instar tenues, colore aurum referentes, circumq; hos folia multa capillacea, in summo capitula lentis aquaticæ ferè forma, eiusdem cum ramulis coloris.

LOCVS.

Maius nascitur in pratis humidis et vliginosis. Minus in petris ac muris humidis.

TEMPVS.

Mense Iulio vtrunque reperitur.

TEMPERAMENTVM.

In caliditate & frigiditate symmetra sunt: de siccant tamen, extenuant & digerunt.

VIRES.

Decoctum eorundem in aqua aut lixinia capillorum radices firmat, ideoq; in alopecia caput glabrum capillis vestit. Potũ, viscosorum crassorumq; è thorace pulmoneq; excreationibus non mediocriter confert: lapides frangit, & vrinas ducit. Morbo regio correptis et lienosis auxiliatur. Strumas discutit, & in summa eadem quæ Adiantum potest. Recentiores superstitione quadam ducti, illis multa ridicula & incredibilia tribuunt.

DE PERSICARIA.

CAP. CCXLII.

NOMINA.

Persicaria

NON clam me est quàm variè à multis diuinatum sit, quo nomine Persicaria vocata veteribus sit. Sed mea quidem sententia, in

vniuer-

vniuersum omnes coniecturis vsi non satis firmis, decepti sunt. Et ego quidem fateor ingenuè, nec mihi constare num à veteribus descripta sit, tantum abest vt scire queam quo illam appellauerint nomine, Vulgus herbariorum vno consensu hodie, quòd folia Persicæ habeat. Persicariam nominãt. Germani Plohkraut (Galli Curaige.)

Persicaria vnde dicta

FORMA.

Folia persicæ arboris habet, fusca in medio macula plumbaginéue: caule geniculato, rubente, longo: flore spieco, primùm cãdido, dehinc purpureo: semine minuto, radice lutea, numerosa.

LOCVS.

In humidis & palustribus locis frequẽtius prouenit.

TEMPVS.

Iulio & Augusto mensibus floribus ornatur.

TEMPERAMENTVM.

Frigidam & admodũ siccam esse gustus abunde monstrat: mirificè enim gustata adstringit.

VIRES.

Vulnerariam herbã esse temperamentum eius satis docet Rectè itaq; iuniores medici in vulneribus, & maximè fistulis curandis vtuntur. Vtilis haud dubiè in dysenteria, aliisq; malis quæ refrigerationem & adstrictionem requirunt.

DE PERFOLIATA. CAP. CCXLIII.

NOMINA.

An hæc verba veteribus cognita fuerit Græcis, & Latinis, affirmare certò non possum.

possum. Ego planè Cotyledonem putarem Dioscoridis, nisi radix in diuersam me traheret sententiam. quæ oliuæ instar rotunda non est. Hodie tamen, quòd caulis eius singula folia dissecat atq; pe-
Perfoliata cur dicta. netrat, Perfoliata ab omnibus appellatur. Germanicè Durchuurchsz, & Bruchuurtz dicitur.

FORMA.

Caulis illi rotundus, rubescens, folia singula penetrans, quæ Pisorum foliis haud dissimilia sunt tenuia admodum & glabra. In summo coliculorum capitula, & in ijs flores lutei, & semina forma ferè Tithymalli, quam vulgò Esulã nominãt, præ se ferentia. Radix candida, fibris capillata.

LOCVS.

Nascitur in hortis sata, & interdum sua sponte in arenosis locis prouenit.

TEMPVS.

Floret Iulio mẽse, & subinde semina producit.

TEMPERAMENTVM.

Amara modicè est & adstringit, vt hinc colligi liceat calidam & siccam esse.

VIRES.

Vulneribus & vlceribus tam externis quàm internis curandis aptissima est herba: hæc enim glutinat. Valet autem potissimum ad ramices puerorum sanandos. Auxiliatur etiam exulcerationibus et prominẽtijs vmbilici. Plurimũ huius apud chirurgos vsus.

DE

DE PORRO. CAP. CCXLIIII.

NOMINA.

Πράσον Græcis Porrum Latinis & officinis Germa. Lauch (Gallis Poureau) appellatur. Porrum autem dictum putant, quòd porrò eat, & longe lateq; grassetur. Porrũ vnde dictũ:

GENERA.

Porri duo genera signauit antiquitas. Vnum capitatum, sic nominatum quòd eius radix in caput increscat atque extuberet. Alterum sectium, cui frondes coma super terram eminens auferturque amputaturue. Hoc Germani pulchrè ad nomen Latinũ alludẽtes, Schnittlauch nominant, & Bryszlauch.

FORMA.

Capitatum simplici capite ex albæ ceruicis angustijs extuberante constat, fronde super terram carinata, & in angulum oblonga. Sectiuo verò caulis est longus, intus cauus, multis in vertice floribus acernatim collectis, & in speciem absoluti orbis conglomeratis, id quod in bimo accidit, quod etiam sementescit, sparso per eius cacumen semine, & emoritur. Radix candicans, crassa multis fibris capillata, ac tunicis quibusdam vestita.

Capitatũ Porrum. Sectium.

LOCVS.

Læto solo gaudet, odit rigua.

TEMPVS.

Duo decimo die à satu prorumpit, bima tumq; perefert.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit & extenuat perinde atque cepa, vt eius facultatibus euidentius innotescet. Simeon Sethi calidum & siccum in secundo facit ordine.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Porrum capitatum inflationem facit Noxium Succum creat, difficilia insomnia parit. Vrinam ciet. Aluo accomodum. Extenuat. Oculorum obscuritatem facit. Menses pellit, vesicam exulcerat, renesq; lædit. Cum ptisana verò coctum & comestum, ea quæ in thorace sunt educit. Comaeius in aqua maris & aceto cocta, in desessionibus ad præclusiones vuluæ et duritias, vtilis habetur. Vna & altera aqua coctum, aut aqua frigida maceratum dulcescit, & multo minus inflat. Semen acrius est, quandam adstrictoriam vim habet. Quare succus eius cũ aceto, addito thurè aut manna, sanguinem, maximè è naribus prorumpentem, sistit. Venerem stimulat. Contra omnia thoracis vitia pro delinctu efficax est, & ad tabem comestum. Purgat etiam arteriam. Sed si assidue estur, visus obscuritatem inducit. Stomacho aduersatur. Succus ex melle potus, contra bestiarum morsus auxilio est. Idem quoque illitus potest. Cum aceto, thure & lacte, aut rosacco instillatus, aurium doloribus & sonitui prodest. Varos tollunt folia, cum rhoë opsoniorum illita. Epinictidi medetur. Crustas ex sale illita rumpunt. Veteres sanguinis reiectiones cohibent semi

nis

nis drachmæ binæ cum æquali baccarum Myrti ponderæ potæ.

EX GALENO.

Corpus calefacit, & crassos in eo humores extenuat. glutinosos q; incidit. Bis tamen aut ter in aqua decoctum, acrimonia spoliatur: quanquam ne sic quidem vim perdit extenuandi.

EX AETIO.

Porri capitati acris saporis veluti & cepæ sunt, cuius ratione corpus calefaciunt, crassos q; humores attenuant, ac lentos incidunt. vrinam prouocant, sanguinem purgant. Præstantissimus vsus eorum qui bis coquuntur: ita enim acrimoniã deponunt, neque amplius deprauatũ succũ retinent.

EX PAVLO.

Porrum mali succi est & acre. Vt autẽ Dioscorides ait, grauia facit insomnia, aluumq; bonã vrinã cit & extenuat. Habet & abstergendi vim aliquam cum ptisana: siquidem coctum, ea quæ in thorace sunt educit. Semen verò eius nephriticis miscetur medicamentis. Folia etiam nõnihil adstringunt, ob eamq; causam succus ipsorũ sanguinem supprimit.

EX PLINIO.

Porro sectiuo profluuia sanguinis sisti in naribus, contrito, eo obturatis, vel gallæ mixto, aut menthæ. Item ex abortu profluuia, poto succo cũ lacte mulierũ. Tussi etiã veteri, ac pectoris et pul

monis vitijs medetur. Illitis foliis sanatur ambusta, epinyctides: ita vocatur vlcus aciem hebetans et in angulo oculi perpetim humor emanans. Quidam eodem nomine appellant pustulas lisentes, ac noctibus inquietantes. Et alia vlcera cum melle trito. Vel bestiarum morsus ex aceto. Item serpentium. Aurium verò vitia cum felle caprino, vel pari mensura mulsi. Stridores cum lacte mulieris. Capitis dolores si in nares fundatur, dormiturisue in aurē, duobus succi cochlearibus, vno mellis. Succus & ad serpētium scorpionumq; ictus in potu bibitur cum mero, & ad lumborum dolores cum vini hemina potus. Sanguinem verò excreantibus & phthisicis, destillationibus longis, vel succus, vel ex ipso cibus prodest. Itē morbo regio, vel hydropicis. Et ad renum dolores, cum ptisanæ succo acetabuli mensura. Idem modus cum melle vuluas purgat. Tostus verò editur & contra fungorum venena, imponitur & vulneribus. Venerem stimulat, sitim cedat, ebrietatē discutit. Sed oculorum aciem hebetare traditur, inflationem quoque facere, quæ tamen stomacho non noceat, ventremq; molliat. Capitato maior est ad eadem effectus. Sanguinem rejicientibus succus eius cum caule aut thuris farina, vel acacia datur. Hippocrates & sine alia mixtura dari iubet, vuluas q̄s contractas aperiri putat. Fœcunditatem etiam fœminarum hoc cibo augeri. Contritum ex melle vlcera purgare. Tussim et destilationes thoracis.

Pul

Pulmonis & arteriæ sanat vitia, datũ in sorbitione ptisanæ: vel crudum, præter capita, sine pane, ita vt alternis diebus sumatur: vel si pulmenta excreentur. Sic voci vel Veneri, somnoq; multum confert. Capita bis aqua mutata cocta, aluum sistunt, & inflationes veteres. Cortex decoctus illitusq; inficit canos.

EX SIMEONE SETHI.

Vrinam cit, & mali succi est. A sidue comestum visus hebetudinem efficit. Difficilia inuehit somnia & stomacho nocet. Semen genitale calefacit, & capitis dolores excitat. Iecur, renes et vesicam lædit. Confert ad hæmorroidas. Bis verò aqua coctum, & aceto, & garo & oleo, cuminoq; conditũ, salubre est ijs qui frigido sunt stomacho.

DE PVLMONARIA.

CAP. CCXLV.

NOMINA.

VT veteribus Græcis & Latinis nominatæ sit hæc herba. nondum scire licuit. Hodierni temporis medici & herbarij Pulmonariam vocant, Germani Lungẽ kraut (Galli Herbe à Poulmon.) Sic autem hauddubiè appellari cœpit, quòd pulmonum vitijs, exulcerationibus potissimum eorundem, præsens remedium sit. Pulmonaria cur nominata.

FORMA.

Folia mollia habet, inuicem incumbentia leniter laciniata, cauis multis prædita, superiore parte viridia, inferiore in luteo albicantia, ac veluti

punctis aut pustulis quibusdam notata, atq; hoc nomine aliquam pulmonis humani formam referentia: vnde etiam Pulmonariam dictam esse cõijcimus.

LOCVS.

Prouenit in quercu arbore, & saxosis locis.

TEMPVS.

Tosta æstate inuenitur locis iam monstratis.

TEMPERAMENTVM.

Recentiores frigidam & humidam esse, mea quidem sententia, falso statuunt: admodum enim adstringit, vt hoc nomine idẽ cum quercu in qua nascitur habeat temperamentum. Desiccat itaq; & paulo infra media calefacit, in genere eorum quæ tepida sunt.

VIRES.

Desiccandi & adstringendi facultatem obtinet, quamobrem vulnera recentia glutinat, potissimum autem pulmonis. Ad incipientes quoque ac crescentes phlegmonas vtilis: nam quæ iam vehementes sunt, adstringentia respuunt. Cõfert autem haud dubiè etiã ad muliebre profluuium, & sanguinis expuitiones, & diuturnos alui fluores.

DE PTARMICE.

CAP. CCXLVI.

NONINA.

Sternutamentaria. *Sylueſtre Pyrethrũ.*

ΠΤαρμικὴ Græcis, Sternutamentaria Latinis dici potest. Sunt qui sylueſtre Pyrethrũ nominent, quòd scilicet Pyrethri modo, quanquã mitius linguam vellicet. Atq; hinc est quòd nonnulli

nulli pro verò Pyretro seducti eius titillane acrimonia, describserint. Germanis Vuilder Bertram appellari potest. Ptarmice dicta est, quòd flores eius naribus obiecti sternutamẽta eliciunt. Ptarmice cur dicta.

FORMA.

Breuis frutex est, paruis, multis, teretibus, & Abrotono similibus ramulis, circa quos folia multa, oblõga, oleaginis similia. In summo Chamæmeli capitulũ, paruum, rotundũ, olfactu acre sternutamenta ciens, vnde nomen inuenit. Hactenus Dioscorides. Quòd si itaq; naturam atque imaginẽ eius fruticis rectè expẽdas, vndiquaque ei plãtæ cuius picturã damus hæc descriptio quadrabit Nã surculis fruticat exiguis, multis, rotundis, Abrotono non dissimilibus, lente rufescentibus, quifolijs frequentibus, longiusculis, oleæ similibus, angustis, vtrinque leniter serratis ambiũt, cacumine Anthemidis vmbellã obtinẽte, quæ acri suo odore nares feriens sternutamentum irritat.

LOCVS.

Inuenitur sæpius in mõtibus altis et saxosis locis.

TEMPVS.

Floret æstate: radix eius extremo effoditur autumno.

TEMPERAMENTVM

Eius temperies est calida & sicca, viridis etiã suum ordine secundo, siccatæ tertio.

VIRES EX DIOSCORIDE

Folia cum floribus illita sugillata emendare,

possunt. Flores sternutamẽta efficacissimè mouẽt.

EX GALENO.

Ptarmices flores ciendæ sternutationis vim obtinent, vnde & herbæ nomen. Sugillata & reliquas ecchymoseis discutit.

EX PAVLO.

Ptarmices folia sternutamenta mouent. Totus autem frutex viridis sugillata, liuoresq; alios discutit.

Pyrethrũ cur dictũ, Saluiaris herba quare nominata.

DE PYRETHRO CAP. CCXLVII.

NOMINA.

Πυρεθρον Græcè, Saluiaris Latinè dicitur Officinæ Græcam appellationem retinuerunt. Germanicè Bertram, (Gallicè Pied dalexandri ou Pied de lisandre) nominatur. Pyrethron autem à feruido, ac ignis simili, qui in eius radice est sapore, Græci dixerunt. Saluiaris verò, quòd mansa vel ore tantũ detenta eius radix copiosam saliuã eliciat, Romanis appellata est.

FORMA.

Herba est caulem foliaq; syluestris Dauci, & Fœniculi instar proferens. Vmbellam Anetho similem orbiculatam. Radicem pollicis crassitudine longam sapore feruidissimam. Hæc Dioscorides. Vbi nobis monendus venit lector, Pyrethrũ nostri soli non ex omni parte huic descriptioni respondere. Non enim vmbellũ anetho similem, sed anthemidis potius orbiculatũ capitulũ, quẽ Ptarmici tribuit Dioscorides, habere deprehenditur

Pyrethrũ nostrum. Ptarmices flores obtinet.

Cate

Cætera omnia ad amussim respondent. Siquidẽ habet Pyrethrum caules & folia Dauci syluestris & Fœniculi, radicem pollicis crassitudine, gustus ardentissimi.

LOCVS.

In germania nostra, quòd sciam, nõ nisi plantatum prouenit.

TEMPVS.

Floret æstatis maxima parte.

TEMPERAMENTVM.

Excalfacit & siccat in tertio ordine, vel vt alii qui putant, in quarto.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Pituitam elicit radix: ideoq; dentium doloribus decocta in aceto, colluto inde ore, auxiliatur. Mãsa pituitam extrahit. Sudores ciet, inuncta ex oleo. Diuturnis rigoribus efficax. Contra refrigeratas partes corporis ac resolutas eximiè cõducit.

EX GALENO.

Pyrethri radice potissimum vtimur vrentem facultatem obtinente, qua vtique dentiũ etiã refrigeratorum dolores mitigat. Et ad rigores ante circuitum cum oleo infricatur. Ad hæc stupidos et resolutos adiuuat.

EX PAVLO.

Pyretri radix adurentem potestatem occupat dentium qui frigori patuerunt dolores lenit. Itẽ ad febrium rigores ante circuitum infricatur cũ oleo. Ad hæc ijs quorum corpora ex refrigeratione stupẽt, & resoluta sunt, efficacissime adhibetur.

DE PYXO. CAP. CCLXVIII.

NOMINA.

ΠΥΞΟΣ Græcis, Buxus Latinis, Germanis Buchszbaum (Gallis Du Bouis) dicitur.

FORMA.

Arbor immortali coma virens: folio Myrti, exiguo, subrotundo, flore herbaceo, semine rufo & rotundo, omnibus animantibus inuiso.

LOCVS.

Gaudet frigidis & apricis, plurimáq; vbiq; Buxus.

TEMPVS.

Perpetua fronde viret, neque ei vllo tẽpore decidunt folia. Quo nomine potissimum hanc celebrat germanica illa cantilena, eiusdem ac Salicis contentionem continens.

TEMPERAMENTVM.

Recentiores temperatam eius arboris essentiam esse statuunt, id quod ob multas causas, quas recẽsere supernacuũ est, nõ videtur verisimile. Haud dubiè verò adstringit, atque adeo exiccat.

VIRES.

Non admodum magnus Buxi in medicina vsus est. Folia eius in lixiuio decocta rufant, aut flauescere efficiunt capillos. Scobem eius decoctã in aqua alui profluuium sanare tradunt. Somnũ capere sub hac arbore, cerebro vehementer incommodat, quòd eius odor naturæ prorsus aduersetur. Ferunt serpentes vulneratas eius radice degustata, statim sanitatem recuperare.

DEPE

DE PETASITE. CAP. CCXLIX.

NOMINA.

ΠΕτασίτης Græcis, Petasites Latinis appellatur. Officinis penitus ignota. Germanis Pestilentzuurtz nominatur, quòd nimirum eius radix præsentaneum sit contra pestilentiales febres remedium. Petasites autem à pataso, piliu signisicante, dicta est, quòd folium eius pediculo superpositum, petasi modo amplum, vt fungus dependeat.

FORMA.

Petasites quare dicta.

Pediculus est cubito maior, crassitudine pollicis, in quo petasi figura folium magnum, vt fungus dependet. Ex qua sanè descriptione satis perspicuum fit, herbam cuius picturam damus esse Petasitem. Hæc enim statim inter initia Martij flores suos in albo purpureos, agglomeratos, & botri figuram referẽtes profert, citra quidem folia, quod Dioscorides omisit. Hi marcescentes sine fructu abeunt ac decidunt. Postea purpureos emittit pediculos, cauos, hirsutos quibus folia superpositasunt magna, pilei ampli figuram obtinentia, supernè viridia, infernè verò candicãtia, quæ in tã tam crescunt amplitudinem, vt vnum interdũ, orbicularem mensam prorsus tegat. Radix illi crassa & longa intus candida vehementer odorata & amara. Quibus accedit, quòd vires huius herbæ à viribus Petasites, vt ex sequentibus patebit, nõ discrepẽt: vt hoc nomine nihil euidẽtius sit,

quam

quàm eam herbam esse planè veterum Petasitè.

LOCVS.

Nascitur copiosissimè in pratis humidis & iuxta riuulos sitis.

TEMPVS.

Initio Martij mensis, vt comprehensum est, floribus suis conspicua est herba qui Aprili immine te statim citra fructum decidunt. Quo facto folia cum pediculis suis prodeunt.

TEMPERAMENTVM.

Ex tertio est ordine desiccantium, id quod amaritudo eius, quam gustu deprehendimus, facilè monstrat.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Facit ad maligna & phagedanica vlcera trita & illitum.

EX GALENO.

Ad maligna & phagedænica vlcera, ea vtitur. Idem etiam de Petasite tradit Paulus.

APPENDIX.

Experimento comprobatum est rædicem hanc mirificè conferre pestilentialibus febribus, quòd sudorem vehementer moueat, si in puluerem redacta cum vino sumatur. Nec minori efficacia bibitur à mulieribus quas vteri tormina & præfocationes exercent. Valet etiam vnicè ad enecandos lumbricos. Succurrit quoque ijs qui spiritus difficultate laborant. Ducit vrinam & menses. Efficax est ad vulnera præhumida, & ad reliquias

cutis

cutis fœditates. Hæc verò posse, amaritudo eius euidentissimè docet, cuius quidem hæ sunt facultates, vt ex ijs quæ sæpe iam diximus, & Galenus lib. iiij. de simpl. medica facult. cap. xvj. fusius docet, manifestum est.

DE PERICLYMENO.

CAPVT CCL.

NOMINA.

Περικλύμενον Græcis, Volucrum maius Latinis, Scribonio Largo Syluæ mater, vulgò Caprifolium & Matersylua, & nonnullis Lilium inter spinas dicitur. Germanis Geyszblatt, Speck oder Vualdgilgen, & Zeunling (Gallis Cheurefueille. Sic sanè dictum, quòd circumuoluendo ad se vicinas arbores aut frutices vocet.

Syluæ mater Caprifolium.

Lilium inter spinas.

Periclymenon vnde dictum.

FORMA.

Simplex frutex est, ex interuallis folia spargens ipsum amplectentia, subcandida, Hederæ similia: flores candidos, Fabæ similes, subrotondos, quasi in folium procumbentes: semen durum, & quod difficilè vellitur: radicem crassam, rotunda. Ex qua quidem descriptione perspicuum sit, fruticem quem pictum exhibemus esse Periclymenon: siquidem caulibus suis vicina amplectitur, gemina per interualla vmbilicata folia habẽs à terræ cæsys, supernè herbosis ad Hederæ similitudinẽ: flores albos, Fabæ non dissimiles, subrotondos, potissimum antequam delabscãt, baccas hederaceas

aut

aut Ruſci radicem craſſam. LOCVS.

Naſcitur in aruis ac ſepibus conuoluens ſe vicinis fruticibus. Nũc in hortis etiã paſſim plãtatur. TEMPVS.

Floret Iunio & Iulio menſibus.

TEMPERAMENTVM.

Vehementer calefaiit & deſiccat, id quod guſtu etiam ipſo deprehenditur. Folia ſiquidem ãcrimoniam quandam præ ſe ferunt. guſtata.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Huius ſemen poſtquam maturuit collectum, & in vmbra ſiccatum, drachmæ pondere datur in vino quadraginta diebus, vt lienẽ minuat aſſumãtve, & laſſitudinem diſcutiat. Orthopnœa & ſingultui prodeſt. Vrinam cit à ſexto die cruẽtam. Partum accelerat. Habent eaſdem vires & folia quæ triginta ſeptem diebus pota ſterilitatem facere produntur. In periodicis febribus cum oleo inuncta, earum horrores mitigant.

EX GALENO.

Peryclimeni vtilis eſt, tum fructus tum folia adeò vehementer incidentis & excalefacientis facultatis vt ſi pluſculum bibantur, vrinam ſanguinolentã efficiãt. Principio quidã vrinã tantũ mouẽt: porrò foris cũ oleo illita calfaciũt. Iuuãt etiam lienoſos, & difficulter ſpirantes. Competens potionis menſura eſt, drachmæ vnius pondus cũ vino. Cæterũ deſiccat quoque ſemẽ. Et quidam aiũt ſi copioſius bibatur, ſterilitatẽ omnino bilẽtibus aſ-

ferre

ferre. Sunt etiã qui certum dierũ numerũ ad talẽ potionẽ præsiniũt, quẽadmodũ Dioscorides, qui septẽ & triginta dies eos tradi refert. Hic quoq; cruẽtã vrinam reddi à sexto die memorat. EX PLINIO. Semẽ eius in vmbra siccatũ tũditur, & in pastillos digeritur. Hi resoluti dãtur in vini albi cyathis tribus, tricenis diebus ad lienẽ eũq; vrina cruẽta, aut per aluum absumit qđ intelligitur à decimo statim die. Vrinam ciẽt & folia decocta, quæ & orthopnoicis prosunt.

APPENDIX.

Ex iã cõmemoratis facultatibus nemo nõ intelligit fruticẽ hũc esse Periclymenon: cùm enim gustu acrimoniã præ se ferat, necesse est oĩa hæc q̃ veteres Periclymeno tribuũt, possit. Quibus accedit quòd recentiores etiam herbarij suo Caprifolio easdẽ vires assignent. Exiccare enim ipsum tradunt vlcera humida & sordida, sanare impetigines, & alias cutis fœdutates, lienẽ absumere, difficultati spirandi conferre, partus celeritatem facere calculos pellere, faciei maculas abstergere. & alia posse quæ non attinet referre.

DE PYRO. CAP. CCLI.

NOMINA.

ΠΥρὸς Græcis, Triticum Latinis dicitur. Officinæ antiquum latinum nomen retinuerũt. Germanis Vucyssen (Gallis Blc, ou Forment) appellatur. Triticũ verò dicitur quod tritum ex spicis sit, vt autor est Marcus Varro. Triticũ vnde dictũ.

GE

GENERA.

Primum. Tritici summa genera tria obseruant qui frumentariæ rei periti sunt. Primum quod Robus dicitur, quoniam & põdere & nitore præstet, Germanis simpliciter Vueyssen nominatur. Secundum trimestre, & nonnullis Sitaniũ dicitur. Trimestre quidem, quod tertio ferè satum mense maturescat: id quod tamen nostro in orbe non fit, in

Secundum quo Martio mense satum, quinto tandem, hoc est Iulio mense metitur. Germanis Amelkorn dicitur haud bubiè non alia ratione, nisi quòd ex hoc genere tritici amylum optimum conficiatur.

Tertium. Eius picturam dare hoc tempore non potuimus. Tertium genus tritici, non vndiquaque notũ Germanis Vuelscher Vueyssen, & Vueyssenkolb dicitur.

FORMA.

Primum tritici genus culmo est quàm hordeũ altiore, tribus geniculis constante, folio arundineo spica à foly's remotiore, inconduta, & in nullos versus dispositа. Exteritur in area, vt alia quædam frumenta. Alterũ culmo, geniculis, granisq; priori simile, nec ab eo differt, nisi quòd spicã, multis aristis vallatam, & in duos versus dispositam obtinet. Tertium genicula habet quaterna, alias præcedenti per omnia propemodum simile.

LOCVS.

Passim prouenit Triticum primi & secundi generis. Postremum in Alsatia, & agro Tubingen

genſi gignitur.

TEMPVS.

Floret, vt alia ferè omnia frumenta, Iunio mẽſe: in Iulio autem metitur.

TEMPERAMENTVM.

Triticum vt medicamentum foris impoſitum primi eſt ordinis excalefacientium, non tamẽ nec reſiccare, nec humectare manifeſto poteſt. Porrò quod ex eo conficitur amylum, eo tum frigidius eſt, tum ſiccius.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Optimum ad ſecundæ valetudinis vſum Triticum habetur quod recens & iam perfectè adultũ & colorem mali refert. Crudum in cibis rotũdos lumbricos gignit. Canum morſibus prodeſt manſum & illitum. Confectus ex eius ſimilagine panis, plus alit quàm cibarius, quem Græci συγκομισδὴν vocant E Sitanij farina panis leuiorem cibum præbet, & qui facilè in membra demandetur. Farina eius cum hyoſcyami ſucco illinitur aduerſus neruorum fluxiones. Item contra inteſtinorum inflationes. Lẽtigines ex oximelite tollit. Furfures autem acri in aceto elixi & calentes illiti, lepras pellunt. Incipientes etiam inflãmationes omnes illiti leniunt. In Rutæ verò decocto elixi mammas turgentes ſedant. Viperarum ictibus auxiliantur, & torminoſis proſunt. Confectum ex farina triticea fermentum calefaciendi extrahendiq; vim habet. Pruritum quæ in plantis pedũ ſunt extenuat. Cætera tubercula, furũculoſq;

ex sale concoquit, & aperit. Sitanÿ farina contra venenatos ictus cum aceto aut vino cõmodè illinitur. Eadem si decocta in glutini modum deliniatur, cruenta excreantibus succurrit. Cõtra tussim & exasperatam arteriam, cum menta & butyro decocta efficax est. Tritici pollen si ex aqua mulsa, aut hydrelæo decoquatur, omnem discutit inflammationem. Panis & cum melicrato coctus & crudus inflammationes omnes illitus mulcet cùm emolliat, & quadãtenus refrigeret, mixtus herbis succisq; quibusdam. Vetus autem & aridus per se, adiectisq; alijs quibusdam, citam aluũ cohibet. Recens muria maceratus & illitus, vetustas impetigines sanat. Glutinum ex similagine & polline, quo chartæ glutinantur: sanguinem excreantibus prodest, si liquidius ac tepidũ cochlearis mensura detur sorbendum.

EX GALENO.

Triticum quiddam lentoris, & obstruentis naturæ habet. Quod verò ex pane fit cataplasma, vim obtinet magis digerentem, quàm quod ex Tritico nimirum quum & salem & fermentum panis adiuncta habeat: quippe cùm fermentum vim habet attrahendi digerendiq; ea quæ in alto residunt. Plura de tritico petenda erunt ex capite primo, libri primi de alimentorum facultatibus, quo in loco variæ panis species exponuntur.

EX PLINIO.

Grana Tritici ferro cõbusta, ijs quæ frigus vsſe

vit

vit præsentaneo sunt remedio. Farina ex aceto cocta, neruorum contractionibus auxiliatur: cũ rosaceo verò & fico sicca myxisq; decoctis. Item suppuratis neruis cum hyoscyami succo illinitur. Ex aceto & melle lentiginì. Furfures tonsillis fauci-busq; gargarizationem prosunt. Sex. Pompeius prætorij viri pater Hispaniæ citerioris princeps, quũ horreis suis ventilandis præsideret, correptus dolore podagræ, mersit in triticum sese super genua, leuatusq; siccatis pedibus mirabili modo, hoc postea remedio vsus est. Vis tanta est, vt eados plenos siccet, Paleam quoque tritici vel hordei calidã imponi ramicum incommodis experti iubẽt, quæ decoctæ sunt aqua foueri.

DE POTAMOGETONE.

CAP. CCLII.

NOMINA.

Ποταμογτων, ἢ σαχοιτης Græcè, Fontalis Potamoge & Potamogeton Latinis dicitur. Officinis ton vnde-ignota est herba Germanis Samkraut vocatur Stachyites Potamogetum autem quasi fluminibus vicina dicta est: siquidem aquosis & palustribus locis nasci amat. Stachyites verò qua spicata, ob caulẽ quẽ ex se mittit floribus & semine spicatum.

FORMA.

Foliũ Betæ simile habet, dẽsum et paulũ extra aquã eminẽs. Ex qua quidẽ breui admodũ delineatiõe satis intelligi põt, herbã cuius picturã damus esse potamogetona. Caulẽ nãq; rotũdũ habet geni-

FORMA.

Persica foliis amygdalæ maioribus cõstat: fere subpuniceo, pomo carnoso, succulento, foris lanuginoso, dura intus & scabra nuce, in qua nucleus qualis amygdalis. LOCVS.

Passim in hortis, vineis potissimum, nascitur. Gaudet autem aquosis. TEMPVS.

Floret primo statim vere, Fructus verò eius autumni ferè exitu matureſcit, celerrimè marceſcēs.

TEMPERAMENTVM.

Persica arbor in germinibus & foliis vincentem amaram qualitatem habet, vt hoc nomine calidam esse nemo dubitare possit. Fructus eius in secundo ordine frigidus & humidus existit.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Persica poma stomacho grata sunt, matura bonam faciunt aluum, cruda verò aluum constringunt. Siccata vehementius adstringunt. Siccorũ decoctum haustum stomachi & ventris fluxiones sistit. EX GALENO.

Folia Persicæ trita & super vmbilicum imposita lumbricos necant. Alioqui sanè etiam discutiens medicamentum est. Pomorum verò eius succus & veluti caro facilè corrumpitur, omninoq; noxã infert, quapropter haud post alios cibos vltimoq; sicut nonnulli solent, illa offerri oportet, nã in summo natantia corrumpuntur, Huius verò, quòd omnibus commune est, meminisse oportet: quæcunque vitiosi succi, quæ humida & lubrica

sunt

sunt facileq; descendunt secedúntve, præ alijs comedenda esse: sic enim & ipsa celeriter subeunt, & alijs præeunt, ac quasi iter muniunt. Postremò autem sumpta, vna secum alia quoque in corruptionem trahunt.

EX PLINIO VALERIANO.

Persicorum cibus est quidem stomacho inutilis eò quòd cito succus eius inacescat, & caro æquè in digestione vlietur, verùm minimè grauis, dũ non diutius in intestinis moratur, & ad ima semper exitu celeri festinat. Persicorum cibus negatur à medicis membra nutrire. Sed & Galenus suadet nunquam omnino post cibum sumere, corrũpi affirmans si cibis cæteris innatent. Persicorum folia trita & imposita ventris animalia perimunt & expellunt. Eadem sicca & in puluerẽ tusa recentes plagas cruentorum vulnerum claudunt. Nucleus persicorum capitis dolori cum oleo & aceto tritus illinitur: quãuisquidam cum solo rosaceo terere maluerint. Gummi gutta quã Persici truncus illachrymat, fluenti aluo medetur. Eadem mixta cum vino etiam in vesica lapillos frangit. Trita ex aceto impetigines reprimit. De cocta cum croco tumores faucium mitigat. Asperam arteriæ canalem leniorem facit. Excreantibus sanguinẽ miro modo subuenit. Thoracis obstrictos sinus reserat. vitia palmonis expurgat.

APPENDIX.

Flores Persicæ saccharo conditi, instar rosarũ

interſectum, è quibus pediculi exeunt foliis Betæ aut Plantaginis veſtiti paulum ſupra aquam eminentibus. Flores etiam ſpicatos, Plantaginis instar, profert, ac ſubinde ſemen. Quid multa? folia huius herbæ planè referunt folium Indum vocatum officinis.

LOCVS.

Naſcitur in lacuſtribus & aquoſis locis.

TEMPVS.

Floribus prægnans eſt Iulio menſe.

TEMPERAMENTVM.

Refrigerat & exſiccat, vt guſtus etiam abunde docet.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Refrigerat & adſtringit: pruritibus, vlceribusq; vetuſtis, & iis quæ paſcendo ſerpunt, confert.

EX GALENO.

Adſtringit & refrigerat ſimiliter Polygono, ſed eſſentia eius craſſior quàm Polygoni eſt.

EX PLINIO.

Potamogeton ex vino dyſentericis & cœliacis medetur. Peculiariter refrigerat, ſpiſſat. Vſus in foliis, cruribus vitioſis vtilia, & contra vlcerum nomas, cum melle vel aceto.

DE PEDE ANSERINO.

CAP. CCLIII.

NOMINA

QVO nomine veteribus tum Græcis tum latinis ſit appellata hæc plãta nondũ cognoſcere

scere potui: quapropter nouã vt illi nomenculturã inderẽ necesse fuit. Aliã aũt & cõmodiorẽ non licuit inuenire præter eã, quam alludentes ad germanicã appellationẽ imposuimus. N.ã si folia eius spectes in ambitu laciniata, planè anserini pedis formã ac similitudinẽ repræsentant. Hinc appositissimè Germãis nostris vocata est Genszfusz, oder Genszfuszle. Quũ verò eadẽ herba suibus inimica admodũ sit, atq; adeò mortẽ inferat, factũ est vt à mulierculis etiã sit nominata Seutod, & Shcuueinsztod. Etsi verò in officinis eius herbæ nullus sit vsus, tamẽ quia passim nascitur, & temerè fortassis à nõnullis vires eius ignorantibus vsurpari posset, eã silentio transire noluimus, quò sciltcet facultas tam vulgaris herbæ omnibus patefieret.

Pes anserĩ nus cur di cta.

FORMA.

Caulẽ profert cubitalẽ, striatum: folia ad Halucacabi formã accedentia, in ambitu tamen laciniata, atqueadeò anserini pedis speciem referẽtia: flores exiguos rubentes, semẽ racematim, veluti in atriplice syluestri, singulis ramis insidẽs: radicem obliquam, multasq; adnascentias habentem.

LOCVS.

Passim in hortis, aliisq; locis vbi simũ reponitur, nasci solet.

TEMPVS.

Iunio mense potissimum floret.

TEMPERAMENTVM.

Haud dubiè in secundo refrigerat ordine, non secus atque Solanum hortense.

VIRES.

Suibus exitium affert herba hæc comesta, id quod experientia cognitum est. In humano corpore idem potest quod Solanum hortense. Quare facultates eiusdem suo quæres loco.

DE PETROSELINO.

CAP. CCLIIII.

NOMINA.

Apium saxatile.

ΠΕτροσέλινον græcis. *Apium saxatile* Latinis, & *Petroselinũ appellatur.* Germ. frẽbder Peterſilien (*Gallice* Perſil, ou Perſil des Roches & lieux pierreux) *nominari cõmodè, ad alterius quod Oreoselinum est, vt suo diximus loco, differentiam, potest.*

Officinarũ erratũ.

Officinæ eius herbæ cuius nunc picturam damus semine pro Amomo vtuntur, non tamen sine magno errore, quum constet omnibus, modò conferre inter se vtriusque historiam non pigeat. Amomum ab ea herba esse diuersissimum. Nos vt tandem sciremus è qua ſiue semen hoc decerperetur, terræ illud mandauimus, & hæc cuius pictura formam ostendit herba erupit, quam nos verum esse Petroselinum, vt paulo pòst ostendemus, credimus.

FORMA.

Petroselinũ, inquit Dioscorides semen Ammi simile obtinet: odoratius tamẽ, acre, & aroma olẽs. Breuis quidẽ delineatio hæc est, atq; imperfecta, vt nihil mirũ sit, nos hactenus quod verũ esset Petroselinũ non potuisse cognoscere. Meritò itaq; hoc

loco,

loco, vt cõpluribus etiã aliỹs. Dioscorides negligentiæ insimulari põt, vt qui mancas ac mutilas plærasq; posteritati relinquere stirpiũ historias voluerit. Si verò quispiam paucas etiam has notas expendat, haud dubiè herbam hanc cuius picturam oculis subiecimus, Petroselinũ esse cõperiet. Semen enim eius Ammi tam simile est, vt ab eo vix discerni queat: odoratius etiam existit, & acre, ac aroma olet. In summa nulla est nota quæ illi non respõdeat, vt hoc nomine verũ Petroselinũ esse credam. Quinetiam totæ eius hebæ forma, quæ non multũ à nostro & Germanico Petroselino abest atq; ador, Seleni speciẽ esse docent, vt pro Petroselino vsurpare hanc ipsam officinæ tuto possint: semen enim quo hodie vtũtur, nõ Macedonicũ Petroselinũ, sed Hipposelinũ, vt suo diximus loco, existit. Dioscorides negligentiæ insimulatur.

LOCVS.

In Macedonia frequẽs optimumq; nascitur, hinc Macedonicũ dicitur: inq; saxis & præruptis potissimum locis, vnde cœpit appellari Petroselinum. Nascitur & aliỹs in locis, vt lib. 3. de antidotis testatur Galenus, at minus laudatum.

TEMPVS.

Floret Augusto mense, atque subinde semen profert

TEMPERAMENTVM.

Petroselinũ vt gustu acre est cũ amaritudine, sic & in operibus calidũ. Fuerit itaq; & ipsum tertij ordinis tum excalefacientium, tum deficcantium.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Vrinam cit, & menstruа ducit. Stomachi & coli inflāmationibus auxiliatur, & torminibus. Laterū quoq; renum & vesicæ doloribus in potu sumptū succurrit. Miscetur antidotis vrinā cientibus.

EX GALENO.

Petroselini semen maximè vsui est, quum totæ etiam herba vnà cum radicè similem, sed imbecilliorem facultatem sortiatur. Incidendi etiam vim habet: hinc menses & vrinas largiter prouocat. Flatus quoq; extinguit.

APPENDIX.

Sunt qui hanc herbam quam pro Petroselino damus, Sisona esse putent: quorū sententiæ cur nō magnopere repugnem, facit in primis Dioscorides, qui Sisona perinde atq; Petroselinum suis notis haud descripsit. Dein quòd viribus non discrepent, atque adeò in vsu huius aut illius nullum sit periculū. Nos tamen nostram sententiam propter adductas paulò antè rationes deserere, nisi euidentibus conuicti argumentis, non possumus.

DE ROSA. CCLV.

NOMINA.

Rhodon cur dictū.

Ροδον Græcè, Rosa Latinè, officinis eodem seruato nomine appellatur. Germa. Rosen (Gallicè Rose.) Rhodon autem Græcis, Plutarcho autore, nominatur, quòd largum odoris effluuium emittat.

GE

GENERA.

Theophrastus libro sexto, cap. vj. de plantarũ historia, genera rosarum multa esse tradit, quæ foliorũ multitudine, paucitate, asperitate, leuitate, colore & odore differũt. Plinius etiam lib. xxj. capite quarto, ex loci diuersitate multa rosarum genera colligit. Nos simpliciter duo duntaxat illarũ genera faciemus, sylvestres scilicet & domesticas. Sylvestres, quæ etiã Caninæ rosæ vocantur, asperiores tum virgis, tum foliis sunt, ac odore, colore, magnitudine à domesticis superantur. Germani Heydrosen, & Vuildrosen vocant. In vtroque verò genere duplices existũt, puniceæ nimirum & candidæ. Nos vtrunque genus vna pictura complexi sumus.

FORMA.

Vulgò omnibus nota est Rosa. Virgas siquidẽ fuscis maculis tinctas, & aculeis plenas emittit: folia incisuris diuisa nigricantia & aspera. Germinat primũ inclusa granoso cortice, quo mox intumescẽte, et in virides alabastros fastigiato, paulatim rubescẽs debiscit, ac sese pãdit, incalycis medio sui statu cõplexa luteos apices staminaq; capillamentis insidẽtia, quæ propriè flores dicũtur. Sylvestris spongiolas etiã producit, quas pleræque officinæ Germaniæ nostræ, nõ sine detestando errore pro Bedegar vsurpant: fructum quoq; parit rotundũ, initio viridem, dein puniceum.

LOCVS.

Domestica passim in hortis prouenit. Sylvestris

etiã nusquã nõ in campestribus & dumetis nascitur.

TEMPVS.

Rosa vt nouissima inter vernos flores erumpit, ita etiã statim deficit. Decerpenda itaq; erit Iunio mẽse vbi primũ erupit, nemox nusquam cõpareat.

TEMPERAMENTVM.

Rosarã vis ex aquea calida substãtia duabus alijs qualitatibus, adstringenti videlicet & amarę mista, composita est. Flos earum magis etiam ipsis Rosis adstringit, ac proinde sanè exiccatorius est.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Rosa refrigerat & adstringit, sed sicca magis adstringit. Succus recentibus foliis exprimẽdus, detracto forfice vngue. Sic appellatur quod candidum est in folio, reliquũ mortario premi & teri debet in vmbra donec dẽsetur, & ita ad oculorũ circũlitiones recõdi. Siccãtur etiã folia in vmbra crebro versata, ne mucescãt. Ex aridis rosis in vino decocti expressus liquor, ad capitis, oculorũ, auriũ, gingiuarum, sedis, recti intestini ac vuluæ dolores pẽna illitus, collutus infusúsue, cõducit. Eadẽ sine expressione cõtusa & illita, præcordiorũ inflãmationibus, stomachi humiditati, & sacris ignibus medẽtur. Siccæ ac tritæ femoribus inspergũtur. Misceri solẽt cõpositionibus quas antheras vocãt, & vulnerarijs antidotis. Vrũtur folia ad honestãdas palpebras. Flos qui in medijs Rosis inuenitur siccatus, gingiuarũ fluxiõibus efficaciter inspergitur.

Vnguis.

Capi

Capita pota, aluum profluentem, & sanguinis re iectiones sistunt.

EX PLINIO.

VSus succi ad aures, oris vlcera, gingiuas, tonsillas, gargariz atu: stomachũ, vuluas, sedis vitia, capitis dolores. In febre per se, vel cũ aceto ad somnos, nauseas. Folia vrũtur in calliblepharũ. E siccis fœmina aspergũtur. Epiphoras quoq; aridas leniũt. Flos somnũ facit, Inhibet fluxiones mulierũ, maximè albas, in posca potus, et sanguinis excreationes. Stomachi quoq; dolores, quantũ in vini cyathis tribus. Semen his optimũ crocinũ, nec annicum vetustius: & in vmbra siccatur. Nigrũ inutile. Dẽtũ dolori illinit. Vrinã ciet. Stomacho imponitur. Itẽ igni sacro nõ veteri Naribus subdutũ caput purgat. Capita pota, sanguinẽ & vẽtrẽ sistũt. Vngues Rosæ epiphoris salubres sunt vlcera enim oculorum Rosa fordescunt, præterquam inutijs epiphoræ, ita vt arida cũ pane imponatur. Folia quidem vtijs stomachi, rosionibus, & vtijs ventris & inteſtinorum, & præcordijs vtilißima vel illita. Cibo quoq; Lapati modo condiuntur. Cauendus quoq; in ijs situs celeriter insidẽs. Et aridis & expreßis aliquis vsus. Diapasmata inde fiunt ad sudores coërcendos, ita vt à balneis inarescant corpora, dein frigida abluantur. Sylueſtris cum adipe vrſino alopecias mirifice emendat.

EX SIMEONE SETHI.

Odorata calidus capitibus ꝓdest, humida verò

offen

offendit, eaq; destillationi obnoxia reddit. Sumptæ verò ad febres ex flaua bile procreatas iuuat, et roborat stomachum & iecur. Proprietate autẽ quadam testes lædis, prohibetq; acres exhalationes ne in caput ferantur.

APPENDIX.

Spongiolæ ac fructus Cynorrhodi seu syluestris Rosæ mirificè valent contra calculũ, & vrinæ difficultates, si leuigatæ in pulverem exhibeantur.

DE RAPHANO. CAP. CCLVI.

NOMINA.

Raphanus vnde dictus.

Radix.

Ραφανὶς, ἡ ῥαφανὶς Græcis Raphanus, Radix, Radicula Latinis (Gallis Raue, ou Refort) dicitur. Hæc autem generis sunt nomina, ideoq; errãt nõ pauci nostræ ætatis medici & herbarij, qui Radiculæ nomẽ ad satiuũ dumtaxat Raphanũ transferũt. Raphanus aũt sibi nomen ἀπὸ τοῦ ῥᾴφαινω, id est, quòd facilè appareat, adsciuit: nã die tertio à satu profilit. Radicis verò nomen sibi arrogauit, quòd cæteras amplitudine corporis superet, vel quã pauciſsimis magnitudine cedat. Et enim plærunque in tantam molẽ coalescit, vt frigidis locis quibus gaudet, sicut in Germania, Plinio lib. xix. cap. v. teste, infantum puerorum magnitudinem æquet. Et memini me stupendæ magnitudinis Raphanos Erfordiæ, Turingiæ celeberrimo oppido, vidisse.

GENERA.

Raphani Græci duo faciunt genera, satiui &

syl

Sylueſtris. Satiuus officinis hodie peculiariter Raphanus minor dicitur, Germanicè Rettich Sylueſtris Latinis Armoracia appellatur. Germa. ad vocẽ Romanã alludentes, Merretich & kren nominãt. Noſtri hodie herbarij ſua potius quàm veterum autoritate freti, Radicem ſimpliciter, generis nomine, vocant. Nonnulli Raphanum maiorẽ appellãt, propter folia ipſa, quæ ſatiui folia magnitudine ſuperant: aut quia acrimonia maiore, aut viribus efficacioribus præditus eſt.

Raphanus minor

Armoracia.

Raphanus maior

FORMA.

Radix ſatiua caudice vno aſſurgit nõnunquã arboreo, radice ad Rapi ſimilitudinẽ, foliis laciniatis, angulíq; horrida: floribus cãdidis, & ſemine in ſiliquis. Sylueſtris dicta Armoracia frõde copioſior quã corpore, folia ſatiuæ ferè ſimilia habet, magis tamẽ ad Lãpſanæ formã accedẽtia, longa & acuta: radicẽ gracilẽ, mollẽ, Sinapi inſtar acerrimã, adeò vt caput tentet, & lachrymas incitet.

Satiua radix.

Sylueſtris.

LOCVS.

Raphanus in hortis naſcitur. Amat autem terram pinguem, Palladio lib. ix. cap. quinto teſte, ſolutam & diu ſubactam. Sylueſtris etiam hodie in hortis habetur, ſicq; tranſlatus ad culta, edomita feritate mitеſcit meliorq; fit. Creſcit alias circa margines itinerum, & loca arenoſa, inq; pratis nonnunquam ſua ſponte copioſè prouenit, vt ſit in prato ad oppidum Tubingam ſito, ſacrificorum vocato.

TEM

TEMPVS.

Cùm frigoris patientißimus sit Raphanus, nõ solum æstate, verumetiam hyeme colligi potest. Estq; illius vsus quotidianus. Floret æstate.

TEMPERAMETVM.

Raphanus satiua excalefacit quidẽ ordine tertio, desiccat verò secundo. Sylvestris aũt in vtroq; efficacior est. Quin & semen ipsum planta efficacius est.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Raphanus satiuus excalfacit, flatus gignit, ori suauis est, sed stomacho inimicus. Ructus & vrinã cit. Bonam facit aluum. Si quis à cibo ipius sumpserit, distributionem eius magis conferet. Præsumptus aũt, cibum subleuat. Prodest ante cibum datus vomituris. Sensus exacuit. Decoctus cõtra veterem tußim, & crasitiem in thorace natam prodest. Cortex eius cum oxymelite sumptus maiori efficacia vomitiones citat. Hydropicis vtilis. Illitus lienosis etiam confert. Cum melle ea quæ serpendo pascunt sistit. Sugillata tollit. Contra viperarũ ictus auxiliatur. Alopecias pilis explet. Lentigines cũ farina loliacea exterit. His qui à fungis strangulantur subuenit. Mẽses trahit. Semen eius vomitum proritat, vrinamq; mouet. Cũ aceto potum lienem extenuat. Coctum cũ oxymelite calido angina laborantibus vtiliter gargarizatur. Contra Cerastæ morsum ex aceto potũ auxilio est. Gũ aceto illitum gangrenas efficaciter disrumpit.

rumpit scarificátue. Syluestris tam folia quàm radix olerum modo in cibo coquuntur. Ex calefacit autem, vrinam cit, æstuosus est.

EX GALENO.

Facultas inest Raphano discutiẽdi, itaq; ad suffusillata, & alios id genus liuores ob eam facultatẽ conducit. Radix eius ex eorũ numero est quæ opsonij potius quàm nutrimenti nomine frequenter comeduntur. Vsus illi extenuatoria, cũ qua cõspicuè vnà excalfacit: aquis enim in ea qualitas exuperat Verno tempore caulẽ in altum assurgentẽ producere solet, seu alia quæ nata sunt excaulescere. Hic elixus estur ex oleo, garo & aceto, vt Rapæ caulis. Sinapi & Lactucæ. Et sanè caulis hic magis quàm crudus Raphanus nutrit, vt qui acrimoniã in aqua deponat: quanquã minimà sanè & ipse alendi potestatem habeat. Quidã non solũ caulẽ, sed vnà Raphanos ipsos elixantes comedũt. Raparũ modo. Cæterùm cũ medicos, tũ idiotas illos mirari subit, qui à cœna crudos eos concoctionis iuuandæ gratia edunt. Ipsi quidem se experiẽtia id abundè compertum habere dicũt, nullus tamen exemplum illorũ sine damno imitari potuit. Haclenus Galenus, cuius equidem verba eò lubentius recitauimus, quòd vulgi errorem Raphanos à cœna comedentis lepidè notare videantur.

EX PLINIO.

Raphani decocti mane poti ad ternos cyathos, comminuunt & eijciunt calculos. Iidem in posca

des-

decoctli, cõtra serpentiũ morsus illinũtur. Ad tussim etia mane ieiunis prodest Raphanus cũ melle. Semen eorũ tostum, ipsumq; cõmanducatũ ad lagonoponon: In aqua foliis eius decoctis, bibere vel succum ipsius cyathis binis, Contrà phlegmoni ipsos illinire tusos vtile. Inchoantibus autẽ recentem corticem cum me, veternosis verò quàm acerrimos mandere. Semenq; tostũ, deinde contritũ cum melle suspirioſis. Iidẽ & contra venena prosunt. Gæterùm cerastis, scorpionibus aduersatur, vel ipso semine infectis manibus impunè tractãtibus. Imposito Raphano scorpionibus, moriũtur. Salutares & cõtra fungorum aut hyoscyami venena æque, vt Nicander tradit. Et contra ixiam quoq; dari duo Apollodori iubent, sed Citicus semen ex aqua tritum, Tarentinus succũ, Lienẽ itẽ extenuant, ieiunori prosunt & lumborũ doloribus. Hydropicis quoq; ex aceto, & sinapi sumpti, & lethargicis. Praxagoras & illiosis dandos censet. Plistonicus & colicis. Intestinorũ vlcera sanant. At purulenta præcordiorũ, si cũ melle edantur. Quidã ad hæc coquere eos in luto illitos malunt, sic & fœminas purgari, Ex aceto & melle sumpti intestinorum animalia detrahũt. Itẽ ad tertias decocto eorũ poto cum vino enterocelis prosunt. Sanguinẽ quoque inutilem sic extrahunt. Medius ad hæc & sanguinem excreantibus coctos dari iubet. Et puerperis ad lactis copiã augendã. Hippocrates capillos mulierum defluos fricari Raphanis, & super vmbili-

cum

cum imponi, contra tormenta vuluæ. Reducunt & cicatricem ad colorem. Semẽ quoque ex aqua impositum sistit vlcera quæ phagedænas vocant. Democritus Venerem hoc cibo stimulari putat, ob id fortassis voci nocere aliqui tradiderunt. Folia quæ in oblongis tantum nascuntur, excitare oculorum aciem dicuntur. Vbi verò acrior Raphani medicina admota sit, Hyssopum dari protinus imperant. Hæc antipathia est. Et aurium grauitati succum Raphani instillant. Nam vomituris, summo cibo esse eos, vtilissimum est. Syluestris vrinæ duntaxat ejciendæ vtilior.

DE RIBE. CAP. CCLVII.

NOMINA.

GRAECIS cognitus fuerit nec ne frutex ille, nondum cõpertum habeo. Mauritanis & officinis hodie Ribes nominatur. Germanis S. Iohansz treublin oder beerlin, quòd scilicet circa diui Ioãnis Babtistæ diem fructus eius fruticis ad maturitatem pertingant. Ribes.

FORMA.

Frutex est nullis spinis horridus, sed topiarius magis, vitis pusillæ folijs, baccis rubẽtibus ex pediculis lõgis depẽdẽtibus refertus, vt pictura ipsa abundè docet. Vnde manifestũ fit Mauritanorũ Ribes à nostro diuersum esse, quòd non vitis, sed lata potius, magna, rotũda & viridia folia habeat. Quanquã non lateat Arabes etiã in Ribes descriptione non admodum concordes esse.

LOCVS.

Passim in hortis nascitur, ac eorundem pului-nos & areas sepit.

TEMPVS.

Circa diui Ioannis Baptistæ natales ferias, & Iulio potissimùm mense, baccis ac uuis rubentibus frutex ille ornatur.

TEMPERAMENTVM.

Folia & fructus uehemẽter adstringũt. Mauritani frigidũ & siccũ faciunt in secundo ordine.

VIRES EX MAVRITANIS.

Baccæ acido sapore placent. Refrigerãt æstuãtem stomachum: sitim restinguunt, quæ cũ alios, tum maximè febricitantes excruciat. Cibi fastidia discutiunt, & appetentiam inuitant. Fœdam ventris proluuiem cohibent. Vomitiones sistunt, stomachum firmant. Alui profluuium quod bilis attulit, retinẽt: erosiones & uellicationes eiusdẽ tollunt. Sanguinis feruorem demulcent, & bilis acrimoniam domãt. Seplasiarij succum eius fructus condiunt, ad anni totius usum, Rob de ribe appellantes.

DE RHODIA RADICE.

CAP. CCLVIII.

NOMINA.

Rhodia radix cur dicta.

Ροδια ῥίζα Græcè, *Rhodia radix Latinè nominatur. Officinis ignota, Germanicè Rosenuurtz vocatur. Rhodiam autem tam Græci quàm Latini dixerunt, quoniã contrita*

Rosas

Rosas redolet. Quapropter Rosæ, quas Græci ῥόδα nominant, non Rodus insula, vt imperiti putant, huic radici nomen fecerunt.

FORMA.

Radix rhodia Costo similis est, leuior tamen minorisq; ponderis, & inæqualis, odorem Rosarũ cũ teritur reddens. Reliqua eius facies Telephiũ refert, nisi quòd flore & semine carere videtur, id quod Galenus etiam asserit, & in Corollario suo annotauit Hermolaus. Dioscorides etiã illorum nullam facit mentionem.

LOCVS.

Nascitur potissimùm in Macedonia. Nunc in multis Germanis hortis plantatur.

TEMPVS.

Radix autumno effodienda.

TEMPERAMENTVM.

Rhodia radix in calefaciendo secũdi ordinis, aut certè tertij incipientis.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Vtilis est capitis doloribus, si madefacta fronti & temporibus cum modico rosaceo imponitur.

EX GALENO.

Tenuium partiũ, & discutiẽtis est facultatis.

DE SAMPSVCHO. CAP. CCLIX.

NOMINA.

Σαμψυχον, ἢ ἀμάρακον Græcis: Maiorana, Amaracus Latinis: officinæ Latinã apd' appellationẽ retinuerũt, Germ. Maiorã vel Meyran Maiorana

ran. (Gallis Mariolaine ou Maroñe) dicitur. Animaduertendū autē nos hic de Amaraco ea loqui quæ iucundo placet odore. Duplex enim Græcis Amaracus est. Vna quæ Dioscoridi alio nomine Parthenium dicitur, ingrato prorsus & viroso odore prædita, meritoq; ea de causa hodie Cotula fœtida nominata. Altera de; qua hic agimus, odorata, quam Sampsuchon Græci primatim nominant. Id, ne imperitis vox illa πολύνομον imponeret, monendum esse duximus.

Duplex Amaracus.

FORMA.

Herba est Sampsuchum surculosa, per terram serpens: foliis hirsutis & rotundis, Calaminthæ tenuifoliæ similibus, admodum odoratis. Hæc delineatio ad amussim herbæ Maioranæ vulgò dictæ fauet: est enim surculis lentè rubentibus, foliis pilosis, & rotundis, iucundo odore, semine copioso, quod bullulis quibusdā cōtinet: flore candido & exiguo. Serpit etiā per terram: verùm il nō vbiq; fit, interdum enim recta surgit in altum.

LOCVS.

Passim in hortis & fictilibus vasis prouenit. Gaudet autem locis vmbrosis, aqua & fimo.

TEMPVS.

Aestatæ dum floribus prægnans est capitur.

TEMPERAMENTVM.

Sampsuchum tenuium partium, & digerentis est facultatis: desiccat enim & calefacit ordine tertio.

VIRES

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Calefaciendi vim obtinet, & coronamentis apta. Decoctum eius potum, incipienti aquæ intercutem prodest, & ijs quos vrinæ difficultas, & tormina discrutiant. Arida folia ex melle illita, sugillata tollunt. In pesso subdita menses ducunt. Contra scorpionis ictum ex sale & aceto illinuntur. Luxatis cato excepta imponuntur. Similiter & œdematis. Aduersus oculorum inflammationes cum polline polentæ illinitur. Miscentur acopis & malagmatis calefaciendi gratia.

EX PLINIO.

Sampsuchum scorpionibus aduersatur ex aceto & sale illitum. Menstruis quoque multũ confert impositum. Minor est eidem poto vis. Cohibet oculorum epiphoras cum polenta. Succus decocti tormina discutit. Vrinis & hydropicis vtile. Mouet & nariũ sternutamenta. Fit ex eo oleum quod Sampsuchinum vocatur, aut Amaracinũ, Oleũ Ad excalfaciendos emolliendosq; neruos. Vuluas maracinũ calefacit. Et folia sugillatis cum melle, & luxatis cum sera prosunt.

DE SPANACHIA. CAP. CCXLX.

NOMINA.

Σπανάχια Græcis recẽtioribus, *Spinacia, vel Spinaceum olus* Latinis appellari potest. Arabicæ factionis principes Hispanach, hoc est, Hispanicum olus nominant. Germani Spinet, oder Spinnat (Gallis des Espinarts) *Spa-*

Spanachia cur dicta.

nachiã haud dubiè ab oleris raritate dixerunt Græci: rarò enim illo vtebantur medici, quòd cibo magis forsitan, quàm medicinæ nata esset, nec quicquã illustre sortita. Vel, quòd etiã simile veri est, ab alijs nationibus emẽdicato spinaceo nomine. Spinacea vulgò dicta est ab insigni seminis

Spinacia vnde vocata.

spiculorum nota: etsi enim herba ipsa glabra & mollis sit, semen tamen in spinas occalescit. Hispanicum verò olus nominauere, forsitan quòd inde primùm duxerit originem, ad cæteras tandem

Hispanium olus.

nationes translata.

FORMA.

Exit septem diebus à satu, folio primùm triãgulo, molli, mox intybi, plerunq; quà pediculo cohæret laciniato, inerti sapore, exigua radice, tenuibus capillamẽtis fibrata, caule cubitali, nonnunquam altiore, intus cauo: floribus in vertice rotundis, racematim cocuntibus, exiguis: semine spinulis horrido.

LOCVS.

Nullum solum respuit, sed vbicunq; satũ fuerit hic lætissimè prouenit.

TEMPVS.

Scritur Septembri mense, non horreas hyemis frigora, vt verno tempore cibum suppeditare possit. Marito etiam mense seritur, Iunio autem & Iulio mensibus semen & flores profert.

TEMPERAMENTVM.

Spanachia primi resrigerantiũ & humectantium

tium ordinis est.

VIRES.

Aluum emollit. Melius Atriplice suppeditat alimentum, sed aluo parum hærēs facilè exigitur. Flatus colligit, & vomitiones cōcitat, nisi excremētitius humor abÿciatur. Ventrem decoctæ ius proluit. Stomacho inutile. Et cæteras ferè omnes Atriplicis vires sibi fertur arrogasse.

DE SANICVLA. CAP. CCLXI.

NOMINA.

HERBA quam omnes hodie Saniculam vocant, à nullo, quòd sciam, veterum descripta est. sed à recentioribus innenta, vt multæ aliæ vulnerariæ herbæ. Sunt autem qui Diapensiam nominent. Germanis Sanickel, (Gallis Sanicle) dicitur. Nomen Saniculam à sanandis vulneribus traxisse vulgò constat. Diapēsiæ. Sanicula cur dicta.

GENERA.

Duùm est generū. Vna quæ propriè appellatur Sanicula, ideoq; marē, vt certius esset discrimē appellauimus Germanicè Sanickel mennle. Altera ab omnibus ferè herbarÿs pro specie, Osteritÿ vulgò vocati habetur, sed falsò, quando neq; in folÿs, neq; in radice vlla appareat acrimonia. sed pinde atq; in mare Sanicula, amaritudo & adstrictio. Germanis errore etiam quodā Die klein Meisteruurtz nominat. Nos eādē cū & forma & facultate ad verā sanculā quā marem fecimus, proximè accederet, Saniculā fœminam

nũcupauimus. Germanicè Sanickle Vueible.

FORMA.

Sanicula vera, atque adeo mas herba est folio vitis, aut Apÿ, in quinque partes dissecto, rubentibus in fine sectionũ maculis quibusdam: surculis quoque rubris ad radicem, quæ multis ei capillamentis fibrata subest: capitulis in summis coliculis pusillis, herbacei coloris et subnigris. Fœmina quòd ad folia attinet priori similis, rubentibus tamen maculis caret, itemq; rubris ad radicem surculis, quòd in ea hæc singula candida sint. Flores in summo candidos, ac subinde semen striatum & oblongum profert.

LOCVS.

Nascitur in syluis & vmbrosis locis.

TEMPVS.

Carpenda cum suis capitulis Maio & Iunio mensibus.

TEMPERAMENTVM.

Non ex simplicis naturæ, sed, vt indicio est gustus, adstringit simul & amara est, vt hoc nomine calefactoriam & exiccatoriam esse nulli dubium sit. Statuunt autem calidam & siccam ordine secundo.

VIRES.

Saniculæ herbæ succũ vulneratis in potu mirificè conferre experientia compertum est. Tumores quoque reprimere decoctam herbam impositam, aut eius succum illitum tam in homine quàm in

peco

pecoribus constat. Neque enim aliud presentius est auxilium, cùm ad fauces vel pulmones vitiũ decubuit. Et in summa, omnia quæ Symphython, præstat etiã Sanicula, Potißimũ verò sanguinis sputo, dysenteriæ, renumq; vitijs medetur.

DE SONCHO. CAP. CCLXII.

NOMINA.

Σόγχος Græcè, Sonchus, Cicerbita Latinè dicitur. Sunt qui Lactucellam & Lacteronẽ appellent, quòd sciluet caulis eius dissectus copioso diffluat lacte. Germanicè Mosz, oder Gẽsz-distel, (Gallicè Latterõ, ou Palais au lieure) vocatur Sonchus autẽ sibi nomẽ vendicauit ἀπὸ τοῦ σῶον χλοῦ, eò quòd salubrem fundat succũ, vt pote qui sua sorbitione stomachi rosiones leniat, & lactis abundantiã nutricibus submin-istret, genitalibusq; locis collectione laborantibus præsidio sit. Cicerbitæ tamẽ vocabulũ, quo omnis Hetruria adhuc vtitur, recẽs esse adiectitiũq;, & ex nõ multo tẽpore Dioscoridi accreuisse videtur.

Sonchus cur dicta.

Cicerbita.

GENERA.

Sonchi duo sunt genera. Alterum syluestrius aculeatius, & nigrius, quod Gensz-distel Germanicè vocatur. Alterũ tenerius esculentumq;, ac minus nigrũ, Germanis Hasen Kol dicitur. Et Apuleio Lactuca leporina, quòd cùm leporẽ animus defecit æstu, hac sibi herba mederi soleat.

Sonchus aspera.

Non aspera.

FORMA.

Cubitalis & angulosus Sõcho caulis est, cauus

& aliquando rubescens, & qui fractus copiosè lacte manat. Folia habet per interualla in ambitu scissa. Florem luteum, qui, vt Senecionis, breui digestus abit in pappos, vanascitq; in lanugines.

LOCVS.

Vbiq; ferè in macerijs hortorum, potissimùm autem in vineis Sonchus prouenit.

TEMPVS.

Floret Iunio & Iulio mẽsibus Sonchus vterq;.

TEMPERAMENTVM.

Temperamentum eius quodammodo mixtum est: cõstat enim ex aquea terreaq; essentia, vtraq; leuiter frigida. Nam & adstrictionis cuiusdã est particeps. Et siue cataplasmatis in morem imponatur, siue edatur, manifestè refrigerat. Postea verò quàm planè resiccatus fuerit, terrestre eius temperamentum redditur, modicam habens caliditatem.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Vis vtrique Soncho refrigeratoria, modicéque adstringens. Proinde stomacho æstuanti & inflammationibus illiti prosunt. Succus eorum in sorbitione datus stomachi rosiones morsusue mitigat, & lactis abundantiam efficit. Lana apposita sedis ac vuluæ inflammationibus opitulatur. Tam herba quàm radix illita scorpionum ictibus subuenit.

EX GALENO.

Sonchus vbi adoleuerit, ex spinosis plantis est.

Cate

Cæterùm viridis etiamnum & tener eſtur perinde vt cætera olera ſylueſtria.

EX PLINIO.

Albus qui è lacte nitor: vtilis orthopnoicis. Lactucarum modo. Eraſiſtratus calculos per vrinam pelli eo monſtrat, & oris graueolentiam commanducato corrigi. Succus trium ✣ cyathorum menſura in vino albo & oleo calefactus adiuuat partus, ita vt à potu ambulent grauidæ. Datur & in ſorbitione. Ipſe caulis decoctus facit lactis abundantiam nutricibus, colorémque meliorem infantium, vtiliſſimus ijs quæ lac ſibi coire ſentiãt. In ſtillatur auribus ſuccus, calidusq; in strãguria bibitur, cyathi mẽſura, & in ſtomachi roſionibus cum ſemine Cucumeris, nucleisq; pineis. Illinitur & ſedis collectionibus. Bibitur cõtra ſerpẽtes ſcorpionesq; radix verò illinitur. Eademq; decocta in oleo punici mali calyce, aurium morbis præſidium eſt. Hæc oĩa ex albo. Cleõporus nigro phibet veſci, vt morbos faciẽte, de albo cõſentiẽs. Agatocles etiã contra ſanguinẽ tauri demonſtrat ſucco eius vti. Refrigeratoriã tamen vim eſſe conuenit nigro, & hac cauſa imponendum cũ polenta. Zeno radice albi ſtranguriam docet ſanari.

✣ aliàs cochlearum.

DE SERIDE. CAP. CCLXIII.

NOMINA.

SEris Græcis, Seris & Intubus Latinis vocatur. (Gallis Chicoree.) Reliqua quæ illi ſunt nomina, in generum diſtinctione

mox

mox dicemus. GENEAA.

Serin Græci in duo fastigia partiuntur, in satiuam & sylvestrem. Sic & Intubum Latini in duo genera digesserunt, in satiuum & erraticũ. Satiuum qui non nisi cultu & humana diligentia prouenit. Erraticum verò, qui suæ sponte & liber, sub nulla olitoris lege vagatur & errat, dixerunt. Satiuus Intubus, quem priuatim, Plinio lib. xx. cap. viij. teste, Serin nominarunt veteres, in duas distrahitur species. Vna latiore folio constat, Lactucæ similior. Hæc corrupta ab intubo voce, In Hetruria passim Endiuia appellatur. Et debet in omnibus pro vera Endiuia vsurpari officinis. Nam qua hodie sub hac voce vtũtur, nõ est vera Endiuia, sed Lactuca sylvestris, vt suo diximus loco. Germanicè Endiuien vocari potest. Altera angustiora folia habet, & subamara est. Hæc diminutiuo à Seris nomine Seriola dicitur, quod deinde corrumpentes recentiores Scariolam fecerunt. Germanicè Scariol appellari poterit. Erraticus iterum Intibus in duas species, Plinio loco antea citato autore, degenerat. Vna, quæ Græcis ab insigni amaritudine πικρίς, ἢ κιχώριον nominatur, Latinis autem Ambubeia. Vulgus herbariorum & officinæ Cichoream vocant, Germani Vueguuarten, quasi viarũ custodẽ, vel Vueguueisz, quòd peregrinis quasi viam indicare videatur. Altera, quæ latiore folio prodit, Plinio Hedypnois nominatur, haud dubiè

Satiuus Intubus. Erraticus. Endiuia. Seriola. Scariola. Cichorea. Hedypnois.

bìè non alia ratione, niſi quòd ſuauiter dormire, ſomnúmque irrepere faciat. Vel, ſi paulò durior hæc videtur interpretatio, quòd flos eius præter alias Serides ſuauiter admodum ſpiret. Theophraſto libro ſeptimo de plantarum hiſtoria, capite ſeptimo, & Plinio lib. xxj. cap. xv. Aphaca alio no Aphaca. mine appellatur: diuerſa tamen ab ea quã ſuprà deſcripſimus, & quæ alias Vitia ſylueſtris dicitur. Vulgò Dẽs leonis, quòd folium ſinuatim per lacinias denticulatum ſit: & Roſtrum porcinum nominatur. Officinis noſtris, quæ barbaris delectantur vocibus, Taraxacon, aut Altaraxacon dicitur, Germanis KORLKRAUT, Pfaffenrorlin, Pfaffenblatt. Dens leonis. Roſtrum porcinum. Taraxacõ

FORMA.

Satiuus Intubus caulem edit magnum, rotundum, ſtriatum, frequẽtibus ſurculis brachiatum. Germinat foliatu ſtatim à radice venoſo. Flos illi in ramuſculis cæruleus, & nonnunquam etiam candidus emicat. Prima autem eius ſpecies, vt diximus, folio latiore, altero anguſtiore cõſtat. Erratici Intubi genus primum, quod Cichorium vocant, germinat à radice poſt Vergilias, folio Betæ laciniato, ſerè ſemper in ſolo procumbente, caule magno, fiſtuloſo, frangi contumace, multis ramulis brachiato, ad vinctum quoque lentis, flore cæruleo, interdum albo, particulatim uſque in autumnum erumpente, qui nubilo etiam die ſolis exortu pandítur, & cum eo circumagitur in occaſum. Satiuus Intubus. Cichorium.

sum, noctu semper compressus, & interdiu hiscēs. Hinc panditur rudissimus quorundam error, qui hanc herbam quam Germani Vueguuart nominant. Heliotropium esse contendunt, cùm tamen primū folia repugnent, quæ non sunt Ocimo similia, neque candida: sed nigricantia magis. Deinde non candidum, sed magna ex parte cæruleum florem habet. Radix denique eius, vt Heliotropij, non inutilis, sed, experientia teste, mirè efficax. Quibus omnibus accedit manifesta cū aliis satiuis intubis similitudo, quæ vna satis docet Intubum esse sylvestrem, & non Heliotropium. Vt quorundam temeritatem nō satis mirari queam: qui contra apertam veritatem, & omnium medicorum consensum, secus pronuntiare audent. Alterū, quod Leonis dens nominatur, solijs multis cōstat, vtrinq; denticulatis, in terra sessilibus, cauli culis dodrantalibus, cōcauis, leuibus & enodibus, flore luteo, stipantibus in circulum foliolis coronato, qui senescens euanescit in lanuginem, quæ cū aura raptim fertur.

Leonis dēs

LOCVS.

Satiuus nō prouenit nisi in hortis cultu & diligentia humana: haud tamen difficulter vbi satus fuerit, emergit. Erratici prima species passim iuxta itinera nascitur. Altera in hortis, & passim ferè etiam sponte sua gignitur.

TEMPVS.

Satiuus Iunio & Iulio mensibus floret. Cichorium

rĩũ eodem ferè tempore incipit florere, & in autũnum vsque durat. Hedypnoidis in Martio erumpunt flores, & in æstatem vsque perdurant.

TEMPERAMENTVM.

Seris olus est subamarũ, & magis quod sylvestre est: qđ ob idipsum Picrida quidã nuncupant, quidã verò Cichorium appellant. Est autẽ ea sicca frigidæq; temperaturæ, vtrũque secundo abscessu. Porrò domestica magis etiam quàm sylvestris refrigerat. Sed & humiditatis multæ admistio ficcitatem extinguit. Vtraque autem adstringentis qualitatis particeps est.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Omnes adstringũt & refrigerãt, & stomachũ adiuuãt. Alvum sistũt coctæ, si cum aceto assumãtur. Sylvestres autẽ stomacho meliores. Comesti imbecillũ & æstuantẽ leniunt. Cardiacis per se aut cum polenta vtiliter illinuntur. Podagris & oculorum inflãmationibus succurrũt. Herba & radix illita, percussis à scorpione subuenit. Ignibus sacris cũ polẽta medetur. Succus eorũ cũ ceruſa et aceto vtiliter ijs q̃ refrigerationẽ desiderãt inũgit.

EX PLINIO.

Intubi quoq; nõ extra remedia sunt. Succus eorũ cum rosaceo & aceto capitis dolores lenit. Idẽq; cũ vino potus: iecinoribus & vesicæ & epiphoris imponitur. Cichoriũ refrigerat. In cibo sumptum & illitum collectiones, succusq; decocti ventrem soluit. Iecinori & renibus, & stomacho prodest.

Item

Item si in aceto decoquatur, vrinæ tormina discutit. Item morbũ regium è mulso, si sine febre sit. Vesicam adiuuat. Mulierum purgationibus quidem decoctum in aqua adeò prodest, vt emortuos partus trahat. Adiiciunt magi, succo totius cum oleo perunctos fauorabiliores fieri, & quæ velint facilius impetrare. Hedypnois stomachum dissolutum adstringit cocta, cradáq; sistit aluum. Et dysentericis prodest magis cum lente. Rupta & conuulsa vtroque genere iuuantur. Item quibus genitura valetudinis morbo effluat. Seris vtraque stomacho vtilissima, præcipuè quem humor vexat. Cum aceto in cibo refrigerant vel illita, discutiuntq; & alios quam stomachi. Cum polenta sylvestrium radices stomachi causa sorbentur, & cardiacis illinuntur super sinistram mammã ex aceto. Omnes hæ & podagricis vtiles, & sanguinem reiicientibus. Item quibus genitura fluit alterno dierum potu.

Hedypnoidis facultates.

EX SIMEONE SETHI.

Stomacho bonum est Intubum, si cum aceto quis eo vtatur. Postquam decoctum est, aluum sistit. Obstructiones auferendi vim habet, vt nullũ aliud olus. Sanguinis feruorem sedat, & inflammationes iecoris discutit, & ictericos iuuat. Iecur proprietate quadã corroborat. Mediocriter somnũ inducit. Tradunt quidam post venæ sectionẽ, aut cucurbitas, si quis cum aceto vtatur, iecinoris sanitatem conseruare. Veneris appetẽtiam extinguit, &

& semen genitale in ijs qui frigidam habẽt temperaturam, minuit. Vtile est ad sanguinis excreationem, Huius etiam decoctum iecinori admodũ vtile. Semen febres ex flaua bile ortas iuuat, at lieni nocet.

DE STAPHYLINO.

CAP. CCLXIIII.

NOMINA

ΣΤαφυλῖνος Græcè, Pastinaca Latinè dicitur. Germanicè Pastiney, oder Pastnachen, (Gallicè Des Pastenades, ou Panetz.) Pastinacæ verò nomen à pascendo dictum videtur, natura enim ei calens, sapor vehemens, alit corpus, & Venerem cit. Pastinacæ vndedictæ

GENERA.

Duplex Pastinacæ genus. Vna enim satiua est, quæ iterum duorum est generum. Vnum genus quod vulgò Carota dicitur, Germanicè Zam Pastiney, & ror Ruben. Alterum: quod quidã inter Rapa connumerant. Hinc est quòd Germani Geel Ruben vocant. Syluestris altera, quæ propriè Staphylinus Græcis nominatur, Germanicè autem Vuild Pasteney, oder Vogelnest.

FORMA.

Folia Gingidij habet Pastinaca syluestris, latiora tamen & subamara. Caulem rectum, asperumq;, vmbellam Anetho similem obtinentẽ, in qua flores cãdidi, exiguum quiddam purpurei in medio habentes, & ferè ad croceum accedentis.

Radix digiti crassitudine: dodrantalis, adorata, & cocta manditur. Hortenses syluestribus per omnia similes sunt, nisi quòd flores in medio purpureum quiddã non habeant, & radix vnius in suprema sui parte purpurea sit, alterius autẽ magis lutea.

LOCVS.

Passim circa itinera, loca petrosa, & hortorũ maceries sua sponte proueniunt erraticæ. Satiuæ in hortis nascuntur.

TEMPVS.

Iulio & Augusto mensibus flores & semina Dauco similia producit vtraque.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit & abstergit vtraque, magis tamen syluestris.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Erraticæ semen potũ aut appositũ menses ducit. Vrinæ difficultatibus, hydropicis, et pleuriticis in potu cõfert. Cõtra venenatorũ morsus & ictus vtile. Ferunt non lædi à venenatis qui id præsumpserint. Cõceptus adiuuat. Radix ipsa vrinam cit & Venerem stimulat. Fœtus ex vtero pellit apposita. Folia trita cum melle imposita vlcera depascentia expurgãt. Hortensis Pastinaca cibo aptior est. Ad eadem, sed minori efficacia, prodest.

EX GALENO.

Pastinaca satiua imbecillior, syluestris ad omnia potentior. Vrinas mouet, & menses prouocat cum herba quidem tota, tum maximè semen & radix

radix. Habet porrò etiam absterſorium in ſe quippiam, quamobrem paſcentia vlcera quidam folijs eius cum melle, quò pura reddant, illinunt.

EX PLINIO.

Paſtinacæ erraticæ ſemen contritũ, & in vino potum, tumentem aluum, & ſuffocationes mulierũ doloresq; lenit in tantũ vt vuluas corrigat. Illitũ quoq; è paſſo vētri earũ prodeſt. Virus verò cũ panis portione æqua tritũ. Ex vino potum contra ventris dolores. Pellit & vrinã, & phagedænas vlcerũ ſiſtit recens cũ melle impoſitũ. Vel aridæ ſarinæ inſperſam radicẽ eius Dieuches cõtra iecinoris & lienis, ilium, lumborũ & renum vitia, ex aqua mulſa dari iubet. Cleophantus & dyſentericis veteribus. Philiſtion in lacte coquit, & ad ſtrangurıam dat radicis vncias quatuor. Ex aqua hydropicis ſimiliter & opiſthotonicis, & pleuriticis comitialibus. Habentes eã feriri à ſerpentibus negantur, aut qui ante guſtauerint, nõ lædi. Percuſsis imponitur cũ axungia. Folia contra cruditates manduntur. Orpheus amatoriũ ineſſe Staphylino dixit, fortaſsis quoniam Venerem ſtimulari hoc cibo certum eſt, ideo conceptus adiuuare aliqui prodiderunt. Ad reliqua & ſatiua pollet, efficacior tamen ſyluestris. Semen ſatiuæ quoque contra ſcorpionum ictus, ex vino aut poſca ſalutare eſt. Radice eius circunſcalpi dentes, dolore liberantur.

DE STRYCHNO. CAP. CCLXV.

Halicacabũ peregrinũ & Stramonia ex horto fãcti Germani Pratensis iam vulgaria multis, sũt.

NOMINA.

Solanum. Σ Τρύχνος Græcè, Galeno per vnius literæ abscissionem τρύχνος, Solanum Latinè, officinis Solatrum, vulgò Cuculus, Vua lupina, Vua vulpis, Morellaq; dicitur. Germanicè Nachtschatt. (Gallicè Morelle.)

Morella.

GENERA.

Quatuor, Dioscoride & Galeno autoribus, Solani sunt genera. Primũ hortense dicitur, quod scilicet olim in hortis cum alijs oleribus quæ edendo sunt, seminabatur. Hodie sua sponte, & inuitis cultoribus prouenit. Nigrum alio nomine, à nigris nimirum folijs, aut in extrema maturitate fructu nigro, appellatur. Germanis simpliciter Nachtschatt, (Gallis Morelle) vocatur. Secundum, quod priuatim Halicacabum nominatur. Vesicariam quoque vocant à folliculis quos producit, vesicarum in animantibus speciem imitantibus, vel quod vesicæ calculis medeatur. Officinæ Arabes secutæ, corrupto Halicacabi nomine, Alkakengi appellant. Germani nostri Iudenhutlin, oder Docklin, Iudenkirschen, Schlutten, Boberellen, Rot Nachtschatten. (Galli Baganauldes.) Est præterea alia Halicacabi species nupperrimè inuenta, & alumde in Germaniam allata, cuius nemo antiquorũ scri-

Solanum hortense.

Halicacabum.

Vesicaria

Alkakengi.

scriptorum, quod sciam, mentionem fecit. Nos discriminis gratia Halicacabum peregrinum nominauimus. Germanicè Vuelsch Schlutten nõ ineptè nũcupauimus. Tertium Solanũ somnificũ, ab effectu scilicet nominant. Sunt qui Solatrũ dormitorium vel marinum dicant, quod rupibus non longè à mari inueniatur. Quartum Græcis, μανικὸν, hoc est, furiosum nominatur, officinis Solatrum mortale. Solanũ somnificum. Solanũ furiosum.

FORMA.

Solanum hortense frutex est esculentus, exilis: alas multas habens, folia nigra Ocimo maiora & latiora: fructum rotundum, viridem, cum autem maturuerit nigrum, aut rufum. Flos huic candicat. Halicacabum foliis priori simile, latioribus tamen. Caules eius postquam increuerunt interram inclinant. Fructum fert in folliculis rotũdis vesicis similibus: rufum, rotundum, leuem, vuarũ acinis simile, quo coronarij vtuntur texentes coronas. Peregrinum planta est pergulis operiendis aptissima, latissimè enim suis clauiculis sese diffundit. Folia habet oblonga, & lacinata. Flores candidos, vesiculas Halicacabo similes, in quibus semen includitur pisis aut ciceribus simile, in cuius medio effigies veluti cordis humani insculpta & incisa apparet. Somnificum frutex est ramos habens multos, densos & lignosos, difficile fragiles, foliis pinguib. refertos mali cotonei similitudine, florem rubrum: grandem. Semen in siliquis croceum. Hortense. Halicacabum. Somnificũ

ceum. Radicem corticem habentem subrubrum, grandem. Furiosum folium obtinet Eruceæ simile, maius tamen, satis ad spinam quam Pæderota vocãt accedens. Caules à radice proceros decem aut duodecim emittit, vlnarum cubitorúmue quatuor altitudine capitulum effigie olinæ insidẽs, sed hirsutum vt Platani pilulæ, maius tamen & latius. Florem nigrum, post hunc fructum racemosum, rotundum, nigrum, denis aut duodenis acinis constantem. Hederæ corymbis similibus, mollibus vt vuæ. Radicem candidam, crassam, cauam, cubitalem. Cæterùm plantatur nũc in hortis Germaniæ herba Italis vocata Stramonia, & pomum spinosum, quam nonnulli inter Solani species numerant, nõ quòd descriptioni respondeat, sed quòd eius folia opij odorem referre videãtur. Quare vt alijs occasionem daremus cogitandi de hac planta, hoc loco eius picturam inserere placuit. Flores huius herbæ suauem Lilij spirant odorem. Videtur viribus parum à posterioribus generibus Solani distare. Germanicè à pomus appellare libuit,

Furiosum.

Stechend oder rauch opffelKraut.

LOCVS.

Hortense passim in opacis locis, & semitis obuium est. Nascitur & in hortis, Halicacabum in vineis copiosissimè prouenit. Somnificum in saxosis nec procul à mari locis producitur. Furiosum in montanis, ac vento perflatis locis, & vbi Platani nascuntur.

TEM

TEMPVS.

Hortense tota ferè æstate floret, autumno autẽ fructus eius matureſcit. Halicacabum veſicas illas ſuas in fine Auguſti, & inter initia Septembris menſis colore primùm viridi, mox paulatim rubeſcente profert.

TEMPERAMENTVM.

Hortẽſe refrigerat & adſtringit in ſecundo ordine, medium autem abſolutè in humectando & exiccãdo, Galeno lib. v. ſimpl. cap. ix. teſte. Idẽ faciunt Halicacabi folia. Somnificum tertij eſt refrigerantium ordinis. Manici ſeu furioſi cortex radicis refrigerat ſecundo ordine incipiente, & deſiccat in ſecundo iam completo, & tertio incipiente.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Hortenſe refrigerandi facultatem obtinet, quapropter folia ignibus ſacris, herpetibus cum farina polentæ illita proſunt. Per ſe autem tritæ & impoſita ægilopas, capitiſq; dolores ſanant. Stomacho æſtuanti auxiliantur. Parotidas cũ ſale trita & illita diſcutiunt. Succus eius valet aduerſus ignes ſacros, & herpetas, cum ceruſa, roſaceo & lithargyro. Ad ægilopas verò cum pane Infantium quoq; ardori, quem ſyriaſin vocant Græci, cum roſaceo perfuſus proficit. Miſcetur collyrijs pro aqua aut ouo contra acres fluxiones ad inunctiones. Aurium dolori inſtillatus prodeſt. Mulierbria proſluuia in lana appoſitus ſiſtit. Succus ſuluo gal lunarũ in domibus oberrãtium fimo ſubactus &

linteo appositus ægilopis remedio est. Halicacabi vim vsumq; hortensis Solani habet, verùm non comeditur. Fructus eius potus, eò quòd vrinam mouet, regiũ morbũ expurgat. Vtrorũq; herba exprimitur. & succus siccatus in vmbra reponitur, ad eadẽ vtilis. Somnifici radicis cortex in vino drachmæ pondere potus, somnificam facultatẽ obtinet Papaueris succo mitiorẽ. Fructus vehementer vrinam cit. Corymbi eius ferè duodecim hydropicis dantur. Plures autem poti ecstasin faciunt. Remedio est aqua mulsa copiosa potui data Succus eius medicamentis dolorem leuãtibus & pastillis miscetur. In vino decoctus & in ore retentus dentiũ doloribus succurrit. Radicis succus cum melle inunctus oculorum hebetudines tollit. Furiosi radix in vino drachmæ vnius pondere pota, non illepidas neq; iniucũdas imagines speciésue efficit. Duarum verò drachmarum pondere pota, ad tres vsq; dies ecstasin affert. Quatuor autẽ drachmæ haustæ interimũt. Remedio est aqua mulsa maiore copia pota, & vomitione reiecta.

EX GALENO.

Slanum esculentũ quod in hortis nascitur, notũ est omnibus, vtiturq; illo ad ea omnia quæ refriger ari & adstringi postulant. Cæterorũ verò nõ esculentorũ vnũ quidẽ nuncupatur Halicacabũ fructum habens rufum, acino vuæ tum figura, tum magnitudine adsimilem, quo etiam ad coro-

nas

nas vtuntur. Alterũ aũt fructicosum, quod somnificũ, & tertiũ quod furiosum dicitur. Halicacabũ igitur in foliorum facultate hortensi simile est. fructum habens ciendæ vrinæ idoneum: proinde multis cõpositis facultatibus quæ ad iecur, ad vesicam & renes accõmodantur, miscetur, Solani verò somnifici cortex radicis si cũ vino bibatur, somnũ accersit drachmæ pondere sumptus. Sed & ad cætera Papaueris succo persimilis est. nisi quòd eousq; imbecillior est, vt ipse tertij habeatur ordinis refrigerantium, quum hic in quarto sit constitutus. Huius semen vrinam mouendi facultatẽ habet. Si autem plus duodecim corymbis hauseris, dementiam furiámue adsciscet. Porrò quòd reliquum est ex dictis Solanis, ad medicatiões quæ intrò corpus adhibẽtur, inutile est. Nam si quatuor eius drachmæ sumantur, mortem inferent: si pauciores, insaniam, vna certè innoxiè offertur, cæterùm nec ipsa vtile quid obtinet. Verũ si foris corpori illinatur, vlcera maligna & depascentia curat. Sed ad talia radicis cortex optimus est.

EX PLINIO.

Strychno quã quidã Trychnon scripsere, vtinã nec coronary in Aegypto vterentur, quos imitat Hederæ florũ similitudo, in duobus eius generibus. Quorũ alterũ cui acini coccinei, granosi folliculi, Halicacabũ vocant. Nostri aũt vesicariam, quoniam vesicæ & calculo prodest. Frutex est surculosus verius quàm herba, folliculis magnis la- Vesicariæ.

tisq;, & turbinatis, grandi intus acino, qui matu
rescit Nouembri mense. Tertio folia sunt Octimi,
minimè diligenter demonstranda. Remedia enim
non venena tractamus: quippe insaniã facit par-
uo quoq; succo. Quanquã & Græci autores in to-
tum ve: t re. Drachmæ enim pondere lusum pudo
ris gigni dixerunt, species vanas imagines q; con
spicuas obseruari demonstrantes. Duplicatum
hunc modum, legitimam insaniam facere. Quic-
quid verò adijciatur ponderi, repræsentari mortẽ.
Hoc est venenũ quod innocẽtissimi autores simpli
citer Dorycnion appellauere, ab eo quòd cuspides
in prælijs tingerentur illo passim nascente. Quin
& alterum genus soporiferum est, atq; etiã opio
velocius ad mortem. Laudatum verò à Diocle &
Euenore: quippe præsentaneum remedium ad den
tes mobiles firmãdos, si colluerẽtur: huic tamen ex
ceptionem addidere, ne diutius id fieret: delira tio-
nem enim gigni eo. Cõmendatur & in cubis ter-
tium genus, licet præferatur hortensis saporibus.
Et nihil esse corporis malorum, cui non salutare sit
Strychnos, Xenocrates prædicat. Somnifici radicẽ
bibunt qui sunt vaticinandi callentes, quòd fure-
re ad confirmandas superstitiones aspici se volunt.
Remedio est (id enim libentius retulerim) aqua co
piosa mulsa calida potui data. Nec illud preteribo
aspidum naturæ Solanum somnificum in tantum
aduersum, vt radice eius propius admota soporen
tur, illud sopore enecante vim earum. Ergo trita

ex

ex oleo percussis auxiliatur.

APPENDIX.

Quod nos somnificum esse dicimus Solanum, aliqui hortẽse non sine maximo errore esse putãt, plurimumq; suibus cõferre, ac easdem à letalibus morbis præseruare asserunt. Nos tamen non laboramus magnopere quomodo suibus succurrat, sed quid in homine possit magis consideramus, quum constet plæraque alijs animantibus esse cibum, quæ homini venenum sunt. Experientia verò cognitum est, geminos pueros statim ex esu huiusmodi huius generis Solani mortuos esse. Quod sanè exemplum nos monet vt somniferum esse credamus potissimum, cum in vniuersum ferè illi de scriptio quadret, vno hoc dempto, quòd semen non habet in siliquis croceum. Sunt autem notæ quædam in hortensis etiam delineatione quæ illi non conueniunt. Neque enim exilis est frutex, sed propemodum arborescens: neque etiam florem candidum, sed spadiceum obtinet. Quòd verò ad flores & fructũ attinet, videtur accederi ad historiã Solani furiosi, vt suspicio ferè sit duorũ horum generum historias esse confusas: quam quidem auget Theophrastus, qui in eorundem descriptione nonnihil à Dioscoride variat. Quicquid verò sit, certũ est Solani esse speciẽ, quod forma ipsa foliorũ abũdè docet: atque huic vehementem refrigerandi vim, maximè si paulò copiosius sumatur, ineſſe, vt hoc nomine ꝑ somnifero Solano eius vsus medicis

nullo

nullo periculo esse queat. Nos vulgi sententiam secuti, appellauimus Dollkraut. Posset etiam Germanicè vocari Schlaff Nachtschatt. Sunt qui Seukraut nominant. Quòd si tamen hæc nõ nullis haud satisfecerint, certè necesse erit Mandragoræ speciem esse fateantur tertiam, quam pingit Theophrastus libro. vj. de hist. Planta. cap. ij. his verbis ἴδιος δὲ ὁ καρπὸς τοῦ μανδραγόρου τῶ μήλασι καὶ ἐκχώδης καὶ οἰνώδης εἶναι τῶ χυμῶ, hoc est, fructus Mandragoræ peculiaris, quia niger, acinosus q; & vinosus suo sapore sentitur. Hæ enim omnes notæ in fructu huius fruticis reperiuntur, Sed plura ea de re in capite de Mandragora diximus.

DE SYMPHYTO MAGNO.

CAP. CCLXVI.

NOMINA.

Συμφυτον, ἢ σύμφυτον μίγα Græcis, Symphytum & Solidago Latinis, officinis & herbarijs Consolida maior. Germanis Vualturtz, Schwartzwurtz, Schmeruurtz, grosse beynuell (Gallis de la Consyre.) Nomen il Symphytũ li apud Græcos Latinosq; egregia constringendi cur dictũ. & conglutinandi vis fecit.

FORMA.

Caulem emittit binum cubitorũ, aut maiorẽ, leuẽ, crassum, anguloſum, Sonchi modo inanẽ, circa, quẽ folia sunt nõ magnis interuallis distantia, hirsuta, angusta, oblonga, ad Buglossi foliorũ figuram

guram accedentia, Habet caulis secundũ angulos eminẽtias quasdã productas. Foliũ tenue ex singulis alis prodit. Flores lutei, & semen Verbasci. Totus verò caulis & folia quandã lanugine modicè asperam. tactu pruritũ mouentẽ, habent. Radices in superficie extrãe nigræ, intus candidæ et glutinosæ, quarũ est vsus. Hæc siquidẽ delineatio adamussim huic herbæ quæ vulgò Consolida maior appellatur, cõpetere videtur, quòd nulla prorsus sit nota quæ illi nõ quadret. Sed obtrudet quæstiã, florum colorẽ non respondere, quem Dioscorides luteũ esse dicit, quũ in nostra Cõsolida aluus sit. Cui ita respõsum volo. Coloris ista in floribus diuersitas non tanti momenti est, vt aliud à Consolida maiori Symphyton esse, cõuincere possit: neq; enim vbiq; terrarũ, etiam earundem herbarũ, flores similes sunt. Exemplo est Bugloſſum, quod Boragi nem hodie officinæ vocant: hoc enim interdum albos, quos nos Norimbergæ & Culmachij sæpe vidimus: magna aũt ex parte purpureos producit flores. Sic quoq; Symphytum frequenter flore subrubro, vel leuiter purpurascẽte, vt Onolzbachij, rarius cãdido conspicitur. Tubingæ tamen omnia flore albo visuntur. Luteis floribus nullum in Germania vidisse ne memini. Quod autẽ aluos quàm luteos nõnunquã proferat flores Symphytum, satis docet Apuleius in cõmentariolo illo quẽ de herbis cõscripsit, qui illius flores nigros esse tradit, subrubros aut subpurpureos haud dubiè innuẽs. Nos

Consolida maior.

Obiectio diluitur.

vna

vna pictura vtrosq; flores exhibemus. Germani candidis floribus Symphytum fœminã, subrubris verò marem appellant. Cæterùm non est quòd in Symphyti descriptiõe te perturbet aut remoretur, quòd idem caulis simul leuis & angulosus dicitur id enim sic intelligendum venit, quod caulis non perpetuò leuis aut angulosus sit, sed modo hinc, modò illum producat pro soli diuersitate.

LOCVS.

Locis aquosis, palustribusq; abundè prouenit.

TEMPVS.

Per integram æstatem floret. Radix tamen in autumno carpenda venit.

TEMPERAMENTVM.

Modicè, ordine scilicet secundò, calefacit, exiccat & contrahit.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Radices tritæ & potæ cruenta expuentibus, ruptisq; prosunt, Recentia vulnera illitæ glutinant. Carnes si vnà coquantur cogunt. Inflammationibus, sedis potissimum, cum Senecionis solijs vtiliter illinuntur.

EX GALENO.

Symphytum magnũ similem petræo facultatẽ habet, non tamen gustantibus dulce, neq; odorantibus odoratum apparet, sed ijs sanè ab illo diuersum est. Cæterùm quatenus viscositatẽ quãdã & mordacitatem obtinet, Scillæ simile est. Vtitur eo ad omnia quæ petræo. Potest autem petræum colle-

Clum-

ctum in thorace, pulmoneq; pus erpurgare. Habet etiã cõtrahẽdivim, qua sanguinis eiectionibus auxiliatur. Enterocelijs imponitur, & ad conuulsa & rupta cum oxymelite bibitur. In vino decoctũ ad dysenteriam, & profluuium muliebre rubrũ constringendum exhibetur.

EX PLINIO.

Symphyti radix illita, enterocelas cohibet. Vulneribus sanandis tanta præstantia est, vt carnes quoq; cùm coquuntur, conglutinet addita, vnde & Græci nomen imposuere. Ossibus quoque fractis medetur.

SYMPHYTI PETRAEI VIRES.

Quum Dioscorides & Galenus ad Symphyti facultates lectorem in Symphyti magni historia ablegent remittantq;, necesse est, vt illas ordine cõnumeremus more quidem nostro, primum ex Dioscoride, deinde ex Galeno & Plinio.

EX DIOSCORIDE.

Decoctum in aqua mulsa & potum Symphytum petræũ, quæ in pulmone sunt expurgat. Sanguinem reijcientibus & renum doloribus cum aqua datur. Ad dysenteriam & rubra fœminarum profluuia in vino decoctum bibitur. Ad conuulsa & rupta ex aceto mulso sumitur. Commanducatum sitim arcet. Gutturis asperitatibus prodest. Recentia vulnera glutinat, & intestinorum ramices illitum coërcet. Carnes cùm vna coquitur conglutinat.

EX

EX GALENO.

Symphytũ petræũ ex cõtrarijs constat facultatibus: habet enim incidẽdi vim quampiã, qua collectum in thorace & pulmone pus expurgare pot. Habet etiam quandã cõtrahẽdi facultatem, qua eiectiõibus sanguinis auxiliatur: & tertia adest in est humiditas quædã nõ immodicè calida, per quam gustantibus dulce apparet, & odoratu iucũdum. Mansum sitim extinguit, et arteriæ asperitates sanat. Porrò secundũ omniũ dictarũ virtũ mistionẽ simul digerere abũdè potest, simulq; corpora contrahere & constringere. Proinde enterocellijs imponitur, & ad conuulsa & rupta cũ oxymelite bibitur. Cæterùm qui ipsum in vino decoctum ad dysenteriam, & rubrũ multebre profluuium exhibent, tanquã desiccante & contrahente vtuntur. Qui verò ad nephritin renúmue dolorem, tanquam expurgante & incidente.

EX PLINIO.

Vtilissimũ lateribus, lienibus, renibus, terminibus pectoris, pulmonibus, sanguinem reijcientibus, faucibus asperis. Bibitur radix trita, & in vino decocta, & aliquãdo superlinitur. Quin & cõmanducata sitim sedat, præcipueq; pulmonẽ refrigerat. Luxatis quoq; imponitur & cõuulsis, lieni, interraneis. A luũ sistit coacta in cineres. Detracts quoque folliculis trita cum piperis nouẽ granis, & ex aqua pota. Vulneribus sanandis tanta præstantia est, vt carnes quoque cùm coquuntur,

conglu

conglutinet addita, vnde & Græci nomen imposuerunt. Oßibus quoq; fractis medetur.

DE SICYS ATIVA.

CAP. CCXLVII.

NOMINA.

Σικυς καὶ σικυὸς ἄμπελος Græcis, Cucumis & Cucumer Latinis dicitur. Officinæ latinã appellationem retinuerũt. Aëtius angurium etiã vocari tradit. Germani Cucumern (Galli Concombre) vocãt. Cucumer autem, vt Varroni placet, dicitur à curuore, quasi Curuimer. Sicyn verò Græci ex aduerso ἀπὸ τοῦ σικλίζειν καὶ κυλίειν, quod scilicet appetentiã concumbendi minimè stimulet, nominasse vidẽtur. Hinc celebratum Græcis prouerbium est, vt ex Athenæo annotauit Hermolaus: Texens pallium mulier cucumerẽ deuoret, quòd textrices magna ex parte, si Aristoteli credimus, impudicæ sint, & opportunæ Veneri. Vt ergo ijs impetus infrenetur & elãgueſcat, adagium edendos cucumeres textricibus consulebat.

Cucumer. vnde dictus.

Sicys.

Adagium

Textrices magna ex parte impudicæ.

GENERA.

Cucumerũ genera sunt Pepones & Melopepones in quos statim degenerant, figura tantùm & quãtitate inter se dissidentes. Si quidem qui magnitudine excedunt, aut in longitudinẽ procedũt, quales multis locis nascũtur, Pepones quondam vocati fuerũt. Sed qui formã & effigiẽ mali referũt, & humi rotũdãtur, Melopepones Græcis vocantur, facto ex Pepone & malo nomine:

Pepones.

Melopepones.

neq; inter Pepones & Melopepones aliud quàm quod sumitur ex figura quondã, vt diximus, discrimẽ fuit. Totũ hoc genus Palladius Melones,

Melones cur dicti. quasi μηλωνας, id est, pomeos, à malorũ figura appellauit, quo nomine maior pars hodie medicorũ simul cũ officinis vtitur. Sũt itaq; in vniuersũ tria Cucumerũ satiuorũ genera. Primũ genus absolutè

Cucumis. Cucumis, à nostræ ætatis herbarijs, cũ adiectiõe Cucumis citrinus, hoc est, flauus à colore quẽ habet cũ maturuerit, appellatur. Aëtius, quòd

Anguria. equidẽ sciã, primus Anguria vocari tradit, quæ veteribus, οἰκυα, id est, Cucumeres nominãtur. Horũ sanè plura sũt genera, nos quatuor potiora cõmemorabimus, quorũ etiã picturas exhibemus. Primi generis est vulgaris Cucumer, fructũ obtinẽs oblõgũ & maculosum, Germa. vocatur Gemeyn Cucumern. Sũt qui illũ priuatim Angurią appellẽt. Ad qd sanè nomẽ alludẽtes Germani nostri, alio nomine Gurchẽ nominãt. Alterius generis Cucumer est pegrinus, quẽ vulgus Turcicũ nũcupat, priori multo maior ac pcerior foljs, floribus & fructu, qui vt in primo nõ est maculosus, sed tamẽ oblõgus etiã. Germani Turckisch Cucumern appellãt. Fructus eius admodũ flauus existit, hinc est quòd multi eundem priuatim

Citreoli aut Citrulli. Citrulũ & Citreolũ, quasi citrinũ, hoc est, flauũ vocẽt. Huius semina alba & lata sunt. Tertij generis Cucumer est qui marinus dicitur, Turcico, quòd ad folia, flores & semina attinet, ferè similis,

Ius, nisi quòd in hoc omnia sint minora. Fructus verò rotũdus, vt Pictura mõstrat. Vulgus Zucco marin vocat. Germani meer Cucumer Officinis pinde atq; Turcicus ignotus. Quarti generis Cucumer est, quã officinæ hodie Citrulũ vocãt. Folia habet ferè Colocynthidis, multifariã dissecta et incisa: fructũ rotũdũ, herbacei coloris, & in eo semina lata, & colore spadicea, hoc est in rufo atra. Nos officinas respicientes nominauimus hũc Cucumerẽ citrullũ, Ger. Citrullẽ. Alterũ genus Cucumeris est, qui nũc simpliciter Pepon, ἀπὸ τοῦ πεπαίνεσθαι, hoc est, matureſcere dicitur. Is enim mitis ac tener maturitate flacceſcit. Ger. Phebẽ appellãt. Tertiũ genus Cucumeris hodie Melõ ab omnibus vocatur, Ger. Melaun nominãt. A priore forma & suauitate differt: rotundior siquidẽ & mali cotonei quasi formã referẽs, mitiorq; existit. Discrimẽ hoc sentientes posteriores Græci σίκυα simpliciter dixerũt, quẽ nos priuatim modò Cucumerẽ vocamus. Adiecta aũt Peponis voce, hũc quẽ nostra ætas priuatim Peponẽ nominat, σίκυα πεπονικά, id est, Cucumerẽ Peponẽ dixerũt, mitẽ scilicet & maturitate tenerũ Cucumim innuẽtes. Sub quo eũ etiã quẽ à tereti ac rotũda mali effigie μηλώνα peculiariter dixerũt, cõplexi sũt. FORNA.

Pepo.

Melon.

Cucumis sarmentis viticulisq; prælongis serpit, in ramosq; vitis modo se diffundit, tamen ob caulis infirmitatẽ humi spargitur, ni ppius adsit cui caducus incumbat: folio anguloso, flore luteo,

Cucumis.

fructu cartilagineo, & interdum maculoso, colo-
ris tum herbacei, tum citrini, tum nigri. Pepo vi-
Pepo. te serpit prælonga, flagellis vltro citroq; reptanti-
bus, vitigineis fere frondibus, scabris, flore luteo,
fructu cartilagineo, orbiculatim striato, promi-
nulis puluinorum toris, strigilibus in vertice po-
mi & vmbilico coëuntibus, ibidemq; stellatim
decussatis, cute aspera velut lentiginibus occupa-
ta, carne intus suaui, seminibus in vtero liratim
digestis.

LOCVS.

Pingui gaudet solo, locisq; apricis vberior pro-
uenit Cucumis. Nascuntur & pepones bene cul-
tis locis, eóque lætius si subinde rigentur. Amant
tamen aprica loca, & sole irradiata, ideóque cùm
annus est pluuiosus & nubilus, non æquè vt in
siccis annis proueniunt. Libertate etiam gaudet,
qua possint vltro vagari. Magna copia Peponū
& Melonum apud Norimbergam, celeberrimā
Germaniæ nostræ oppidum, prouenit.

TEMPVS.

Aestatis fine, Iulio potissimum mense, matu-
rescunt. Citius tamen Melones, quàm priuatim
Cucumeres dicti.

TEMPERAMENTVM.

In Cucumeribus superat humida & frigida
temperies, nō tamen vehementer, sed quasi in se-
cundo censetur ordine. Attamē si quis aut semen
aut radicem arefaciat, haud etiā humidæ fuerit
na-

maturæ, sed iam deficcantis, idq; in primo quodã modo ordine, aut in secundo incipiente.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Satiuus Cucumis bonam facit aluum, stomachoq; accõmodatus est. Refrigerat, nec corruptionẽ sentit. Prodest vesicæ. Olfactu animo deficientes restituit. Semẽ eius mediocriter vrinã cit. Cũ lacte aut passo vesicæ exulcerationibus subuenit. Foliæ eius cum vino illita, morsus canum sanant, cum melle verò epynictidas. Peponis autẽ caro comestæ vrinã cit. Inflammationes oculorum illita sedat. Superior eius cortex contra adustionem infantium, quam striasin vocant, syncipiti imponitur. Fronti vt oculorũ fluctiones auertat, imponitur. Mixtus farinæ, & cũ semine in sole siccatus succus, smegma fit ad extergẽdam cutem, & nitorem in facie conciliandũ. Radix sicca, & cum hydromelitæ drachmæ pondere pota, vomitiones mouet. Quòd si quis modicè à cœna vomere cupiat, gemini oboli satis erunt. Sanat & vlcera in modũ faui cõcreta, ceria vocant, cum melle illita.

EX GALENO.

Cucumis esculentus maturus quidem tenuioris essentiæ est, qui verò immaturus, est crassioris. Sed & abstergendi & incidendi facultate participant, quare & vrinã mouent, & corpus splẽdidum reddũt: at magis si quis semine arefacto cõtusoq; atq; cribrato, vice pulueris abstersorijs vtatur. In semine & radice maior abstergẽdi facul-

tas quàm in fructus ipsius carne. Vniuersa Peponũ natura frigidior cũ larga humiditate existit. Habẽt & quandã abstergẽdi vim, ideoq; vrinã ciẽt, & deorsum expeditius quàm Cucurbita & Melopepones rapiũtur. Quòd porrò abstergant, discere licet sordidã cutem defricando. Quamobrẽ maculas etiã solis calore factas, & lenticulas faciem occupãtes, & in superficie alphos extergere possunt. Semẽ quòd in eorum veluti carne cõtinetur, ad hoc efficacius, adeò vt renibus etiã calculo infestatis sit accommodatũ. Gignit in corpore vitiosum succum, potissimùm quãdo non rectè concoquitur. Tum verò morbũ etiã qui cholera dicitur inducere cõsueuit. Etenim priusquã ad corruptionẽ peruenit, vomitioni quoq; idoneus est: largiusq; ingestus, nisi quis aliquid eorum quæ boni sunt succi supermãdet, omnino vomitũ cõcitabit. Melopepones minus humidi quàm Pepones sunt, nec adeo praui succi, segnius itẽ prouocãt vrinã, tardiusq; deorsum descẽdũt. Ad vomitũ excitãdũ non eandẽ vim Peponibus obtinẽt, sicut nec celeriter in ventriculo, quãdo illic praus humor coaceruatur, aut alia corruptionis causa illũ infestauerit, corrũpuntur. Ventriculo haud quaquam ceu Pepones officiunt. Cucumeres autem vrinam mouẽdi facultatem, perinde atq; Pepones habẽt, sed imbecilliorem: minus nanq; substãtia humidi, ideoq; nõ facilè, vt illi, in ventriculo corrũpuntur. Inuenias qui hos ceu alia multa, quæ bona hominum

hominum parti concoqui non possunt, conficiant, ob totius scilicet naturæ cum eis proprietatem.

EX PLINIO.

Pepones qui vocantur, refrigerant, maximè in cibo, & emolliunt aluum. Caro eorum epiphoris oculorum, aut doloribus imponitur. Radix sanat vlcera concreta in modum faui, quæ ceria vocant. Eadem contra vomitiones siccatur, in farina tusa datur, quatuor obolis in aqua mulsa, ita vt qui biberit, quingentos postea passus ambulet. Hæc farina & in smegmata adijcitur. Cortex quoq; vomitionem mouet, faciem purgat. Hoc & folia cuiuscunq; satiui illita. Eadem cum melle epinyctidas sanant: cum vino canis morsus. Cucumis odore defectum animi.

EX SIMEONE SETHI.

Anguria, quæ Cucumeres dicuntur, secundum verò communem sermonem Tetrangura, ob frigidum & humidum temperamentum noxia sunt, & mali succi. Ex his autē parua magnis anteferre oportet. Hæc vrinā ducūt, & si in aceto macerentur, in acutis præsertim febribus, mitiorē calorem reddūt. Crebrior verò horū vsus semē genitale minuit, in Veneremq; impetū aufert. Semen autē horū desiccatum, caliditatem quandā possidet, cōtrariamq; his actionē efficit, vrinamq; magis prouocat. Pituitam glutinosam Tetrangura in ventriculo gignūt, quæ cruda per venas diffunduntur. Proptera qui his crebrius vtūtur, illi ꝓpter

humores temporis ſpatio in venis, & aliis corporis cauitatibus coactos, longis corripiuntur febribus. Semen verò horum vrinam cit, ſed minus quàm Peponum, quoniam celerius in ventriculo corrumpuntur. Meliora in his ſunt quæ habent ſemen exiguum. Calidos autem & ſiccos ſtomachos iuuant, & ſi in ardente febre cũ aceto porrigantur, valde proſunt. Proprium verò horum eſt nauſeas ventriculi calore excitatas, ſedare. Horum autem interiora eſſe oportet: nam quæ foris ſunt, mali ſucci exiſtũt, & difficulter admodũ concoquuntur, & ferè venenata. Habent verò & alias proprietates, vt animo deficientes propter excedentem calorem reficiant. Si autem pituitam in ventriculo nanciſcantur, nauſeas: faciunt, & colicos affectus & hypochondriacas paſſones.

De SICY SYLVESTRI.

CAP. CCLXVIIII.

NOMINA.

Cucumis anguinus. Cucumer aſininus.

Σικυος ἄγριος, ἢ ἐλατήριον, ſic autem propriè vocatur ſuccus eius Græcis, Cucumis anguinus, ſylueſtris & erraticus Latinis, officinis & Barbaris Cucumer aſininus, Germanis Vuild Cucumer, vel eſels Cucumer (Gallis Cocombre ſauuage) appellatur.

FORMA.

Solo fructu à Satiuo Cucumere diſtat, quem multò minorem habet, glandibusq; longiuſculis ſimilem

similem. Folia & sarmenta sativo similia. Radicem albam & magnam. Totus frutex amarus.

LOCVS.

Ruderibus fabulosisq; locis provenit. Nusquã tamẽ in Germania, quòd sciã, nisi satus nascitur.

TEMPVS.

Augusto mẽse floret, atq; subinde autũno fructũ tẽpestiuũ producit, qui seminibus ac succo plenus est, qui decerpto pediculo confestim exilire solet.

TEMPERAMENTVM.

Calidus & siccus est Cucumis sylvestris, vt ex viribus latius patebit.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Foliorum succus instillatus aurium dolori conuenit. Illita ex polenta radix omne vetus œdema discutit. Imposita cum resina terebinthina, tubercula rumpit. Decocta ex aceto & illita podagras discutit. Ischiacidis infunditur eius decoctũ, eoq; in dolore dẽtes collũtur. Arida trita, alphos, lepras & impetiginem abstergit. Cicatrices nigras, & in facie maculas expurgat: Radicis succus sesquioboli pondere, & item cortex acetabuli quarta parte, bilem pituitamq; deijciunt, præsertim in hydropicis. Purgat verò citra stomachi iniuriam. Radicis selibram accipere oportet, inq; duobus vini præsertim Libyci, sextarijs conterere, ac dandi ex eo terni cyathi, donec tumor abundè subsederit. Quod verò Elaterium vocatur, ex fructu huiusce Cucumeris paratur ad hunc

Elaterij confectio.

modũ. Eligito Cucumeres qui tacti saliẽdo succũ ex se profundunt, ac nocte vna repositos dimitte. Postridie cribrũ rarius neq; crebra foramina habens crateri superponito, supinóque cultro sursum versus aciẽ habẽte sigillatim Cucumeres viriscq; manibus prehendẽs diuito. & per cribrũ in subiectum craterẽ humorẽ exprimito, simulq; carnosum in eis quod iam cribro adhæret, exprimito, vt & illud descendat. Quæ expressa sunt in paratã peluim cõijcito. Coaceruatis autem in cribro quæ antea dissecta fuerũt, ea dulci aqua perfundito, & cũ expresseris abijcito. Humorẽ in pelui agitatũ & linteo opertũ, soli exponito, dumq; steterit totã supernatantẽ aquã, cũ humore cõcreto, percolato. Facitoq; id sæpius donec supernatans aqua subsidat, quã cùm diligenter excolaueris, cõiectũ in mortarium sedimentum terito, & in pastillos conformato. Elaterium verò à bimatu ad decennium purgationibus vtile. Integra quãtitas obolus est, minima semiobolus, pueris chalci duo. Copiosius enim potũ, periculũ adfert. Pituitã & bilẽ per inferna pariter & superna trahit. Optima autẽ per ipsum difficulter spirãtibus fit purgatio. Quòd si itaq; in animo est per aluũ purgare, adiecto salis duplo, & stibij quod colorari sufficiat, ex aqua catapotia erui magnitudine dato. Postea cyathus vnus aquæ tepidæ sorbeatur. Ad citãdas verò vomitiones aqua diluens Elaterium, subiectas linguæ partes peniti, ſimè penna oblinito. Quòd si quis

Vires Elaterij.

quispiã difficilius vomat, oleo aut vnguento irino diluito. Somnum inhibeto. Porrò ijs qui supra modum purgãtur, vinum cum oleo mixtum cõtinuo dare conuenit: etenim vomendo emendantur. Quòd si vomitiones non finiantur, aqua frigida, polẽta, posca, poma, & quæ stomachũ densare possunt offerẽda sunt. Ciet Elaterium menses. Fœtus enecat in passo subditum. Morbo regio medetur, cũ lacte naribus infusum. Diuturnos capitis dolores finit. Efficaciter angina laborãtibus inungitur, cũ vetere oleo, melle aut felle taurino.

EX GALENO.

Cucumeris syluestris, & fructus ipsius succus, quẽ Elateriũ vocãt, & nõ minimè radicis ac foliorũ ad medicationes perutilis est. Elateriũ itaq; menses ciet, & fœtum interimit appositũ, ceu alia omnia amara & subtiliũ partiũ, maximè si aliquã habeant caliditatẽ, veluti Elateriũ. Summè si quidẽ amarũ est, leuiter calidũ, vt ex secũdo sit ordine calefacientium. Porrò tale protinus quoque digerendi vim obtinet. Sic igitur eo angina laborantes inungunt quidã cum melle, aut oleo vetere. Bonũ item est regio morbo affectis fusum cum lacte in nares. Hoc etiã vsu dolores capitis sanat. Atq; Elaterium quidem eiusmodi est, At radicis succus, vt & foliorum, licet similem vim habeat, imbecilliorẽ tamẽ. Sed & ipsa radix ad similem facultatẽ posidet, abstergit, nanque digerit atq; emollit. Porrò cortex eo potentius desiccat.

EX

EX PLINIO.

Ex Cucumere syluestri fit medicamentũ quod vocatur Elaterium, succo expresso è fructu. Cuius causa nisi maturius incidatur, succus exilit, oculorum etiam periculo. Obscuritates & vitia oculorum sanat, genarumq; vlcera, Tradunt hoc succo tactis radicibus vitium, non attingi vuas ab auibus, Radix aũt ex aceto cocta podagris illimitur, succoq; dẽtium dolori medetur, Arida cum resina impetiginem & scabiem, quam psoram & lichenas vocant. Porotidas & panos sanat, cicatricibus colorem reddit. Et foliorum succus auribus surdis cum aceto instillatur. Nullum ex medicamentis Elaterio longiore ævo durat. Incipit à trimatu. Melius autem quo vetustius erit, quod iam ducentis annis seruatum esse, autor est Theophrastus, Et vsque ad quinquagesimum lucernarum lumina extinguit. Hoc enim veri experimentum est, si admotum prius quàm extinguat, scintillare sursum ac deorsum cogat. Efficax est contra scorpionum ictus Elaterium, & ad purgandum vterum, aluumq;. Modus portione viriũ à dimidio obolo ad solidum. Copiosius necat. Sic & contra phthiriasin bibitur & hydropises. Illitum, anguinas & arterias cũ melle, & oleo vetere sanat.

DE SMILACE HORTENSI.

CAP. CCLXIX.

NOMINA. Σμι

Σμιλαξ κνπρολα Græcè, Smilax hortensis Latinè, Officinis inusitata: recentiores Græci ac herbarij, & qui Arabum, præsertim Serapionis & Auicennæ, sectãtur placita, Phaſiolos vel Faſeolos. Galenus & alij veteres Græci Dolichos appellant. Germani Faſelen, Vuelſch oder Vuild Bonen (Galli Phaſiole) vocant. Phaſioli. Dolichi.

FORMA.

Folia Hederæ ſimilia habet, molliora tamen: caules tenues, & capreolos vicinis fruticibus ſe implicantes, in tantum increſcentes, vt tabernacula effingere poſsint. Fructum Fœnogræco ſimilẽ profert, longiorem tamen maioremque, in quo ſemina renibus ſimilia, non vnius coloris, ſed ex parte ſubruſa continentur. Ex qua certè delineatione ſole clarius fit, Smilacem hortenſem Dioſcoridis nõ eſſe niſi Phaſeolos vulgò vocatos, cũ ſint foliis Hederæ, mollioribus atque venoſis, cauliculis tenuibus, clauiculis propinquis fruticibus ſe implicantibus, ramis incremento ſuo tentoria & hortorum cameras formicę ſue facientibus, ſiliquis Fœnogræco haud diſsimilibus, longioribus autem & maioribus, ſeminibus intus verſicoloribus, & renibus in vniuerſum ſimilibus. Quæ certè vnica nota ad docendũ Smilacẽ hortenſem eſſe Phaſeolos ſuffice re poſſet. Accedit qđ Phaſeolorũ apud Serapionẽ deſcriptio nõ ſit alia, quã apud dioſcoridẽ Smilacis hortenſis, id quod manifeſtè patebit viraſque cõferenti. Cæterùm etſi duo Phaſeolorũ videantur

eſſe

esse genera, sunt enim aliqui cãdidi, nõnulli verò rubentes, tamẽ quia in foliis nulla est prorsus diuersitas, & Dioscorides quoq; innuat semina hæc non esse vnius coloris, sed vt Serapion interpretatur, quædã ad candorem, quædam verò ad rubo-rem accedant, ideo sub vnica pictura vtriusq; coloris Phaseolos exhibemus: neque enim distant alia ratione, quã quòd albi pducãt flores candidos, rubentes verò purpurascentes. Licet non ad candidos & rubentes tantum hæc Dioscoridis verba, οὐκ ἰσοχροα, referenda esse existimẽ, sed ad alios etiã, sunt enim nõnulli fusci, alij verò gilui, cærulei et cæsij, alij maculis & orbibus atris variegati, nisi quis omnes iam dictos colores sub cãdido et rubro, ex quibus ij cõmixti esse videntur, cõplecti velit.

ἰσοίχροα.

LOCVS.

Smilax de qua hic agimus, vt ex nomine satis cõstat, in hortis sata prouenit, & cum longis serpat flagellis, propè ponidicæ paliúe debẽt, quas capreolis suis, vbi increuerit, complectatur.

TEMPVS.

Aestate florent, ac subinde siliquas & in ijs semen producunt.

TEMPERAMENTVM.

Simeon Sethi & Mauritani in primo ordine calidos & humidos esse Phaseolos statuunt. Galenus etiam in libro primo de Alimentorum facultatibus, humidiores natura esse asserit.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Ole

Olerum modo esui apta est siliqua cum semine Asparagi modo elixa. Vrinã pellit, insomniáque grauia & tumultuosa facit.

EX GALENO.

Dolichi non minus quàm Pisa nutriunt, similiter etiam flatu carent, sed quòd ad suauitatem attinet & deiectionem, peiores sunt. Alibiles itaque sunt: nisi quando integri & etiamnum virides vnà cum suis siliquis ex oleo & garo ab hominibus ingeruntur. Aliqui vinum etiam adjiciunt. Sed horum in repositione, vt Pisorum, nullus est vsus, quippe quum natura sint humidiores, citò corrumpi consueuerunt. Attamen si quis hos tutò reponere cupiat, siccare prius diligenter & exactè oportebit. Siquidem eo modo & à putrefactione & à corruptione tota hyeme vindicantur, eundem quem nobis Pisa vsum exhibentes.

EX AETIO.

Siliquæ seu Lobi qui nunc passim vocantur, apud omnes antiquos Dolichi & Phasioli appellati, de genere Pisorum sunt, similes illis quantũ ad minimam flatus generationẽ, quantum verò ad iucunditatem sibi & egestionem, peiores. Peculiariter autem Lobi dicuntur, quoniam ferè isti tantùm eorum omnium quæ siliqua vestiuntur, cum siliquis suis comeduntur.

EX SIMEONE SETHI.

Qui ex ijs magis rubri sunt, calidiores. Manifesta

sta quoque in ijs humiditas, quòd citò putrescat. Humorem generant crassum & pituitosum. Medium locum habent, vt ait Galenus, inter ea quæ facilè & difficulter concoquuntur, celeriter & tardè transeunt, inflant & nõ inflant, parum & multum nutriunt. Ante alios cibos cum sapa sumpti, ventrem proritant. Cum sinapi oblati, plurimum noxæ deponunt. Alibi igitur Phasioli crassiores, & difficilioris coctionis, ac humidiores sunt quàm rubri. Proprietate autem quadam turbulenta somnia facit, sed ad bonam habitudinẽ corporis conferunt, & vrinas mouent. Et horũ decoctum menses mouet.

DE SATYRIO TRIFOLIO.

CAP. CCLXX.

NOMINA.

Testiculi vulpis.

Satyrium vndecimũ Trifolium

Σατύριον τρίφυλλον Græcis: Satyrium trifolium Latinis, Officinis nostris incognitũ aut inusitatum: vulgò Testiculus vulpis aut sacerdotis, Germanis Stendelwurtz, (Gallis Du Satyrium a trois fueilles) nominatur. Satyrio autẽ nomen fecerunt Satyri, qui primi syluestres dij colludentes nymphis per syluas & antra, ad firmiorem Venerem herbam hanc inuenerunt. Trifolium verò, quoniam tria fert folia ad terram versa.

FORMA.

Folia tria fert Rumici aut Lilio similia, minora tamen & rubentia. Caulem nudum, longũ, cubita

cubitalem. Florem Lilio similem, album. Radice bulbo similem, mali modo extuberantem, foris rufam, intus oui modo albam, gustu dulcem & ori gratam. Quòd verò hic dicimus Lilio similē, non sic intelligendum venit quasi quantitate & totæ figura Lilio similis flos sit, quando euidentissimū sit Lilium quantitate sua Satyrij florem multis modis superare. Denique nec figura etiam per omnia respondet: quare hæc similitudo ad colorem & floris essentiam referri potius debet, quæ planè eadem est cum Lilij colore & essentia, id quod conferenti hos duos flores manifestum fiet.

LOCVS.

In montosis & apricis nascitur.

TEMPVS.

In Iunio mense potissimum comparet.

TEMPERAMENTVM.

Calidum & humidum est, quamobrem gustu dulce apparet.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Radix in vino austero, nigro, ad opisthotonū bibitur. Ferunt etiam hanc impetum ad Venerem excitare.

EX GALENO.

Satyrion excrementitiam & flatuosam humiditatem possidet: quo circa ad Venerem incitat. Hæc verò, & herbæ ipsius radix præstare potest. Porrò vt nonnulli scribunt, cum vino nigro austero potum opisthotonum sanat.

EX PLINIO.

Radix cum Satyrio gemina sit, eius inferior pars & maior mares gignit, superior ac minor fœminas.

DE SATYRIO BASILICO.

CAP. CCLXXI.

NOMINA.

Palma Christi.

Digiti cirrini.

Σατυριον βασιλικον *posterioribus Græcis, Satyrium regiũ Latinis, Officinis Palma Christi, Arabibus Bucheiden, Auicennæ Digiti cirrini, Germanis* Kreutzblumen, (*Gallis*) Du Satyrion royal) *vocatur. Palmam Christi propter similitudinem quam eius radix cũ humana habet manu, dixerunt.*

GENERA.

Mas.

Fœmina.

Duo eius sunt genera, quorum alterum mas folia non maculosa, floresq; purpureos habet. Alterum fœmina maculosis est et paulo latioribus foliis, floribus in purpureo albescentibus. Radicum etiã in colore est differentia, quòd maris quidem radix flaueſcat citra albedinem, fœminæ autem cũ albedine. Quam sanè differentiam Auicenna etiam expressisse videtur, dum vnam ex flauo & albo commistam esse colore, alteram verò ex flauo sine albedine inquit.

FORMA.

Folia cum reliqua superficie Cynosorcho similia sunt. Radix tamẽ ei subest lutea aut flaueſcẽs, instar manus ramosa, modo enim quatuor, modo

quin-

quinque modo sex aut plures radices pro deût, quæ ferè humanos digitos imitari videntur.

LOCVS.

Prouenit in montibus, & locis soli expositis.

TEMPVS.

In Maio & Iunio mensibus inuenitur. Mas quidem Iunio, fœmina verò Maio.

TEMPERAMENTVM.

Vtrunq; amarũ est, magis tamẽ amarũ quod maculosis cõstat foliys. Ideoq; non perperam cẽsent Auicenna & alij quidã ex recẽtioribus medicis, qui calidũ esse & siccũ in secundo ordine tradũt.

VIRES EX RECENTIORIBVS.

Vsus eius ad erugandã cutem, ad neruorũ dolores, & contra noxia medicamenta. Fertur & amuletum esse radix gustata. Semen ex vino sumptum nouem diebus, comitiales sanat. In eundem effectum vinum diluitur herbæ decocto. Scobs radicis propinatur in vino ad arcendam quartanã, quam & vomitione curat paulo ante accessionem pota. Plura in præsentia rescire de huius facultatibus non licuit.

DE SVCCISA. CAP. CCLXXII.

NOMINA.

QVO nomine veteres aut posteriores Græci appellauerint hãc herbam, cognitámque illam habuerint nec ne, nobis nondum constat. Nonnulli Geum esse arbitrantur. Nos Succisam nominare voluimus, partim quòd id nominis Succisa.

latinum esset, & pulchrè huic herbæ quadraret, cuius radices circunrosæ sunt, partim quòd antiquus manuscrptus herbarius sic vocaret. Vulgus superstitione quadam motum credit cacodæmona tantæ efficaciæ radicem inuidere hominibus, atque hac ratione vbi succreuerit statim eum vndiqua que circunrodere. Hinc est quòd Diaboli morsum appellitent. Quam etiam superstitionem plusquã muliebrem secuti Germani Teuffels abbiſſz, (Galli Mors de Diable) hoc est, præmorsam à diabolo, nominant.

morsus diaboli,

FORMA.

Binum cubitorum fastigiatur altitudine foliis Plantaginis minoris, aut Cirsij leuioribus, solidioribusq; leniter laciniatis. Floribus purpureis. Radicibus subnigris, succisis & circunrosis.

LOCVS.

Nascitur locis incultis & montanis, saltibus, ac interdum etiam pratis & dumetis.

TEMPVS.

In Augusto eius magna est passim in locis iam dictis copia.

TEMPERAMENTVM.

Supra modum amara est, vnde calidam & siccam esse satis constare cuiuis potest.

VIRES.

Præsentaneo remedio ad maturãdos, atque adeò sanãdos carbunculos adhibetur, si herba viridis trita imponatur, aut vinum id quo decoctæ fuerit

fuerit bibatur. Radix per se estur, aut vinum eius decocti in vulvæ doloribus bibitur. Hæc manuscriptus herbarius. Hodie, cũ habeat facultatẽ discutiendi & incidendi, vtuntur ea ad dissoluendos sanguinis grumos.

DE SCABIOSA.

CAP. CCLXXIII.

NOMINA.

ET hæc herba quo nomine Græcis vocetur, fatemur nos ignorare. Sunt qui Aëtio Ἀφαρὰ dictam velint: verùm cùm nomine tenus eũ tantum prosequatur non adiecta descriptione, nihil certi cõstitui potest. Vulgus Scabiosam vocat, quo nomine nobis vtendum erit donec legitimum cõpertum fuerit, Germani Scabiosen, oder Apostemkraut, (Galli La Scabieuse) nominant. Scobiosam verò aut à scabro herbæ habitu, aut quod scabiei medeatur, appellatam esse euidẽtissimum est, id quod etiam Psora vox prætẽdere videtur. Stœben Dioscoridis non esse multis argumentis constat, quæ prætereo. Scabiosa. Scabiosa vnde dicta. Scabiosa non est Stœbe.

FORMA.

Folia carnosa, Erucæ modo laciniata & multifida habet, subhirsuta, non tamen aculeis horrentia. Flores speciosos, diuturnos, coloris ex cæsio aut purpureo albicantis. Radicem crassam.

LOCVS.

Passim in omnibus, potissimum autem humidis pratis prouenit.

TEMPVS.

In Iunio, antequam gramine denudentur prata, paſsim floret.

TEMPERAMENTVM.

Quum ſit vehementer amara, calidam & ſiccam eſſe nemo neſcit, idémque cum Succiſa temperamentum habet.

VIRES.

Eaſdem quas Succiſa facultates obtinet. Potiſſimum autem ſcabiem & tuſsim ſanat.

DE SMILACE ASPERA.

CAP. CCLXXIIII.

Smilax aſpera etiam foliorum ambitu ſpinoſo modo ſolo ſtipite in Gallia Narbonenſi viſitur.

NOMINA.

Smilax et Milax. Σμίλαξ τραχεῖα Dioſcoridi, μίλαξ Galeno, Smilax aſpera Latinis dicitur, officinis noſtris incognita, Germanicè Groſz Stechend oder ſcharpff Vvundt, *ab aculeis quos habet, nominari aptè poteſt.*

FORMA.

Folia habet Peryclimeno ſimilia, vel, vt Theophraſtus ait, hederacea, ramulos multos, tenues, Paliuri aut Rubi modo aculeatos. Circumuoluitur arboribus ſurſum deorſum ſe circumagens. Florem candidum, fructum racemoſum fert, cùm maturuerit rubentem, guſtu leuiter mordentem. Radicem craſſam & duram.

LOCVS.

In paluſtribus & aſperis naſcitur. Plinio autem teſte in conuallibus opacis.

TEMPVS.

Similacem quidem aſperam naſcentem, non vidi: ſicca enim aliunde ad me tranſmiſſa eſt, ita vt certò indicare quo tempore floreat aut fructũ producat, haud poſsim. Id quod ideo referre volui, ne nos calumniandi cauſam habeat oſor peruerſis, ſi non ex omni parte picturam naturæ ipſius herbæ formæ reſpondere viderit. Cogitet enim non viridem, ſed ſiccam nos pingendam tantùm dediſſe. Theophraſtus tamen lib. iij. cap. vlt. de hiſt. plan. hanc verno tempore florere ſcribit.

TEMPERAMENTVM.

Quale ſit eius temperamentum, vires ſatis declarant, & folia ipſa atq; fructus, quæ ſingula in guſtu lenem quandam mordicationem præ ſe ferunt, vt calidam eſſe & ſiccam haud dubiũ ſit.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Huius folia & fructus ſi antè & poſt bibantur contra letalia venena efficacia ſunt. Traditũ eſt, quòd ſi quis tritum eorũ aliquid nuper genito infanti bibendũ dederit nullũ illi poſtea veneniũ nociturum. Conciditur etiam in alexipharmaca.

EX GALENO.

Milax aſpera clauiculis plena eſt, vt arboribus ſurſum deorſum diuerſimodè circumuoluatur. Folia guſtata acrimoniam aliquam ha-

bent, & alioqui si illis vtaris calefaciunt.

EX PLINIO.

Coronam ex ea factam impari foliorum numero, aiunt capitis doloribus mederi. Contra venenata efficacissimi acinorum corymbi, intantũ vt acinorum succo infantibus sæpe instillato, nulla postea venena nocitura sint.

DE SMILACE LAEVI.

CAP. CCLXXV.

Similax lævis Liset & Liseron à ligãdis quibus adnascitur plantis hic pingitur.

NOMINA.

Volubilis maior. Funis arborum. Smilax lævis cur nominata.

Σμίλαξ λεία Dioscoridi, μίλαξ Galeno, & Paulo dicitur. Latinis Smilax lævis. Officinis & herbarijs Volubilis maior, à nonnullis Cãponella. & Funis arborum, Germanis vuinden krant. glatte Vuinden, oder Vueisz glocken (Gallis des Phaseoles) vocatur. Lævis aũt non alia ratione, nisi quòd aculeis careat, dicta est.

FORMA.

Hederæ similia folia habet, molliora tamen, læviora & tenuiora. Ramulos suprà dictæ similes, aculeis carentes. Conuoluitur & hæc arboribus, vt prior. Fructũ fert Lupino similem, nigrũ, parvum, super quem semper flores albi, copiosi, & ornamenta

maiorem vocat, esse Smilacem lævem, quòd illi scilicet singulæ notæ à nobis cõmemoratæ cõueniant. Id quod etiam pictura Smilacis asperæ, si cũ hac conferas, satis demonstrat, quam vno hoc nomine dedimus, vt ex eiusdem collatione manifestius lævis ipsa agnosceretur. His accedit antiqui & manuscripti herbarij testimonium, qui Smilacẽ lævẽ Volubilem maiorem interpretatur. Eius etiam pictura, Volubilem quam maiorem appellamus, penitus exprimit.

LOCVS.

Nascitur passim per fruteta, & sepibus sese involuit. Amat culta, & in ijs etiã potissimum gignitur.

TEMPVS.

Aestate floret, autumno semen profert.

TEMPERAMENTVM.

Modicam amaritudinem in gustu præ se fert.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Huius semen cum Dorycnio, & vtrunq; trium obolorum pondere potum somnia multa & turbulenta facere fertur.

EX GALENO.

Milax lævis facultate quodãmodo, prædictæ similis est.

EX PLINIO.

Nullius est effectus.

APPENDIX.

Empirici hodie succo Volubilis maioris ad calidas vtuntur passiones, capitis potissimum. &

& oculorum

DE SISYMBRIO.

CAP. CCLXXVI.

Sisymbrium alterum seu Cardamine crescio, à crescendi celeritate vulgò dicitur.

NOMINA.

Σισύμβριον Græcis *Sisymbrium* Latinis, (Gallis cresson) *appellatur Sisymbrium dicipu-*
tat Varro à Sisymbro, quæ fuit veteribus come-
Corona Veneris. *dijs meretricula. Coronam etiam Veneris nonnulli dixerunt, vel quòd ob odoris suauitatem quam præ se fert, eo inuentus quæ amoribus gaudet coronata, in comessationibus suis blãdo odoris oblectamento suas illecebras commendaret. Vel potius quòd Sisymbrij caulis articulatim per internodia verticillato florum ambitu concinnè coronetur.*

GENERA.

Sisymbrij duo sunt genera. Vnum quod sim-
Balsamita Mentha aquatica. *pliciter Sisymbrium dicitur, hoc seplasiarij Balsamitam, vt manuscriptus etiam testatur herbarius vulgus autem Mentham aquaticam Germanı* Fischmuntz, Vuassermuntz oder Bachmuntz *vocant. Alterum cum adiectione Sysimbrium cardamine nominatur. Officinis Na-*
Nasturtiũ aquaticũ. Sisymbriũ *sturtium aquaticum Germanis* Brunnẽkreiz. *Sic verò dictum quòd sapore Cardamum, hoc est Nasturtium, imitetur.*

FORMA.

Sisymbrium horthensi Menthæ simile, quadrato

drato caule, quadantenus purpurascente, foliis Menthæ serratis, latioribus & odoratioribus, floribus internodia geniculatim coronantibus, verticillato semper ambitu. Sisymbrium cognomento cardamine folia inter initia orbiculata habet cùm autem creuerint vt Eruca folium laciniatim fundũtur. Caule prosilit cauo, sesquipedali, ima sui parte pluribus radicularum fibris subinde capillato, è cuius alarum cauis cirri frequentes sinuatim erumpunt. Flore candido. Semine Eruca instar in siliquis acri & exiguo.

LOCVS.

Vtrunque riguos tractus amat. Primum autem potissimum circa stagna & piscinas nascitur. Alterum nusquam non in aquatilibus.

TEMPVS

Aestate, potissimum verò Augusto mense, cũ Mentha florent.

TEMPERAMENTVM.

Sisymbrium primum excalfacit atque resiccat in tertio ordine. Alterum autem quum siccum est itidẽ tertij est ordinis excalfacientium & exiccãtium: quum humidum & viride, secundi. Sisymbriũ cardamine.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Sisymbrium primum vim calfaciendi obtinet. Semen eius ad strangurias & calculos cũ vino potũ prodest. Tormina & singultus sedat, Folia temporibus & fronti illinuntur contra capitis dolorem. Aduersus etiam apum & vesparum ictus

ictus valent. Vomitiones potum sistit. Alterũ cardamine cognominatum calefacit, vrinam ciet. Comeditur quoque crudum. Lentigines & cutis a sole nigricem & asperitatem exterit tota nocte illitum, mane autem ablutum.

EX GALENO.

Sisymbrium primum tenuium partium est, digerentis, calefacientis & exiccantis facultatis. Semen eius quoque tenuium partium est & calidum. Quocirca ipsum quidam cum vino exhibẽt singultientibus, & tormina patientibus. Sisymbrium quod quidam Cardaminem vocant quãdoquidem Cardamo id est, Nasturtio simile quiddam gustu præfert, eadem fere potest.

EX PLINIO.

Vtrunque Sisymbrium efficax aduersus aculeata animalia, vt sunt crabrones & similia. Sedant capitis dolorem, item epiphoras. Alij panem addunt. Alij per se decoquunt in vino. Sanat & epinyctidas, cutisq; vitia in facie mulierum intra quartum diem noctibus impositum, diebusq; detractum. Vomitiones, singultus, tormina, stomachi dissolutiones cohibet siue in cibo sũptũ siue succo potũ. Nõ edẽdũ grauidis nisi mortuo cõceptu. Quippe etiam impositum ejicit. Mouet vrinam cũ vino potum. Syluestre & calculos. Quos vigilare opus sit excitat infusum capiti cum aceto.

DE SIO. CAP. CCLXXVII.

Sion seu Lauer diuersissimam pingit ab ea quã medici

medici & officinæ syllabarum metathesi vocãt verlã, & ad nephriticos affectus vti & Cardamí ne plantam persimilem & congenerem fœliciter vsurpant.

NOMINA.

Σιον ἡ ἀναγαλλις ὑυδρος Græcis, Sion, Lauer & Anagallis aquatica Latinis dicitur. Officinis ignota herba. Germanis Vuasserpũgen Bachpungen, oder Pungen (Gallis de la Berle) appellatur: Sion autem nomen sibi adsciuit à concussu, quod Græci σὶω, ut dicunt: nam excutiendi vim nactum est, vt pote quod à renibus calculos pellat, vrinam & menses ducat. Anagallis aquatica, quod flores eius Anagallidis fœminæ floribus per omnia respondeant. Lauer nomen haud dubiè à lauando contraxit, quòd sonantibus aquis enatum semper elui gaudeat.

Sion vnde dictum.

FORMA.

Pusillus est frutex, rectus, pinguis foliis latis, oliuastro similibus, minora tamẽ, et odorata. Quæ delineatio prorsus astipulatur huic quam Germani. Vuaffer pungen nominant. Hæc enim riuulis gaudet frutex pusillus pinguisq; est latis foliis, Hipposelino similibus, & digitis leniter friata iucundum expirantibus odorem. Floribus cœruleis, Anagallida fœminam referentibus.

Anagallis aquatica. Lauer.

LOCVS.

Inuenitur in aquis citato lapsu repentibus, aut etiam resedibus. Sæpe verò intumescentibus demersum

mersum videtur.

TEMPVS.

Iunio mense floribus prægnans est.

TEMPERAMENTVM.

Quum amara admodum sit hæc herba, vt calefaciat & exiccet necesse est. Atque hinc iterum colligere licebit, vt patebit ex Verbis Aëtij, eam esse Sium.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Sij folia cocta cruda q; comesta calculos comminuunt & excernunt. Vrinas mouent. Fœtus & menses educũt. Dysentericis vtiliter comeduntur.

EX GALENO.

Sium quãtum gustu odoratum est, tãtum etiã calefacientis facultatis est particeps. Digerit autem & vrinam mouet, & calculos renum frangit, & menses euocat.

EX AETIO.

Sium quatenus gustu odoratum est, eatenus calefacit, & exiccat. Discutiendi etiam vires habet, vrinam mouendi, calculos in renibus dissoluendi, ac menses ciendi.

EX PLINIO.

Prodest vrinis, renibus, lienibus, mulierum q; mensibus, siue ipsum in cibo sumptum, siue ius decocti, siue semen è vino drachmis duabus. Calculos rumpit, aquis q; quæ gignunt eos, resistit. Dysentericis prodest infusum. Item lentigini illitum, & mulierum vitijs in facie, noctu illitum momentum

cutem

tutẽ emendat, & ramices lenit, & scabiẽ equorũ.

APPENDIX.

Veterinarij in hodiernum vsque diem hac herba in tumoribus discutiendis, & scabie equorum sananda vtũtur, vt hinc manifestum fiat illam esse Sium.

DE STRATIOTE MILLEFOLIA. CAP. CCLXXVIII.

NOMINA.

Στρατιώτης ὁ χιλιόφυλλος Græcis, Stratiotes millefolia Latinis, officinis & herbarijs. Millefolium, Germanis Garben, Schaf garben, Schafripp, Tausendtblatt, & Geruuel, (Gallis Mille fueille, ou Cumin, ou Arneth sauluaige) nominatur. Stratiotes verò Græcis, id est, militaris dicta est, quòd vulnera fermè facta sanet, atq; adeo in militia & castris multus eius vsus sit. Millefolium. Stratiotes vnde dicta

FORMA.

Frutex est exiguus, dodrantalis & maior. Folia habet pulli auium pennis similia. Sunt q; foliorum exortus admodũ breues, incisuris diuisi. Breuitate verò & asperitate Cumino syluestri maximè assimulantur, & etiamnum breuiora. Huius denique vmbella densior & plenior: surculos enim in cacumine paruos habet, in quibus Anethi modo vmbellæ sunt. Flores illi cãdidi & exigui sunt.

LOCVS.

Nascitur in agris asperis, & præcipuè circa vias ac semitas.

TEM

TEMPVS.

Per integram floret æstatem.

TEMPERAMENTVM.

Nonnihil adstrictionis habet, atque adeò exiccat.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Eximiè vtilis est herba ipsa ad sanguinis eruptionem, & ad vlcera vetera ac recentia: item ad fistulas.

EX GALENO.

Vulnera glutinare potest, & vlceribus vtilis est. Sunt qui ea ad sanguinis eruptiones vtantur, & ad fistulas.

EX PLINIO.

Hetruria Millefolium appellat herbam in pratis tenuè, à lateribus capillamenti modo foliosam, eximij vsus ad vulnera. Boum neruos abscissos vomere, solidari ea, rursusq; iungi addita axungia affirmant.

APPENDIX.

Recentiores ad eosdem vsus millefolium suum adhibent, ad sananda nimirũ omnis generis vulnera, dissoluendum sanguinem concretum, & ad constringendos menses. Vnde à Stratiote millefolia non esse diuersum omnibus perspicuum sit.

DE SARACENICA SOLIDAGINE. CAP. CCLXXIX.

NOMINA.

QVVM *nobis nox constet quo nomine vete-*

ribus

ribus nominata sit herba hæc, placuit vsitatã ac tritam nostri temporis herbarijs appellationem vsurpare, donec veriorem comperire contingat. Nõ tamen latet à nonnullis corrupta voce Cartasilaginem, vel magis deprauata Filaginem nominari, cùm dicendum esset Ceratophylacem, quia nimirum partem oculorum ceratoida, hoc est, corneã defendat, salutiq; percussam ac læsam restituat. Cur verò hoc nomine non appellandam censeam facit in primis quòd descriptio Ceratophylacis illi non conueniat. Dein quòd pictura eiusdem in manuscripto herbario illi herbæ quam Fortem vocant, prorsus non respondeat. Herbam itaque Fortem, vel vt alij habent Sortis, nominamus eã quæ Germanis heydnisch Vundkraut vocatur, quòd fortè à Sarracenis reperta putetur. Hinc, nisi fallor, à quibusdam Consolida Sarracenica dicitur. Fortis verò à vehementi odore.

Herba fortis non est Cartasilago, seu vt rectius dicã, Ceratophylax.

FORMA.

Caulem rubescentem, duum triúmue cubitorum ac cauum habet, è quo prodeunt folia oblonga, in extremitatibus serræ modo incisa: Salicique similia. Flores luteos in pappos euanescentes. Radicem multifidam, forisq; rubentem.

LOCVS.

Nascitur in syluis & in montibus altis. Copiosè autem in monte post arcam Tubingensem: quæ germanico nomine die odenburg vocant: prouenit.

TEMPVS.

Augusto mense floret.

TEMPERAMENTVM.

Gustu adstringit, modiceq; amara est, atque adeò siccare euidentissimum est.

VIRES EX RECENTIORIBVS.

Vulneraria herba est, id quod germanica appellatio abundè satis monstrat. Imposita itaque vulneribus carnem primùm generat, deinde statim glutinat. Sicca in puluerem trita recentia vulnera, si inspergatur, celeriter sanat. Fistulis etiam medetur, malignáque vlcera mundificat, ac confestim sanat.

DE SAXIFRAGA.

CAP. CCLXXX.

NOMINA.

Σαξίφραγον, ἢ σαξιφαγον, ἢ ἔμπετρον Graecis, Saxifragon & Saxifraga Latinis. Officinis quibusdam perperam Capillus Veneris dicitur, vt in Adianto docuimus. Reclius muraria nuncupata vocaretur. Sunt qui Saluiam vtam hodie nominent. Germanis Maurrauten & Steinrauten appellatur. Saxifragon, quòd calculos è corpore pellat frangatq;. Empetron verò, quoniam in saxis proueniat, Officinae hodie alias praeter hanc latinorum Saxifragas ostendunt, de quibus suo dicemus loco.

Saxifragon cur dictum Empetron.

FORMA.

Surculosus frutex saxis haerens: iuncis tenuibus

Epi

Epithymi non dissimilibus, nigris, breuibus, foliis Trichomanis, maioribus, interius leuibus, auersa verò parte annexa puncta habentibus, sine flore, sine semine, radice nigra, superuacua.

LOCVS.

In saxis & asperis locis prouenit. Ideo eius magna copia inuenitur apud vetusta ædificia, in lapidum commissuris.

TEMPVS.

Vere & æstate inuenitur, potissimum autem Iunio mense.

TEMPERAMENTVM.

Satis ex facultatibus eius gustuq; in quo manifesta quædam adstrictio apparet, colligitur hãc herbam calidam & siccam esse.

VIRES EX DIOSCORIDE.

In vino cocta & pota: febricitantibus opitulatur, stranguriæ & singultui medetur. Lapides vesicæ frangit, & vrinam mouet.

EX PAVLO.

Saxifraga vrinam ciet, & calculos conterit.

DE SILIQVASTRO.

CAP. CCLXXXI.

Siliquastrum & piperitis quæ quibusdã piper Indicũ, dicit alijs cardamomi genus putatur, i quis Pyramidalibus semẽ habet rufum, latũ, iura croci colore tingens & piperis sapore condiens.

NOMINA.

SILIQVASTRVM cõueniẽtissimo nomine à Plinio lib. xx. ca. xvij. dicta est herba Siliquastrum.

hæc, à siliquis nimirum magnis & oblongis quas producit. Eadem etiam ab eodem Piperitis, quòd

Piperitis. semen citus gustatum piperis saporem & acrimoniam præ se ferat, nominatur. Alia tamen est ab ea quam vulgò Piperitim appellant, vt suprà etiã monuimus. Sunt qui piper Hispanum, alij piper

Piper Indianum. Indianum, nonnulli etiam piper ex Chalechut vocant. Auicenna videtur appellare Zingiber caninum. Germanicè dici potest Chalechutischer

Zingiber caninum. oder Indianischer Pfeffer.

GENERA.

Maius & minus est Siliquastrũ. Maius siliquas producit maiores, & colore subnigras, aut fuscas. Minus contrà minus profert, & colore puniceas. Nos tamen vtrumque genus vna pictura cõplexi sumus vtque hiantes duæ pingerentur siliquæ curauimus: non sanè quòd sponte sua sic rumpantur sed vt quale intus esset semen cerneretur. Praeterhæc, genera alia sunt bina, quorum vnum longissimas & colore puniceas, alterum verò latiores multoq; breuiores producit siliquas. Damus itaq; quatuor Siliquastri distincta genera, vt ex pictura manifestissime deprehenditur. Horum primũ discriminis gratia maius, alterum minus, tertiũ longum, quartum latum appellauimus Siliquastrum.

FORMA.

Herba est caule rubro & longo, crebris geniculis, foliis Lauri, floribus candidis, semine in siliquis

quis oblongis & magnis albo, vel potius flaueſcẽte, tenui, guſtu Piperis accerrimo. Radice vnica, ſubalba, capillamentis fibrata. Ex qua nimirum delineatione ſatis conſtat herbam cuius picturam damus eſſe Plinij Siliquaſtrũ ſeu Piperitim. Caule ſiquidem, vt ex Caſtore collegit Plinius, rubro & longo, denſis etiam geniculis, vnde folia Lauri ſolijs ſimilia erumpunt, ſemine albo, tenui admodum, guſtu piperis. Quibus omnibus etiã Siliquæ ſtri & Piperitidis nomẽclaturæ: quæ huic optimè quadrant, accedunt.

LOCVS.

In Germania iam in fictilibus ac teſtaceis ſæpium paſſim ferè prouenit. Per paucis antè annis Germanis incognitum fuit.

TEMPVS.

Aeſtate quidẽ floret, atque mox decidente flore ſiliquæ primũ herbacei, dein punicei aut fuſci coloris ſubnaſcuntur: plenæ ſemine.

TEMPERAMENTVM.

Valenter excalfacit atq; deſiccat, id quod ſemi nis immenſa acrimonia: & foliorum amaritudo euidentiſſimè monſtrat, vt certè non temerè plærique hoc ſemine loco veri Piperis vtantur, eaſdem enim facultates hauddubiè habet: quas etiam ex Dioſcoride ſumptas ſubijciemus.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Piper communiter calefaciendi facultatem habet: vrinam mouendi, concoquendi, extrahendi,

discutiendi, & quæ pupillas oculorum obtenebrãt exterendi. Prodest rigoribus circuitu certo inuadẽtibus potum & inunctum. Venenatorũ morsibus succurrit, Fœtus ex vtero ducit. tussi & omnibus thoracis affectibus in eclegmate & potu sumptũ auxiliatur. Cum melle inunctum angina correptos iuuat. Tormina cum teneris Lauri foliis potum soluit. Pituitam ex capite purgat cum Staphysagria commanducatum. Dolores leuat, valetudinemq; tuetur. Appetentiam mouet. Concoctionem adiuuat ad intinctus additum. Strumas cum pice exceptum discutit. Cum nitro alphos abstergit. EX PLINIO.

Siliquastrum vtile gingiuis, dentibus, oris suauitati, & ructibus. APPENDIX.

Auincenna Zinziber canimum abstergere cutis & facici maculas, lentesq; tradit. Itẽ strumas aliosq; tumores, eius semen digerere scribit, vt hunc etiam eadem cum vero Pipere habere facultates colligere liceat.

DE SCORODO.

CAP. CCLXXXII.

NOMINA.

Σκόροδον Græcè, *Allium* Latinè appellatur, Officinæ Latinum nomen retinuerunt. Germanicè Knobloch, oder Knoblouch (Gallicè Ail, ou Aux) *Scorodon autẽ dicitur, vt nonnullis placet, quasi σκαιὸν, ἑῤῥον. id est, rudis Rosa: quòd asperè supra modum redoleat, & olfa-*

Scorodon vnde dictum.

cum

cientium nares offendat. Latini Allium à Græco fortasis verbo ἀλιαίνω, id est, exilire, vocãt, quòd nimirum exiliendo crescat. Allium.

GENERA.

Tria in vniuersum Allij sunt genera. Vnum hortense & satiuum domesticúmue, quod Germani Garten oder heymisch Knoblouch vocant. Alterum sylueſtre quod Græci ὀφιοσκόροδον, id est, anguinum Allíũ nominant, in aruis ac campestribus sponte nascẽs. Cuius nos in duo genera damus, quorũ primũ Germanis Vuider Knoblouch dicitur, alterum verò Feldknoblouch. Tertium itidem sylueſtre vrsinum cognominãt, in syluis prouenies, Germanis Vualdknoblouch appellatur. Allíũ hortense. Anguinũ Allium. Vrsinum.

FORMA.

Allium hortense fronde vir et cepitia, caule tereti & in ani. In cacumine flores in globum circunaguntur, in quo semẽ emicat. Radicis bulbus tenuis, velatur mẽbranis, mox pluribus coagmẽtatur nucleis, & ijs separatim vestitis, in cuius vertice cõplures fibræ cirrorũ exẽplo crispantur, tædioso habitu, & aspero sapore. Sylueſtre folijs constat prælongis, teretibus, intus concauis, iunceam speciem repræsentantibus, caule procero, leni, purpureos flores ostentante, cacumine tum colore tum forma conspicuo, radice bulbosa & capitata, nucleu spicatim cõpactilibus intumescente, summo vertice capillamẽtis fibrato. Vrsinũ odore molli, folijs gr.. dibus, & Ephemeri nõ letalis Hortense. Sylueſtre. Vrsinum.

foliȝs similibus, floribus in summo candidis, capite prætenuȝ.

LOCVS.

Hortẽse paſsim in hortis ſatũ & plãtatũ prouenit. Syluestre ſpõte in aruis, vt diximus & cãpestribus naſcitur. Vrſinum autẽ in nemoribus.

TEMPVS.

Hortense & ſyluestre æstate florent. Vrſinum autem vere, Aprili & Maio menſibus.

TEMPERAMENTVM.

Alia deſiccant & calfaciunt quarto exceſſu.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Facultas Allio eſt acris, calfacit, flatus excernit, aluum turbat, ſtomachum exiccat. Sitim efficit. Inflationes permutat alterãtue, & ſummam corporis cutem exulcerat. Eadem poteſt Anguinũ allium. Comeſtum latos ventris lumbricos expellit. Vrinas ducit. Contra viperarum morſus & hæmorrhoidum prodeſt, ita vt non aliud magis, ſi vinum iugiter ſumatur, aut in eodem tritum bibatur. Contra rabioſorum morſus vtiliter illinitur, Allium ipſum in cibo ſumptũ cõtra aquarum mutationes confert. Aſperas arterias clarificat. Veterem tuſsim crudum & coctum comeſtũ lenit. Cum origani decocto potum, pediculos & lendes enecat. Vſtum & cum melle ſubactum illitumq; , hypopya & alopecias ſanat. Exanthemata cum nardino vnguento, ſale & oleo curat. Alphos, impetigines, lentigines, achoras, lepras, fur-

Legendũ in Diſcoride, καὶ ἐπιφανιακὸν σωματῶν ἐλκωτικὸν

fur fures q; eximit. Cum teda & thure decoctum, si in ore contineatur, dentium dolorem leuat. Cōtra muris aranei morsus cum siculneis foliis, & Cumino illinitur. Comā decoctum in infessionibus menses & secundas trahit. Eiusdem gratia suffitu. Factum ex eo & nigra oliua intritum, quod Græci μυττωτὸν vocant, vrinā cit, & obstructiones aperit. Vtile etiam hydropicis.

EX GALENO.

Excalefacit corpus, crassos in eo humores extenuat, glutinosos q; incidit. Bis tamen aut ter in aqua decocti, acrimonia spoliatur: quāquam nec sic quidē vim perdit extenuādi, verùm facultatē quādam obscurissimam alendi corporis acquirit, cuius antea quàm coqueretur, nihil prorsus obtinebat. Cæterùm Allium non modo vt opsonium, verumetiam vt medicamentum sanitati accommodum, quod obstructa soluere & discutere possit, vsurpatur. Est autem Allium ex eorum ciborum genere, qui & flatum discutiant, & minimè sitim inferant. Ophioscorodon domestico, vel reliqua omnia syluestria, valentius est.

EX AETIO.

Alliū comestum flatus discutit, sitim reprimit, crassos & lentos humores incidit. Habet tamen quidpiā viro sum, & mali succi, quod amittit si aqua elixetur. Ab eius assiduo vsu præsertim calidas tēperaturas cauere oportet. EX PLINIO.

Allio magna vis, magnæ etiam vtilitates cō-

tra aquarum & quorumlibet locorum mutationes. Serpentes abigit & scorpiones odore: atq; ut aliqui tradidere, bestiarum omnium ictibus medetur, potu vel cibo, vel illitu. Priuatim contra hæmorrhoidas prodest, cum vino redditum vomitu. Ac ne contra araneorum morum venenatum morsum valere miremur, aconitum quod alio nomine pardalianches vocatur, depellit: item Hyoscyamum: contra canum morsus, inq; vulnera cũ melle imponitur. Ad serpẽtium quidem ictus potum cum restibus suis, efficacissimè ex oleo illinitur. Attritisq; corporum partibus, vel si vesica intumuerit. Quin & suffitu eo, secundas partus euocari existimauit Hippocrates: cinere eorũ cum oleo, capitis vlcera manantia sanitati restituens. Suspiriosis coctum, aliqui crudum id dedere. Diocles hydropicis cum Centaurea, aut in fico duplici ad euacuandam aluum: quod efficacius præstat viride, cum Coriandro in mero potum. Suspiriosis aliqui & tritum in lacte dederunt. Praxagoras & contra morbum regium vino miscuit: & contra ileum in oleo & pultæ, sic illinens. Strumis quoq;. Antiqui & insanientibus dabant crudũ. Diocles phreneticis elixum. Contra anginas tritum imponi & gargarizare prodest. Dentium dolorem tribus capitibus in aceto tritis imminuit: vel, si decocta aqua colluãtur, addaturq; ipsa in caua dentiũ. Auribus etiã instillatus succus cum adipe anserino. Phthiriases & prurigines potũ, tussim

tusu ité in aceto & nitro. Cõpescit & destillatiões cũ lacte coctũ, vel tritũ permixtúmue caseo molli: quo genere & raucitatẽ extenuat: vel phthisin, in fabæ sorbitione. In totũ aũt coctũ vtilius est crudo, elixumq; tosto, sic & voci plus confert Tineas & reliqua animalia interaneorũ pellit, in aceto mulso coctũ. Tenasmo in pulte medetur. Temporũ doloribus illitũ, elixum & pustulis coctũ cũ melle, deinde tritũ. Tussi cum adipe vetusto decoctũ, vel cũ lacte. Aut si sanguis etiã excreetur, vel purulenta sint. Et pituitæ sub pruna coctum potũ, & cũ mel lis pari modo sumptũ. Conuulsis & ruptis cũ sale & oleo. Nã cũ adipe tumores suspectos sanat. Extrahit fistulis vitia cũ sulphure & resina, etiã hirundines cũ pice. Lepras, lichenas, lentigines exulcerat, sanatq; cũ origano, vel cinis eius ex oleo & garo illitus. Sic & sacros ignes. Sugillata aut liuentia ad colorẽ reducit, cõbustum ex melle. Creditum & comitialẽ morbũ sanare, si quis in eo cibo vtatur aut potione. Quartanas quoq; excutere potũ caput vnum cũ Laserpitij obolo. In vino austero tussim, & alio modo acceptũ. Suppurationes quã tasibet sanat. fractæ incoctũ fabæ, atq; ita in cibo sumptũ, donec sanitatem restituat. Facit & somnos. atq; in totũ rubicundiora corpora. Venerẽ quoque stimulat cum Coriandro viridi tritũ, potúmque è mero. Cæterũ cõtra pituitam & gallinæ & gallinaceis prodest. Mixtũ farre in cibo, iumentis vrinã reddere, atq; nõ torqueri tradunt, si eo tritonata

natura tangatur.

EX SIMEONE SETHI.

Commodissimum est crassum & tenacẽ, aut crudum humorem aggregantibus: eum enim incidit, & obstructiones ab eo factas tollit. Habet verò quippiam mali succi, quod decoctum aqua abijcit. In frigidis temperaturis sæpe sanitatem præseruat. Temperatura verò calidos lædit, & maximè oculos, caput, pulmonem, & renes eorũ. Proprietate autem quadam sitim à salso humore factam sedat, & lumbricos eijcit, & flatus discutit. Et si verò sanum visum offendat, nihilominus tamen eius hebetudinem propter humiditatem ortam sanat. Semẽ in calidis corporibus exiccat. In frigidis verò & humidis corporibus idem calefascit, Veneramq; excitat. Est etiã remedium contra venena, & morsus venenatorũ, perinde atq; theriaca: vnde & Galenus hoc theriacam rusticorum vocat. Hoc ipsum fugiũt serpentes, tanquam Rutam. Quapropter Persæ coquinas ipsorum alijs replent. Non solum autem flatus discutit, sed etiam horum generationem prohibet. Colicos affectus à flatibus ortos, & diuturnos coxendicum qui à pituita prouenium dolores, iuuat. Alimentum & sanguinẽ extenuat, & faciem rubificat, asperamq; arteriã purgat. Si verò assetur, & corrosis dentibus aut propter humiditatem dolentibus imponatur, prodest. Nõ solum verò sumptũ ad venenatorũ morsus cõfert, sed

sed etiam postquam tritum est, superpositũ. Lædit prægnantes & lactantes, menseśq; ducit.

DE SANCTI IACOBI FLORE.

CAP. CCLXXXIII.

NOMINA.

NVM herba hæc veteribus Græcis & Latinis cognita fuerit, nõdum certò affirmare aut inficiari audeo. Vulgus tamen herbariorum sancti Iacobi florem aut herbã nominat. Officinis incognita est. Germani S. Iacobs blũ (Galli L'herbe de S. Iaques.) appellant.

FORMA.

Herba est fruticosa, cauliculo rubente, multifariam striato, foliis exiguis, Erucæ instar consectis, floribus luteis, forma Chamæmeli floribus haud dissimilibus, radice adnascentias multas habente.

LOCVS.

Nascitur in agrorum marginibus, & aquarũ ripis, lociśq; arenosis.

TEMPVS.

Iulio & Augusto mensibus floret.

TEMPERAMENTVM.

Amara est & adstringit, ideoq; calidam & siccam esse constat.

VIRES.

Recentiorum medicorum experientia cognitũ est, herbam hanc vulneribus mirificè mederi, & ad interanea prodesse. Fistulas quoque ijdem curare, & ne vltrà serpant prohibere, impositam tradunt. Quæ sanè omnes facultates pulchrè eius

tamen

temperamento respondere videntur.

DE SELINO HORTENSI.

CAPVT. CCLXXXIIII.

NOMINA.

Apiũ hortense. Σελινον κηπαῖον Græcis, *Apium hortense aut satiuum* Latinis vocatur. Officinæ latinum retinuerunt nomen: Germanis Epffich, oder Epich (Gallis du Perfil cultiué, ou de iardin) *nominatur. Selinon autem* Græci vocant, *quasi* ἕλος σινόμενον, *hoc est, paludibus impulsum, paludosis enim gaudet, & in ijs enatum lætius exurgit.*

Selinon quare dictum.

FORMA.

Apium hortense sæpe cubitalem æquat altitudinem, caule rotundo, tenuiter striato, multisq; ramulis brachiato: foliis tripartito dissectis, & leniter crispis, in extremitatibus laciniatis: floscu-lis candidis, & quibus minores haud temere reperias: semine exiguo: radice singulari, longa, capillata. Hæc itaq; herba, cuius picturam damus, est verum Apium, quòd illi omnes respondeant notæ, adeò vt temerè nonnulli putent esse vulgare nostrum Petroselinum.

LOCVS.

In hortis satum prouenit: amat autem loca potissimũ aquosa. Hinc est quòd sua spõte nõ procul à Canstadio Ducatus Vuirtenbergensis oppido in paludosis proueniat.

TEMPVS.

Iunio & Iulio mensibus floret, ac semine prægnans

gnans est.

TEMPERAMENTVM.

Calidum est in secundo ordine, & siccũ in medio tertij.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Ad oculorũ inflammationes cũ pane aut tenui pollenta illitũ prodest. Aestum stomachi mulcet. Mammas grumis induratas discutit. Crudũ aut coctũ comestum vrinã mouet. Decoctum eius radicumq; potum, letiferis medicamẽtis aduersatur, vomitum ciens. Aluum cohibet. Semen efficacius vrinam cit. Succurrit & ferarũ morsibus, & ijs qui lithargyrum hauserunt. Inflationes discutit. Miscetur etiam vtiliter medicamentis dolorẽ leuantibus, theriacis, & tussi medentibus.

EX GALENO.

Apiũ vsque adeò calidũ est, vt & vrinas & mẽses cieat. Flatus quoq; discutit, & magis semẽ quam herba ipsa. Ori, stomachoq; gratissimum.

EX PLINIO.

Rami Apij largis potionibus per iura innatant, & in condimentis peculiarem gratiam habẽt. Oculis illitũ cũ melle, ita vt subinde foueatur feruenti succo decocti, alijsq; mẽbrorũ. Epiphoris per se tritũ aut cũ pane, aut polẽta impositũ, mirè auxiliatur. Pisces quoq; si ægrotẽt in piscinis, apio viridi recreantur. Verũ apud eruditos non aliud erutũ terra in maiore sententiarũ autoritate est. Ad cibos non est admittendũ: imo omnino nefas:

nam

nam id defunctorum epulis feralibus dicatum existimant. Ipsius quoque visus claritati inimicum. Eos qui ederint sterilescere mares fœminasq; tradunt. In puerperijs verò ab eo cibo comitiales qui vbera hauriũt. Innocentiorẽ tamẽ esse marẽ. Eaq; causa est, ne inter nefastos frutices damnetur. Mãmarum duritiam impositus folijs emollit. Suauiores aquas potui incoctũ præstat. Succo maximè radicis cum vino lumborũ dolores mitigat. Eodem iure instillato grauitatem aurium. Semine vrinam ciet, menstrua ac secundos partus. Et si foueãtur semine decocto sugillata reddit colori, cum oui albo illitum. Aut ex aqua cõctũ potumq; renibus medetur. In frigida tritũ oris vlceribus. Semen cum vino, vel radix cum veteri vino vesicæ calculos frangit. Semen datur ex tribus cyathis ex vino albo.

EX SIMEONE SETHI.

Vrinã cit, obstructiones tollit, non inflat, magis verò flatus discutit, & menses ducit. Difficulter autem concoquitur, atq; ob eam causam oportet ipsum in medio ciborum sumi. Paululum quidẽ ventrem sistit. Proprietate verò quadam comitiales lædit, & oportet hos omnino abstinere. Sæpe enim quidã qui ferè ex hoc morbo cõualuere, parati aũt eũ incidere, ex eius vsu iterũ comitiales facti sũt. Offẽdit etiã testes. Semẽ aũt quã folia validius & efficacius, et eo radix. Prodest adsingultus à crassis excremẽtis pfectos. Abstergit renes &

& vesicam. Obstructiones in viris et arteriis facilitas aperit. Semen præsumptum, ebrietatẽ arcet. Confert etiam ad bonum ✲corporis odorẽ, multiq; crebriore huius vsu grauem ✲corporis odorẽ abegerunt Mulieres ad rem veneream promptiores facit. Si in huius decoctο calculosi desidãt, calculos, vt ferunt, eiicit, & difficultatem vrinæ sanat & renes curat. Lactãtes mulieres oportet ab eius vsu abstinere, minuit enim lac.

✲ Alias aris. ✲ Oris.

S. BARBARAE. HERBA.

CAP. CCLXXXV.

NOMINA.

NEQVE huius herbæ aliud nomen, quã quo vulgò appellatur, afferre potuimus. Superstitione enim quidam ducti prioris temporis herbarij, diuæ Barbaræ herbam nominarũt. Nec nos aliud nomen vtcunque inuestigantes ex herba riæ rei peritis extorquere potuimus. Germanis S. Barbara kraut (Gallis L'herbe de S. Barbe) vocatur.

S. Barbaræ herbæ cur dicta.

FORMA.

Caulẽ habet rotundum, solidum, striatum, folia Erucæ modo laciniata, flores luteos, siliquas teretes, semine refertos, radicem ex obliquo prodeuntem, & oblongam.

LOCVS.

Passim in campestribus nascitur.

TEMPVS.

Maio & Iunio mensibus floret, ac subinde in-

siliquis semen profert.

TEMPERAMENTVM.

Gustanti primùm subacris esse, dein parum etiam adstringere videtur, vt calidam & siccam esse nemo dubitare debeat.

VIRES.

Vulnerariam herbam esse & temperamentũ eius & experientia docet. His verò potissimũ vlceribus medetur quæ impura sunt, & in quibus caro supercrescens fuerit, nam quia valenter siccat, ideo sordes extergere, & carnes minuere potest.

DE SAXIFRAGA MAIORE.

CAP. CCLXXXVI.

NOMINA.

AN veteribus Græcis & Latinis herba hæc cognita fuerit, nondum mihi constare ingenuè fateor. Vulgus herbariorum & officinæ Saxifragam maiorem, & albam, quòd scilicet mirificã in comminuendis frãgẽdisque calculis vim, ac flores albos habeat, hodie vocant. Germani hohen Steinbrech vel Vuciſſen Steinbrech appellant.

FORMA.

Caulem habet lanuginosum, subrubicundum, folia exigua, rotunda, in extremitatibus incisa, flores candidos, radicem exilem, cui granula Coriãdri seminis quantitatem referentia adhærent, partim alba partim rubea, quibus officinæ promiscue eius vtuntur.

LOCVS.

In pratis & montibus, potissimum siccis, prouenit.

TEMPVS.

Maio mense floret, dein statim euanescit.

TEMPERAMENTVM.

Quum flores, folia & radix gustanti amara sint, calidam & siccam in ordine tertio esse verisimile existit.

VIRES.

Vrinam mouet, calculos frangit & conterit. Stranguriæ itaque confert, abstergit enim expurgatq;, & quæ in venis est crassitiem, sicut omnia alia quæ amara sunt, incidit. Menses quoque cit, crassaq; ac glutinosa ex thorace educit.

DE SAXIFRAGA LVTEA.

CAP. CCLXXXVII.

NOMINA.

NOMEN *hoc in præsentia fingere adlubuit, cũ scilicet aliud quo herbam hãc appellaremus nõ occurreret, vt hac ratiõe à priori discerni posset. Saxifragã aũt vocare placuit, quod nimirũ calculos frangat. Ad quod sanè nomẽ allu-* Saxifragæ cur dicta. *dentes Germani* Steinklee *nominant, quod idẽ valet, acsi Trifoliũ frãgens lapidẽ dicerẽt. Alio nomine* gulden oder geelen klee, *et quod sentẽtiã nostrã confirmat,* Steinbrechen, *à cõmunẽ do lapide appellãt Luteã vero diximus à luteis floribus, volẽtes eã ab alba discriminare Saxifraga-*

Commodissimè itaque germanicè geeler Stein brech vocabitur. Perperàm ea officinæ nonnullæ pro Meliloto vsurpãt, vt suo etiã loco ẽdicauimus.

Officinarũ error.

FORMA.

Caulem cubiti ferè altitudine obtinet, folia fœno græco similia, in quouis pediculo tria, floribus pisi, multò tamen minoribus, luteis, odoratis, deorsum nutantibus, semine per ramulos diffuso rotundo, radice subcandida.

LOCVS.

Passim in aruis & segetibus prouenit.

TEMPVS.

Floret tota æstate, potissimum autem Iulio mense, in quo semen etiam producit.

TEMPERAMENTVM.

Calidam & siccam esse gustus abundè docet, amara enim & subacris existit.

VIRES.

Abstergit, expurgat, & quæ in venis est, crassitiẽ incidit, atque adeo obstructiones iecinoris & lienis tollit. Vrinam mouet, menses cit, lapidem frangit & q̃ in thorace sunt glutinosa extenuat & educit. Recẽtè itaque recentiores in obstructionibus renum & vesicæ, earundémque partiũ calculis, hac herba vtendum esse docent. Succus etiam eius herbæ ac florum eiusdem ad caliginem oculorum instillatus confert.

DE SISARO. CAP. CCLXXXVIII.

Sisarum pingit quod in hortis hodie est frequen

quentissimum, Panacis nomine à cheruilla dicta diuersum, quæ huic Siser est satiuum.

NOMINA.

Σισαρον Græcis, Siser latinis, vulgò Pastinaca quòd ei congener sit: appellatur. Sunt qui extritis prioribus literis diminutrice forma Serullum, aut Seruillam, aut Cheruillam, pro Siserculo pro Siserculum. nominẽt. Germani ad corruptam hanc appellatio nẽ respicientes, Gerlin & Geirlin (Galli Chervy) vocant.

Siser.

GENERA.

Duo sunt Sisari, Plinio lib. xx. cap. v. autore, genera. Vnum satiuum, quòd iterum duùm est generum: vnum enim magnum dicitur, Germanis grosz zam Moren. Alterum verò minus, quod ijdem priuatim Geirlin, Vueisz Morelen, Klein zam Moren, vel Morchelen nominant, Alterum erraticum, quod Vuild Moren appellant. Officinis nõnullis Baucias dicitur.

Baucias.

FORMA.

Sisarũ satiuũ caulem habet angulosum, folia oblõga & in extremitatibus incisa, flores magnũ luteos, minus verò cãdidos, semẽ latũ & foliaceũ, radices intus cãdidas, iucũdi gustus, esuiq; gratissimas. Erraticũ caule est bicubitali, foljs pimpinel læ, sed maioribus, flore luteo & vmbella Anethi, semine lato & rotundo, vt satiuũ, radice tenui ac longa.

Sisarum satiuum.

Erraticũ.

LOCVS.

Copiosè in Germania nostra prouenit gaudet enim

enim frigidis locis. Satiuum quidem in hortis, erraticum verò passim in inculiis, vberius autem in apricis pratis.

TEMPVS.

Vtrunque æstate floret, atque subinde semen producit.

TEMPERAMENTVM.

Sisaron Paulus in tertio ordine, Galenus aût re ctius in secundo calidum esse statuit. Satiuum aût siccum quidem simul in primo ordine, quãdo qui dem Venerem stimulat: erraticum verò, quoniã adiectam amaritudinem quandam cum leuicula adstrictione, siccius existit.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Suauis ori elixa Sisari radix, stomacho vtilis, vrinam cit, & appetentiam excitat.

EX GALENO.

Sisari radix cocta, stomacho grata est, & vri nam mouet.

EX PAVLO.

Sisari radix cocta, stomacho vtilis est, & vri næ ciendæ. Semen tenue est & discussorium, vali dum q; idcirco ijs quos singultus & tormina malè habent, cum vino exhibetur.

EX PLINIO.

Siser erraticum satiuo simile est & effectus Stomachum excitat, fastidium discutit. Ex aceto la serpitiato sumptum aut ex pipere & mulso, vel ex garo, vrinam ciet, vt Opion credit. & Venerẽ.

In

In eadem sententia est Diocles. Præterea cordi cõuenire conualescentium, aut post multas vomitiones perquam vtile. Heraclides contra argentũ viuum dedit, & Veneri subinde offensanti, ægrisq; se recolligentibus. Satiui priuatim succus cum lacte caprino potus, sistit aluum.

DE SYCE. CAP. CCLXXXIX.

NOMINA.

Συκῆ ἄμπερ Græcis, Ficus satiua Latinis & officinis, Germanis, Feigenbaum (Gallis Vng Figuier.) dicitur.

FORMA.

Ficus satiua arbor est non magnopere procera, quanquam amplissimè quædam inueniãtur, vel pyris æmula magnitudine, caudice breui, cortice leui, medulla carnosa, folio perquam magno vmbrosoq;, pfundè admodũ laciniatio, sine flore, pomo quod supra foliũ pediculum nascitur, tubinato, molli, intus granoso, succo cum matureſcit lacteo, postea melleo: radicibus multis, obliquis ac longis. Ficus.

LOCVS.

Iam in plerisq; Germaniæ nostræ hortis plãtatur, at in pauciſsimis fructus maturos producit. Calidiora et aprica loca amat: arbor enim omniũ ferè tenerrima & delicatissima, gelicidia & glacies horret.

TEMPVS.

Germinat sub Arcturum post ver, aut paulò ante solstitium.

TEMPERAMENTVM.

Ficus arbor calidæ temperaturæ est, tenuium fi partium, seu indicant tum liquor eius, tum foliorũ succus. Valenter enim eorum vterque calidus est. Ficus quoque recentes & aridæ primo ordine completo calefaciunt, aut secundo incipiente: desiccant verò in medio primi.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Fici maturæ, teneræ recẽtésue stomacho noxiæ. Aluum soluunt, sed facilè ab eis contracta fluxio sistitur. Exanthemata & sudores prouocant. Sitim sedant, calorem restringuunt. Siccæ nutriunt, calefaciunt, sitim magis afferunt, bonam faciunt aluum. Fluxionibus tamen stomachi & ventris inutiles: arteriæ verò vesicæ & renibus vtiles. Amicæ etiam ijs quos longa valetudo decolorauit, asthmaticis, comitiali morbo laborantibus & hydropicis. Decocta cum Hysopo & potæ, quæ in thorace sunt, purgant. Veteri tussi, & diuturnis pulmonis affectibus prosunt. Aluum mollunt, tusa cum nitro & croco manducatæ. Decoctum earum arteriæ & tonsillarum inflammationibus gargarizatu cõfert. Cum hordacea farina cataplasmati miscetur, & in muliebria fomenta cum fœnogræco, aut ptisana. Cum ruta decoctæ, in torminibus infundũtur. Coctæ, tritæ illitæq; duritias discutiunt, parotidas ac furunculos emolliũt. Panos maturant, maximè iride, nitro, aut calce addita. Crudæ cum antedictis tusæ, eadem efficiunt. Cũ mali-

corio

corio pterygia purgant. Cum atramento sutorio difficiles curatu & maleficum tibiarum fluxiones sanant. Quin cum vino decoctæ, adito absinthio & hordeacea farina, hydropicis illitæ auxiliantur. Crematæ & cerato commixtæ, perniones sanant. Crudæ & tritæ sinapi humido exceptæ, ac auribus impositæ, sonitus & prurigines curãt. Succus tam syluestris quàm satiuæ. Fici coagulã modo lac coagulat, cõcretúmque vt acetum dissoluit. Exulcerat corpora, ac venarum ora aperit. Soluit aluum. Verum laxat, cum amygdala trita potus. Menstrua ciet cum luteo oui appositus, aut rhyrrhenica cera. Podagricorum cataplasmatis cũ farina fœnigræci & aceto vtilis. Lepras, lichenas, discolorem à solè cutem, alphos, scabies, achoras, cum polenta expurgat. Instillatum plagæ percussis à scorpionibus, venenatorũ ictibus, & rabiosi canis morsibus auxiliatur. Dentium doloribus lana exceptus prodest, & cauis eorum inditus. Myrmeciam tollit cũ adipe circunlita in ambitu carne.

EX GALENO.

Fici arboris liquor, & succus foliorum eius non mordicat tantum, aut absterget vehementer, sed & vlcerat, & ora vasorum reserat, & myrmecias eijcit. Verùm & purgare potest. Ficus aridæ tumores duros concoquunt, eosq; statim discutiũt. Atq; ipsæ per se illitæ eiusmodi vim obtinent. Sed & decoctum earum eiusdem vtiq; naturæ est. Verum vbi magis concoquere consilium est, miscenda

est farina triticea: vbi verò plus digererea, hordeacea. Panis horũ in medio est. In præsentiarũ hac de caricis nouisse sufficiat. Scire verò oportet, quòd quæ pinguiores sunt, magis possunt cõcoquere: quæ verò gustu acriores, magis tum extergere, tum discutere. Cæterùm quod ex ijs plurimũ in aqua coctis efficitur, simile est melli non solum consistentia, sed & facultate. Porrò Ficus virides comesæ propter admistam humiditatẽ facultatis sunt imbecillioris: subducũt tamen aluum vtræq; tum humidæ tum siccæ. Præterea Ficus cõmeabiles sunt, & facilè in totum corpus penetrantq;. Nam & abstergendi vi pollent haud obscura, cuius gratia commansæ, è calculosis renibus arenularum vim propellunt. Caricæ licet multiplici vtilitate commendentur, si quis tamen crebrò largiterque esitauerit, sentiet non esse innoxias. Non admodum enim probum sanguinem gignunt, quapropter pediculorum quoq; agmen eas comitatur. Incidendi extenuandiq; vim habent, quo nomine aluum stimulant ad excretionem, renesq; expurgant. Iecori autem leniq; inflammatione obsesis officiunt, velut Ficus quoq;, communi ratione omniũ dulciũ epularum, non peculiari quadã eximia facultate. Obstructis aũt illis, aut scirrho tentatis, ipsæ ex sese proprijs viribus nihil prosunt, nec obsunt: sed incidentibus, extenuãtibus, & abstergentibus iunctæ, non mediocriter auxiliantur: ideoq; medici nonnulli in dictis lienis iecoris q;

risq; affectibus eas longè ante cibum cum thymo, aut pipere, aut zingibere. aut pulegio, aut satureia, aut calamenta, aut origano, aut hyssopo dare soluti sunt. Ad eundē modū cū alio quouis acrem qualitatē, aut omnino incidendi extenuandiq:, vim gerente caricas assumere, non solum ita affectis, sed sanis quoque ex vsu fuerit. Siquidem iecoris meatus, per quos fertur alimentum, patentes apertosq; seruari non solis laborantibus, sed bene valentibus etiam tutissimum est. Proinde hoc pacto Ficus extenuāte sale, aceto garoq; conditas vulgò comedunt, experimento id vtile esse compertum habentes.

EX PLINIO.

Fici succus lacteus, aceti naturam habet: itaque coaguli modo lac contrahit. Excipitur ante maturitatem pomi, & in vmbra siccatur ad aperienda vlcera, cienda menstrua, appositus cum luteo oui, aut potus cum amylo. Podagris illinitur cum farina fœnigraci & aceto. Pilos quoque detrahit, palpebrarúmque scabiem emendat. Item lichenas & psoras. Aluum soluit. Lactis ficulni natura aduersatur crabonum, vesparúmque, & similium venenis, priuatim scorpionum. Idem cum axungia verrucas tollit. Folia & quæ non maturuere Fici strumis illinūtur, omnibusq; quæ emollienda sunt discutiendáue. Præstant hæc & per se folia. Et alij vsus eorū, tanquā in fricādo liene &

ale

alopecijs, & quæcunque exulcerari opus sit; & aduersus canis morsus. Ramorum teneri cauliculi cuti imponuntur. Iidem cum melle vlceribus quæ ceria vocantur, illinuntur. Extrahunt infracta ossa cum Papaueris folijs syluestris. Canum rabiosorum morsus folio trito ex aceto restringũt. E nigra ficu candidi cauliculi illinuntur furunculis, muris araneni morsibus cum cera. Cinis earum è folijs gangræn:s, consumendisq; quæ excrescunt. Fici maturæ vrinam ciunt, aluum soluunt, sudorem mouent papulasq;. Ob id autumno insalubres, quoniam sudantia huius cibi opera corpora refrigescunt. Nec stomacho vtiles, sed ad breue tẽpus. Nec voci contrariæ intelliguntur. Nouissimæ salubriores qnàm primæ. Medicatæ verò nonnũquam iuuenum vires augent. Senibus meliorem valetudinem faciunt, minusq; rugarum. Sitim sedant, calorem refrigerant, ob id non negandæ in febribus constrictis, quas stegnas vocant. Siccæ Fici stomachum lædunt, gutturi & faucibus magnificè vtiles. Natura ijs excalfaciendi. Sitim asferunt. Aluum molliunt, rheumatismis eius & stomacho contrariæ. Vesicæ semper vtiles, & anhelatoribus ac suspiriosis. Item iecinorum, renum lienũ vitijs. Corpus & vires adiuuãt, ob id antè alhetæ hoc cibo pascebãtur. Pytagoras exercitator, primus ad carnes eos transtulit. Recolligentibus se à longa valetudine vtilissimæ. Itẽ comitialibus & hydropicis, omnibusq; quæ maturanda

aut

aut discutienda sunt, imponuntur. Efficacius calce aut nitro admixto. At coctæ cum hyssopo pectus purgant, pituitam, tussim veterem. Cum vino autē adsedem, & tumorē maxillarū & furunculos, panos parotidas, decoctæ illinuntur. Vtiles & decocto earū fouere fœminas. Decoctæ quo eædē cū fœnogræco vtiles sunt pleuriticis et peripneumonicis. Cū Ruta coctæ tormimbus prosunt. Tibiarū vlceribus cū æris flore. Pterygÿs cū punico malo. Ambustis perniōibus cū cera, Hydropicis coctæ in vino, & con absinthio & farina hordeacea, nitro addito Aluum sistunt mādicatæ. Scorpionum ictibus cum sale tritæ illinuntur. Carbū culos extrahunt in vino coctæ & impositæ. Carcinomati, si sine vlcere est quàm pinguissimam, Ficum imponi, penè singulare remedium est, item phagedænæ. Cinis non ex alia arbore aciem purgat acrior, conglutinat, replet, ad adstringit. Bibitur & ad discutiendum sanguinem concretū. Item percussis, præcipitatis, conuulsis ruptis, cyathis singulis aquæ & olei. Datur tetanicis et spasticis. Item potus vel infusus cœliacis, dysentericis Et si quis eo cum oleo perungatur, excalfacit. Itē cum cera & rosaceo subactus. ambustis cicatricē tenuissimam obducit. Luscioſos ex oleo illitus emendat, dentiumq; vitia, crebro fricatu. Prodūt etiā, si quis inclinata arbore, supino ore aliquem nondum eius morsu abstulerit nullo videte, atque in aluta illigatum lucito è collo suspenderit, strumas

strumas & parotidas discuti. Cortex tritus cum oleo, ventris vlcera sanat. Crudæ grossi verrucas & thymos nitro farinaq; additis tollunt, spodiq; vicem exhibet fruticum à radice exeuntium cinis. Bis tostus adiecto pssimythio digeritur in pastillos, ad vlcera oculorum & scabritiam.

EX SIMEONE SETHI.

Ficus admodum nutriunt, non tamen adstrictam & robustam carnem efficiunt, vt panis ac caro, sed laxam. Ventrem flatibus implent, nisi probè coquãtur. Minus verò quã cætera sopora sunt, mali succi, & ventrem proritant, & facilè exeunt. Effatu dignam extergendi facultatem obtinent, proinde arenosa multa si edantur nephriticis excernuntur. Maturæ Ficus nihil ferè obsunt proximeq; ad carias accedunt, quæ multa vitia habent. Malum hoc illis inest, quòd sanguinẽ nõ admodum bonũ gignũt, vnde & pediculi procreantur. Oportet autem post vsum Ficuum, alimentum quod extenuet, ingerere. Ad hæc Fici pulmonem & thoracem iuuant. Aiunt insuper contra venena facultatem habere, si quis singulis diebus ieiunus ijs vtatur. Caricæ pectus iuuant, & tusses. Vrinam ciunt, satisq; nutriunt, corporis etiã bonam habitudinem efficiunt. Ante cibum sumptæ, ventrem irritant, sed nisi celerius ventrẽ pertranseant, non bonum sanguinem gignũt. Quapropter si ad satietatem vsque edantur, scabiem & pruritum excitant. Cibus autem bonus est, et

adue-

aduersus venena remedium, sicum nucibus aut amygdalis comedantur. Renes expurgant, & ieteritios, lienisq; obstructiones auferunt, verùm calefaciunt, & sitim inferunt, & flauam in calidioribus temperamentis bilem procreant. Impositæ parotidibus & reliquis abscessibus emolliunt et cõcoquũt potissimũ in ijs quibus sunt carnes molliores. Podagricis cũ fœnogræco & aceto impositæ, non parũ iuuant.

DE SPARTO. CAP. CCXC.

Spartum iam Parisijs frequẽs in calathis sicuũ & uuarum passarum usu frequentissimum.

NOMINA.

Σπάρτον ἢ σπάρτιον Græcis, Spartum Romanis vocatur. Officinis incognitum. Germanis Spartũ vel Pfrimmen (gallis du Genest) appellari potest de dictũ. Sparton verò dixerunt, quod funiculi ac vinculi vsum in alligãdis vitibus præbeat. FORMA.

Frutex est virgas longas proferens, sine foliis, valdas difficulter fragiles quibus vites ligant. Siliquas phaselorum modo fert, & in ijs semina lentis formam habentia. Florem luteum, veluti Leucoion

LOCVS.

Aridum solũ amat, estq; veluti terræ iuncus.

TEMPVS.

Floret circa Idus Iunias, ac subinde siliquas producit.

TEMPERAMENTVM.

Calidũ et siccum esse et gustus et vires indicãt.

VIR

VIRES EX DIOSCORIDE.

Sparti semen et flores in aqua mulsa pota quinque obolorum pondere, per superna cum intensione veluti Elleborus citra periculum purgat. Semen per inferna purgat. Quinetiã maceratus in aqua virgis eius, deinceps verò tusis & expreßis, si succus cyathi vnius mensura ieiunus bibatur, ischiadicis & angina laborantibus auxiliatur. Quidã etiam muria, aut marina macerantes, ischiadicis clysterem infundunt. Strigmenta autem cruenta elicit.

EX GALENO.

Sparti, quo & vites apud nos alligant, tum semen, tum virgarum succus, non instrenuè trahentis est facultatis.

EX PAVLO.

Sparti, quo vites ligant, & semen & flos cum mulsa pondere quinq; obolorum pota, per superiora purgant veratri modo sine periculo. Semen per inferiora quoque purgat. Virgæ ipsius ad conxendicum dolores proficiunt.

EX SIMEONE SETHI.

Sparti, quo vites ligantur, semen & flores cũ aqua mulsa si bibantur pondo obolorum quinque per superna purgãt, vt Elleborus albus, sine periculo. Semen autem per inferna purgat. Virgæ verò ischidicis prosunt.

DE SMYRNIO. CAP. CCXCI.

NOMINA.

Σμυρνιον Græcis, *Smyrnion* Latinis, officinis Leuisticũ, Germanis Liebstockel. (Galli Leue

Leuesse, ou Liuesche) dicitur. Smyrnion dictum, quòd huic idem sit odor qui Myrrhæ. Errãt qui Leusticum hodie nominatam herbam, eam esse putant quæ Dioscorid. Ligusticum appellatur. Neq; enim caulem geniculatum, neq; etiam folia Meliloto similia profert. Tolerabilior est sententia eorum qui arbitrantur secundam esse Dauci speciem. *Smyrnion cur dictũ. Leusticũ nõ est Ligusticum.*

FORMA.

Caulem habet Apio similem, adnascentias obtinentem multas. Folia latiora Apio, ad terrã confracta, subpinguia, robusta, cum acrimonia odorata, medicataq;, & colore sualutea. Vmbellam supra caulem Anetho similem. Semen rotundum, nigrum, sapore acre. Radicem acrem, odoratam, tenerã, succosam, sauces mordentem, foris nigram intus pallidam, aut subalbidam. Ceterùm si quis singulas has notas velit expendere, facilè perpendet Smyrnium eam esse herbam quam hodie Leusticum nominant. Siquidem ea vt Apium caulem profert cõcauũ, ac stolones multos. Folia quoq; Apÿ, at latiora, ad terram cõfracta, subpinguia, firma, cum quadam acrimonia odorata, odore tamen medicato, colore in luteum languido: muscarium in capitibus caulium Anetho simile: semen rotũdum, nigrum, acri sapore: radicem odoratam, acrem, gustu sauces mordentem, succosam, mollem, foris atram, intus subalbidam, aut pallidam. Hus accedit quod Leusticũ forma & odore Apio *Smyrniũ esse Leusticum.*

Leuisticũ forma & odore Apio simile.

valde simile est, ita vt nonnulli hac ratione moti putauerint esse Apij speciem quandam, vt congenerem esse herbam, quemadmodum testatur Galenus, nemini dubium esse debeat. Vnde iterum liquidò colligi potest esse Smyrnion, quòd certè statim ab Apio Dioscorides, tanquam simlem congeneremq; herbam, idipsum describat. Conuenunt etiam vtrarunque herbarum facultates, vt paulò post monebimus. Item Dioscorides scribit Pæoniã fœminam folia Smyrnij habere. Quid verò folijs Pæoniæ fœminæ, quàm folia Leusstici hodie nominati magis simile? vt nemo dubitare debeat subinde Smyrnion esse Leuisticum.

LOCVS.

Nascitur hodie passim in hortis. Humida autẽ loca amat.

TEMPVS.

Floret æstiuo tempore.

TEMPERAMENTVM.

Calidum & siccum in tertio ordine.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Calefaciendi facultatem habent radix, herba & semen. Olerum modo comeduntur folia muria macerata, aluumq; sistunt. Radix serpentium morsibus pota succurrit. Tusses & orthopnœas mitigat. Vrinæ difficultati medetur, Ulita recentia œdemata, phlegmonas, & duritias discutit. Vulnera ad cicatricem perducit. Feruefacta & subdita, abortus facit. Semen eius lienis, renum & vesi

vesicæ vitijs prodest. Menses & secundas pellit. Commodè datur ischiadicis cum vino. Inflationes stomachi lenit. Sudores & ructus ciet. Potum pecu liariter hydropicis, & febrium circuitibus prodest.

EX GALENO.

Smyrnion est eiusdem generis cum Apio & Petroselino, fueritq; Apio quidem validius, Petroselino autem imbecillius. Menses itaque & vrinas mouet. Cilices in Amano monte natum, Petroselinum vocant. Est quidem & ipsum Smyrnion, minus vero Petroselino & Smyrnio acre est. Proinde & vlceribus imponi potest, quia videlicet sine molestia desiccat. Sed & digerere quæ indurata sunt, valet. Reliqua facultas eius Apio & Petroselino similis est. Quocirca & semine vtimur ad menses, vrinas & asthmata. Hæc Galenus. Ex ijs Galeni verbis liquidò apparet duplex esse Smyrnion, vnum quod alio nomine Hipposelinon, de quo suo diximus loco, dicitur: alterum autem quod in Amano nascitur monte, de quo hic nobis sermo est.

EX PLINIO.

Vrinam & menses ciunt folia & radix. Aluum sistit semen. Radix suppurationes recentes, & collectiones discutit, item duritias illita. Prodest contra phalangia, ac serpentes, admixto cachry aut polline, aut apiastro in vino pota, sed particula-

tim, quoniam vniuersa vomitiones mouet, qua de causa nonnunquam cum ruta datur. Partus adiuuat: & secundas pellit. Medetur tussi et orthopnœa radix vel semen Item thoracis, lienis, renum & vesicæ vitijs. Radix autem ruptis, conuulsis auxiliatur. Sudores ciet & ructus, ideo inflationem stomachi discutit. Vulnera ad cicatricem perducit. Datur ischiadicis in vino cum crethmo. Exprimitur succus radicis, vtilis fœminis, thoracis & præcordiorum desiderijs, calefacit enim, concoquit, & purgat. Semen peculiariter hydropicis datur potu quibus & succus illinitur. Concoctiones facit. Sapore simile ma piperi: ideo ad opsonia vtuntur cum mulso, oleo, & garo, maximè in elixis carnibus.

APPENDIX.

Confert cum iam dictis facultatibus eas quas Leuisticò recentiores tribuunt, & comperies prorsus eadem esse. Tradunt enim eius semen mouere menses & vrinas, inflationes tollere, serpentium morsibus mederi, calculos cõfringere. Sudores ciere, vulnera conglutinare, lienisq; obstructiones auferre, adeò vt hinc iterum conflet, Leuisticum a Smyrnio non esse, saltem viribus, diuersum.

DE SILPHIO. CAP. CCXCII.

Laserpitium Germanicum in horto diui Germani Pratensis est multum.

NOMINA.

ΣΙΛΦΙΟΝ Græcis, Laser et Laserpitium Latinis dicitur. Vulgo & officinis corrupta voce, de

flexa-

flexa tamen quadam à Laſerpitio priſtini nominis vmbra, Oſteritium vocatur. Primum ſiquidē vt dictum eſt: Laſerpitiū, dein depranata nomēclatura, Oſteritium, poſtremo Oſtritiū cœpit appellari. Qui ſanè lapſus facilis admodū fuit. Abie ēla nanque prima litera, Aſteritium, & dein a mutato in o, Oſterutium, ac poſtremo magis concisè Oſtritium nominare imperiti cœperunt Veteribus Germanis hauddubiè Laſeruurtz dicta eſt hæc herba, quam quidem vocem, vtpote ſemilatinam: poſteri non rectè intelligentes, in Meyſteruurtz mutarunt. Qua quidem appellatione adhuc hodie omnes vtuntur Germani.) Galli Benioin, ou L'herbe dont prouient le Benioin.

Oſtritium cur dictū.

FORMA.

Caulem ferulæ ſimilē habet, folia verò Apÿ, aurei coloris, ſemen latum, foliaceum, radicē quæ corticem nigrum obtinet, à qua liquor etiā modicè rubens, translucidus, myrrhamq; redolens, ac odoratus deſtillat. Ex qua quidem deſcriptione luce clarius conſtat, herbam hanc cuius picturam damus, eſſe Laſerpitium, ſaltem germanicum. Caulis enim ei ſceniculaceus, ſeu ferulæ, hoc eſt, geniculatus, folia Apÿ in auri colorem lāgueſcentia, ſemēn foliaceum & latum, nempe quod figuram exile foliolum exprimit: radix craſſa & multa: foris nigricans: intus candida: miraq; fragrans iucunditate: quæ ſi vulneratur, liquor pro-

Laſerpicium germanicum.

fluit lentus, ac modice rufus suauissimumq; spirãs odorem, & linguam sua acrimonia vellicans, vt sanè nulla sit prorsus nota quæ reclamare videatur. His accedit quòd facultates Ostritij nominati à Laserpitij viribus non discrepant, quemadmodũ ex sequentibus patebit.

LOCVS.

Nascitur in Syria, Armenia, Media & Aphrica. Quod ex Armenia & Aphrica affertur suauissimum odorem habet, præsertim Cyrenanium vnde & ὁ σιλφιὸς, id est, succus Cyrenaicus appellatur. Nec hoc Laserpitium aliud est quàm concretus ille succus, quem officinæ Belzuinum: vel Beluinum vocant. Quod verò ex Media & Syria affertur, Dioscoride teste, viroſum odorem obtinet, ac putrilaginem respirit, ideoq; videtur esse id quod hodie officinæ passim Asam fœtidam nominant. Quod etiam hinc colligi potest, quod in hodiernum vsque diem ex Syria Alexandrina, & hinc Venetias deportatur. Nostrum in montosis locis prouenit, ac in omnibus ferè hortis nũc plãtatur.

Succus Cyrenaicus.

Belzuinũ est Laserpitium.

Asa fœtida.

TEMPVS.

Iunio mẽse flores admodũ exiguos ac candidos, instar Anisi, profert, atque subinde semen latum.

TEMPERAMENTVM.

Silphij liquor calidissimus est. Verumenimuero & folia, & caulis: & radix sat strenuè excalfaciunt. Nostrum etiam Laserpitium in vinum calidius atq; acrius est pipere ipso, adeoq; cale facit & exiccat in tertio ordine. Radix autem & semen

ſemen, folia & caulem ſuperant, vt in eo etiam efficaciſſimus omnium aliarũ partium ſit liquor, ſecundo loco folia poſtremo caulis.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Laſerpitij liquor acris eſt, inflat. Inunctus cũ vino, pipere & aceto, alopecias ſanat. Oculorum aciem exacuit. Incipientes ſuffuſiones cũ melle inunctus diſſipat. Cauernis dentium in eorundem dolore inditur, aut cum thure in linteo circunponitur, aut colluitur eo os cum Hyſſopo, & Ficis coctis in poſca. His prodeſt, quos beſtia in rabiem efferata momorderit, vulneribus impoſitum. Valet aduerſus omnia animantia quæ virus eiaculantur, venenata tela, potus aut inunctus. Scorpionũ plagis oleo dilutus circunlinitur. Gangræna † antea ſacrificatus immittitur. Carbunculiſq; cum ruta, nitro & melle, vel per ſe. Clauos, callosq; prius circũſcarificatos tollit, cerato, aut aridorũ Ficuũ carne præmollitus. Recentes lichenas ex aceto ſanat. Excreſcentias carnis, polypósque, ſi aliquot diebus cum atramento ſutorio aut ærugine illinatur. Extuberantia cum forfice extrahit. Diuturnis aſperæ arteriæ aſperitatibus opitulatur. Vocem ſubitò exaſperatam irrauceſcentémue, dilutus aqua & abſorptus confeſtim reſtituit. Vuam cum melle inunctus reprimit. Angina laborantibus ex aqua mulſa vtiliter gargarizatur. Coloris bonitatem ijs qui eo veſcuntur auget. In ſorbili ouo datus tuſsi auxiliatur, pleuriticíſque in ſor-

† φαγεδαινα legendum.

bitionibus. Suffusus felle, & hydropicis cũ aridis Fucis vtiliter exhibetur. Cum pipere, thure & vino potus, rigores soluit. Neruorũ distentione laborantibus, opistotonicisq; datur oboli pondere denorãdus. Hærentes gulæ hirudines, gargariz atũ cũ aceto deijcit. Ad lac intus in grumos concretum. Comitialibus ex oxymelite sumptus succurrit. Mẽses ciet cum pipere & myrrha potus. Cœliacis in acino vuæ sumptus iuuat. Cum laxiuio potus, repentinis conuulsionibus & ruptur is prodest. Ad potiones dissoluitur amaris amygdalis, aut ruta. aut calido pane. Foliorum liquor eadem potest, sed multò minori efficacia. Cum oxymelite manãtur ad expediendam asperam arteriam, præsertim amissam vocem. Vtuntur eo cum Lactucis, pro eruca comedentes.

EX GALENO.

Omnes Silphij partes flatulentæ magis sunt essentiæ, ac proinde concoctu difficiles. Foris tamen impositæ corpori, efficaciores, & omnium potissimum liquor, admodum trahẽtem facultatem obtinens. Attamen excrescentias imminuendi, & liquandi vim quandam propter iam dictam temperiem habentem. Liquor Cyrenaicus quidem omnes & caliditate & tenuitate exuperat, ac proinde etiam omnium maximè discutit.

EX PLINIO.

Folia Silphij ad expurgandas vuluas, pellendosq; emortuos partus, decoquuntur in vino albo

odora

odorato, vt bibatur mensura acetabuli à balneis. Radix prodest arteriis exasperatis, & collectionibus sanguinis illinitur. Sed & in cibis concoquitur ægrè. Inflationes facit & ructus. Vrinæ quoq; noxia. Sugillatis cum vino & oleo amicissima, & cum cera strumis. Verrucæ sedis crebriore eius suffitu cadunt. Liquor eius per se algores excalfacit. Potum neruorum vitia extenuat. Fœminis datur in vino. Et lanis mollibus admouetur vuluæ ad menses ciendos. Pedum clauos circunscarificatos ferro, mixtas ceræ extrahit. Vrinã ciet ciceris magnitudine dilutus. Andreas spõdet, copiosius sumptum nec inflationes facere, & concoctioni plurimum conferre senibus & fœminis. Item hyemẽ quàm æstate vtilius, verũtamen aquam bibentibus, cauendumq; ne qua intus sit exulceratio. Ab ægritudine recreationi efficax in cibo. Tempestiuè enim datus, cauterium obtinet: assuetis etiam vtilius quàm expertibus. Ad externa corporum, indubitatas confessiones habet. Venena telorum & serpentium extinguit potus: ex aqua vulneribus his circunlinitur. Scorpionũ tantum plagis ex oleo. Vlceribus verò non maturescentibus, cum farina hordeacea, vel fico sicca. Carbunculis cum ruta, vel cum melle, vel per se visco superlitum vt hæreat. Sic & ad canis morsus. Excrescentibus circa sedem, cum tegmine pumici mali ex aceto decoctus. Clauis pedum, qui vulgo morticini appellantur, nitro mixto, antè subactus.

actus. Carnes replet cum vino & croco, aut pipere, aut muriũ fimo & aceto. Perniones ex vino fouet, & ex oleo coctum imponitur: sic & callo. Clauis pedũ superrasis præcipuè vtilitatis. Contra aquas malus, pestilentes tractus, vel dies. In tussi, vua, follis veteri suffusiõe, hydropicis, raucitatibus: cõfestim enim purgat fauces, vocẽq; reddit. Podagras in spongia dilutus posca lenit. Pleuriticis in sorbitione vinum poturis datur, cõtractionibus, opisthotonicis, ciceris magnitudine cera circunlitus. In angina gargarizatur. Anhelatoribus et in tussi vetusta, cũ Porro ex aceto datur, atq; ex aceto his qui coagulum lactis sorbuerint. Præcordiorum vitijs, syncticis, comitialibus in vino, in aqua mulsa linguæ paralysi. Coxendicibus & lumborũ doloribus cum decocto melle illinitur. Non censuerim, quòd autores suadẽt cauerins dentiũ in dolore inditum cera includi, magno experimento hominis qui se eadem causa præcipitauit ex alto.

APPENDIX.

Laserpitij germanici facultates.

Laserpitium nostrum ex traditione recẽtiorum vnicè venenis aduersatur. Item pestilentiæ populariter grassantis arcet cõtagia. Lentitiam pituitosorum humorũ incidit ac discutit: quapropter tussi quam frigus attulit, medetur. Crassa quæ in thorace coëunt, discutit. Coloris corporis bonitatem ijs qui eo vescuntur, efficit. Concretum in corpore lac & sanguinem resoluit. Stomachũ esu corroborat. Pituitã ventriculi deijcit, & elanguescẽtem appeten

petentiam inuitat. Menses & vrinã ciet. Rabiosi canis morsu, aut serpentis ictu liberat, si contrita folia vulneri indantur. Hypochondriorum vitijs auxiliatur. Item lumborum doloribus. Carbunculos cum polenta tritum & impositum sanat, Cum vino potũ rigores discutit. Herba ipsa in vino & aqua cocta vulnera interna glutinat: & in summa, omnia quæ Angelica vocata herba, & maiori efficacia, potest. Vt hinc etiam constet Osteritium à nostris nominatum, eadem habere quas veterum Laserpitium, inefficaciores tamen facultates. Quare cùm metus sit ne Laserpitium adulterinum, aut saltem non optimum ad nos afferatur, præstat nostro vti, quod scilicet exigua admodum pecunia comparari possit, & viribus satis efficax sit. Nam eadẽ quæ Dioscorides & Plinius Laserpitio assignant, recentiorum testimonio præstare valet.

DE STACHY. CAP. CCXCIII.

NOMINA.

Στάχυς Græcis, Stachys Latinis dicitur, officinis ignota. Germanis Riechender Andorn (Gallis Sauge sauluage, ou de montaigne) nominatur. Stachys verò dicta, quòd ver ticillato florum ambitu, & orbibus spicarum eau les cingentibus coronetur. Stachys vn de dicta.

FORMA.

Frutex est Marrubio similis, sed altior, folia ferẽs plura, sed rara, hirsuta, dura, odorata, incana. Virgas abvna radice plures, emittit Marrubio cã

dio

didiores. Ex hac descriptione perspicuum sit omnibus, herbam quam pictam damus, esse Stachyn. est enim fruticosa. Marrubijq; similitudinem refert, nisi quòd altior est: folia quoq; plura, at rara obtinet, item hirsuta, dura, odorata, & albicantia. Virgulas deniq;, et si pictura idipsum nõ ostendat, ab vna radice plures emittit, candidiores quã Marrubium. Quibus omnibus florum purpureorum verticillatus accedit ambitus, ac orbes spicarum qui caules circundant.

LOCVS.

Asperis locis, montibus ac collibus provenit.

TEMPVS.

Floret Iunio & Iulio mensibus.

TEMPERAMENTVM.

Stachis gustu acri & amaro est, tertijq; ordinis excalfacientium. Vnde iterum liquet hanc herbam esse Stachyn, quòd gustata acris & amara videatur.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Vim habet excalfactoriam & acrem. Idecoque decoctum foliorum eius potum, menses & secundas pellit. EX GALENO.

Mẽses prouocat, abortũ facit, & secũdas ejicit.

EX PLINIO.

Pellit menstrua.

DE SECALE. CAP. CCXCIIII.

NOMINA.

SECALE dicitur Plinio li. xviij. ca. xvj. & Fur

& Farrago, Germanis Rocken & korn (Gallis du Seigle) nominatur. Magno in errore versantur qui hoc frumenti genus Siliginem esse existimant. Siquidem ex hac, Plinio lib. xviij. ca. ix. teste, lautissimus fit panis, tener, candidus. & primatum tenens: ex illo cibarius, ater, & ponderè præcipuus, ad arcendam pauperum famem tantùm vtilis, qui veterascens acorem etiam contrahit. Item Siligo habet spicam erectam, Plinio loco iam citato, cap. x. autore, nec rorem timet. quæ rubiginem faciat: hoc verò procumbẽtem, & ideo quòd imbres retineat, rubigini opportunum. Siligo præterea grano est candido, leui & multipliciter tunicato: hoc contrà nigro, striato, & glumis ferè explicito. Denique. Siligò sine aristæ est, hoc verò aristis horret. Postremum ex Siligine pistrinarum opera fiunt laudatissima, ex Secale nullũ ferè tentatum est. His itaque rationibus euidẽtissimum esse puto, hoc frumenti genus quod Germani nostri Rocken vocant, non esse Siliginem.

Secale est frumenti genus vulgò notissimum, stipula est culmo triticeo, graciliore & proceriore, geniculis vt plurimum quatuor spica innocentioribus aristis horrente, non erecta, sed semper propemodũ procumbente, grano glumis explicito, & ob id caduco, tristi, nigricante, strigoso. Plinius cap. xvj. libri xviij. scribit, Secale fœcunda, sed gracili stipula esse præditum, nigritia triste, sed pondere

FORMA.

Secale est frumenti genus vulgò notissimum, stipula est culmo triticeo, graciliore & proceriore, geniculis vt plurimum quatuor spica innocentioribus aristis horrente, non erecta, sed semper propemodũ procumbente, grano glumis explicito, & ob id caduco, tristi, nigricante, strigoso. Plinius cap. xvj. libri xviij. scribit, Secale fœcunda, sed gracili stipula esse præditum, nigritia triste, sed pondere

Secale non est Siligo.

præci

præcipuum. Quæ singula satis monstrant, frumentum quod Rocken *vocant Germani. esse secalen, & non siliginem.*

LOCVS.

Gignitur qualicunq; solo, ideoq; passim in Germania, præsertim Rhœtia, & Vindelica seritur.

TEMPVS.

Floret Iunio mense, metitur autem Iulio.

TEMPERAMENTVM.

Magis videtur excalfacere quàm Triticum. minus tamen refrigerare quàm Hordeum. Magis item exiccare quàm Triticum, minus tamen quàm Hordeum aut Zea.

VIRES.

Habet aliquid lentoris & obstruentis naturæ. Hinc panis ex eo confectus, potissimum si à furfuribus non sit probè purgatus, stomacho grauis esse solet Reliquæ vires ex capitibus de Tritico & Hordeo colligendæ.

DE SIDERITIDE PRIMA.

CAP. CCXCV.

NOMINA.

Chamæpitys adulterina.

Σιδηρῖτις græcis, Sideritis prima Latinis dicitur *Magna officinarum pars hac herba pro Chamæpitys vera vtitur, non sine errore, cùm satis ex formâ illius constet, vt paulò post monstrabimus, non esse Chamæpityn. Germanis* Glidkraut *(Gallis de Lespargoutte, ou apparitocr) appellatur.*

Sideritis cur dicta.

Sideritis verò nominata, quòd glutinan

nandis vulneribus apta, præcipuum in bello habeat vsum.

FORMA.

Herbá est folia Marrubio similia habens, longiora tamen, ad saluiæ aut quercus figuram accedentia, verum minora & aspera. Caules fundit quadratos, dodrantales, aut longiores gustu non injucundos, aliquo modo adstringentes, in quibus per interualla velut in Marrubio verticilli in orbem circumacti, & in his semen nigrum. Ex qua quidem delineatione sole clarius constat, herbam cuius hic picturam exhibemus, esse Sideritin primã. Siquidẽ folia Marrubij habet: sed lõgiora ad saluiæ similitudinẽ aspera & rugosa, minora tamen. Caulẽ quadratum & hirsutũ, nõ iniucundi gustus, aliquantum subadstringentis, quẽ per interualla verticillati orbes coronant, vt in Marrubio videre licet, in quibus flores subcandidi ac lutei, & subinde semen nigrũ. Radicẽ exiguam & subluteam, quod silentio transiuit Dioscorides. Nõ esse verò hanc herbã Iuam arthriticam, nec Chamæpityos generibus posse annumerari, hinc concipere licebit: primũ, quòd non sit pumila, sed in altum surgat, fruticis verius, quam herbæ specie. Quòd vero neq; primũ neq; secundum genus Chamæpityos dici queat, hinc manifestum fit, quòd vtrunq; folijs Semperuiui minoris sit, à quibus saluiæ. qualia hæc habet, diuersissima sunt. Neque etiam tertium, quia folia eius non sunt exilia.

Sideritis prima.

Sideritis nõ est Iua arthritica

LOC

LOCVS.

Nascitur asperis, petrosis & incultis locis.

TEMPVS.

Iunio mense florere incipit, nec desinit nisi in Autumni fine.

TEMPERAMENTVM.

Sideritis habet quandam abstergendi facultatem, id quod amaritudo eius satis indicat & paucula adstrictionem. Plurima tamen eius pars humida est, & mediocriter frigida.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Folia eius illita vulnera glutinare, & inflammationem arcere possint.

EX GALENO.

Phlegmonē sedat, & glutinandi vim obtinet.

EX PLINIO.

Sideritis tantam vim habet, vt quāuis recentis gladiatoris vulneri illigata, sanguinem claudat.

DE SORGI. CAP. CCXCVI.

Sorgi panicum Indicum Parisijs dicitur.

NOMINA.

PEREGRINVM *est hoc genus frumenti, & ex Italia ad nos allatū, ideoq; Germani* Vuelschen Hirsz (*Galli* Ble barbu, *Italis* espece de Paniz) *vocant Alij* Sorgsomen, *quòd scilicet in Italia Sorgi nominetur. Neque constat quo nomine veteribus sit appellatum, nisi fortis genus sit, quod in Gallia nunc rubrum & barbatum frumentum nūcupant. Probè enim mallis hac*

nomen

nomenclatura videtur conuenire, quòd nimirum eius spica rubra & barbata sit. Certò tamen nihil affirmare audemus, nam Panicum etiam referre quamuis magnitudo repugnet videtur.

FORMA.

Culmos habet quatuor aut quinque altos, crassos, geniculatos, rubicundos, foliis vestitos longis, latis, & in summitate acuminatis, harundini nõ dissimilibus spicam quàm Panicum maiorem ac densiorem, rufam & barbatã, in qua semen rufum, rotundum, lentis magnitudine, & acuminatum. Florem luteum. Radicem multis fibris capillatam.

LOCVS.

Non prouenit nisi satum, & nunc in multorũ hortis colitur ac plantatur, non tamen facilè emergit.

TEMPVS.

Floret Iulio & Augusto mẽsibus, flore, vt diximus, luteo, nec nisi extrema ferè autumni parte ad maturitatem peruenit.

TEMPERAMENTVM.

Semen dulce est, & Panicum planè in gustu refert, ideóque temperamento ab hoc minimè differre putamus.

VIRES.

Tametsi de illius facultatibus nihil comperti habeamus, tamẽ quia Panicum gustu refert, easdem illi facultates obtinere existimamus, quas suo

loco inuenies.

DE SERPENTARIIS OFFICINARVM. CAP. CCXCVII.

NOMINA.

Officinarũ errarũ.

QVO nomine veteribus medicis Græcis & Latinis appellatæ sint, nemo hactenus, quod sciam, indicare potuit. Recentiores herbarij & officinæ non sine magno & intolerando errore Serpentarias vocant, non certè quòd in nomenclatura tantùm sit situm, sed quòd forma & viribus plurimum ab ea herba quam Græci δρακόντιον, Latini autem Draunculum ac Serpentariam nominant: plurimum discrepent, vt suo loco latius demonstrabimus. Germani nostri has herbas Nateruurtz sua lingua appellant.

GENERA.

Mas. Bistorta. Fœmina. Colubrina

Duo sunt Serpentariæ recentiorum & officinarum genera, forma non multum variantes. Vnum quod leuibus admodum folijs, & radice in se contorta constat. Hinc est quod herbarijs nostri temporis Bistorta dicatur. Nos certioris distinctionis gratia marem fecimus: germanicèque Nateruurtz mennle vocauimus. Alterum rugosioribus folijs, maioriq; radice, & minus intorta, ac multum capilata videtur. Vulgares herbarij Colubrinam nuncupant. Nos fœminam constituimus, ideoq; germanicè Nateruurtz Vucible vocauimus. Serpentarias verò vtrunq; genus dixerũt: propterea quòd vbi primum è terra prodeunt,

deunt, linguæ serpentinæ pelle tenui vestitæ, formam obtinent.

FORMA.

Cauliculo constant tenui ac iunceo, glabrescẽte, per ima tantùm foliato, spicoso florum vertice, quibus dilutioris purpuræ color inest, folio Rumicis à terra cæsio, supernè viridi & herbaceo, radice, mas quidem draconis modo inuoluta & cõtorta, fœmina verò oblonga, maiore ac capillata, extra nigricante, intus rubescente.

LOCVS.

Nascuntur locis vmbrosis & humidis, pratis potissimum Martianæ syluæ.

TEMPVS.

Florent Maio mense & Iunio, quo maximè tempore, vt omnes aliæ quæ floribus ornãtur plantæ, dignosci, ac inueniri possint.

TEMPERAMENTVM.

Vtriusque radix mirificè adstringit, vt refrigerandi ac exiccandi facultate præditas esse nemini sit dubiũ. Antiquus manuscriptus herbarius frigidas & siccas esse in tertio ordine censet.

VIRES.

Radices illarum glutinant vulnera fœtum in vtero retinent, vomitũ bilio sum reprimũt, dysenteriam sanant. Hæc antiquus herbarius. Nostræ verò ætatis medici, aliorum errata impudenter sectantes ad longè diuersos vsus Serpẽtariæ vtriusque radices adhibent, nempe ad eos ad quos Dioscorides, Galenus & alij veteres suum Dracon-

tium cum tamen viribus inter se maximè discrepent, quod gustus etiam abundè testatur, cũ Dracontij radix acris sit, illarum vero vehementer adstringat. Vt igitur errorem hunc reliquant, subinde medicos & sepiastarios hortor, nisi fortè perdere magis quàm sanare in delitijs habeant, sciantq; Serpentarias suas non alias quàm Britannicam habere facultates, adstringendi nimirum, priuatim ad ea quæ in ore & tonsillis sunt depascentia vlcera accommodatas, & ad omnia alia quibus adstrictione opus est. Folia etiam in fatiscam trita labiles dentes confirmant.

DE SCORDIO. CAP. CCXCVIII.

Scordium iam notius est quàm vt sit pluribus declarandum nomen retinet.

NOMINA.

Σκόρδιον Græcis, Latinis Trixago palustris dicitur. Officinis ferè omnibus incognita. Germanis allusione quadam ad Romanam appellationem aptè Vuarsserbatenig (Gallis de la Germandrée) nominabitur. Scordium autem Græcis ab Alijs dicta est herba hæc, quòd nimirum eius folia affricta, Alij quod Græcis Scorodon vocatur, odorem referant. Ab hoc mali & ingrati odoris sensu, ijsdem etiam δυσοσμον appellatas fuit. Vt verò Trixago dicta sit, similitudo fecit, Trixaginj enim quæ Græcis Chamædrys nominatur similis est. Palustris autem, quoniam humentibus ac palustribus locis nascatur.

Scordion vnde dictũ Dyosmõ.

Trixago palustris, cur vocata

FOR

FORMA.

Folia Trixagini seu Chamædryi similia habet, maiora tamen, nec sic in ambitu incisa, odore aliquantum Allium referentia, gustu adstringentia & amara. Caules quadrangulos, in quibus flos subrubescens. Hæc delineatio sic refert herbã hanc, cuius picturam damus, vt ouum ouo non sit tam simile. Folio siquidem est Trixaginis, maiore & per ambitum non ita profundè serrato, & incisо, odore aliquatenus Allium reddente, adstringentis & amari gustus, quadrangulis caulibus, flore in caulibus, instar Chamædryos & Teucrij subrubro, & minimè in summis caulibus, vt aliqui putant, quemadmodum pictura ipsa abundè docet. Hæc itaque herba in theriacos pastillos inserenda erit, & nõ syluestre Allium, vt maximo in errore versentur seplasiarij institores qui pro re tam salutari atque omnibus putridis marcoribus Galeno lib. 1. de antidotis autore, aduersante: syluestre Allium vsurpant. Sed indignius erratum, quam quod multis explodi debeat. In hunc autẽ eosdem vicinitate vocabulorum potissimum inciSeplasiariorum error.
disse errorẽ, libro primo Paradoxorũ, cap. xxiiij. abundè monstrauimus.

LOCVS.

Nascitur in mõtanis & humentibus locis. Nec inter se pugnãt Dioscorides & Plinius, dum hic in campis humidis pinguibusq; ille autem in mõtanis nasci scribit. Vterque enim verum dixit: in

campestribus siquidem & montanis, non tamen omnibus prouenit, sed, quod Dioscorides etiã adiecit, humentibus tantùm. Plantatum autẽ Scordium non difficulter nascitur, & possunt de vno dũtaxat ramo complures prouenire, modò solo humido committantur.

TEMPVS.

Iunio & Iulio mensibus floret, flos tamen non nisi diem vnum durare videtur, sic cõtinuò vnus alium sequitur.

TEMPERAMENTVM.

Tum ex saporibus, tum etiam facultatibus paulò pòst exponendis satis constat Scordium calidum esse. Nam, Galeno etiam teste, amarum quid obtinet & acre.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Herba vim calefaciendi habet, & vrinã ciet recens trita & pota. Arida quoque cum vino decocta contra serpentium morsus, & letalia venena bibitur. Ad stomachi rosiones, dysenteriã, & vrinæ difficultatem pondere duarum drachmarum cum hydromelite. Purgat crassa pituitosa thorace. Facit ad veterẽ tussim, rupta, conuulsis cum nasturtio, melle & resina in ecligmate arida commixta. Hypochõdriorum vetustas inflammationes excepta cerato lenit. Succurrit eadem podagris cum acri aceto circunlita, aut ex aqua illita. Menses suppositа mouet, vulnera glutinat, vetusta vlcera purgat, & cum melle ad cicatricẽ ducit.

ducit. Siccata carnium excrescentias reprimit. Succus præterea ex ea expressus ad prædicta vitia bibitur.

EX GALENO.

Expurgat simulq; excalfacit viscera, tum menses vrinámque mouet. Præterea conuulsa ruptáque & lateriũ dolores ab obstructione & frigore natos sanat potum. Denique viride illitum magna vulnera conglutinat: verùm sordida purgat, & maligna ad cicatricem perducit, illitum aridum.

EX PAVLO.

Scordium varium existit, vt quod amarum, acerbum & acre sit. Purgat igitur simul & calfacit viscera, vrinas & menstrua cit, refrigerata omnia recalfacit, vulnera glutinat, repurgatq;, aridum illitum cicatricem inducit.

DE STICHADE.

CAP. CCXCIX.

NOMINA.

ΣΤιχάς Græcè, Stichas vel Stœchas Latinè appellatur. Officinæ cognomento Arabicã vocant. Germanis nominatur Stichaſkraut (Gallis du Stechados citrin.) Stichas verò nomen accepit à Stœcadibus ex aduerso Maſsiliæ vndedicta ſitis Galliæ insulis, in quibus prouenit. Arabæ factionis autores patriã Stichada reliquis omnibus prætulerunt, hinc sequaces illorum gentili cognomento Arabicam nuncuparunt.

Stichas arabica.

Stichas quare vocata.

FORMA.

Herba est tenuibus ramulis, comam similem, Thymo habẽs, lõgiore tamẽ folio & gustu acris & aliquantum subamara. Hactenus Dioscorides, qui flores atq; spicã prorsus omisit. Sunt autẽ flores, vt pictura abundè mõstrat, exigui & carulei, spica verò flauescit, semine referta exiguo, triquetro, & coloris spadicei. Radix illi est tenuis & lignosa.

LOCVS.

Nascitur, vt antea est commemoratum, in insulis Galliæ è regione Massiliæ, quæ Stichades appellantur, à quibus etiam gẽtilitiam appellationem accepit. Prouenit etiam in Arabia, aliisq; cõpluribus locis, & in multis etiam Germaniæ nostræ hortis.

TEMPVS.

Floret eo quo Lauandula tempore, nimirum ante Solstitium æstiuum, hoc est Iunio mense.

TEMPERAMENTVM.

Stœchadis qualitas gustu quidẽ amara est, & mediocriter subadstringens. Temperamentũ verò cõpositũ ex terrena essentia frigida exigua, vnde sanè adstringit: & extenui, altera, quæ terrena est, copiosiore, à qua vtrq; amara est.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Decoctũ eius quẽadmodũ & Hyssopi, ad thoracis vitia efficax est. Miscetur antidotis vtiliter.

EX GALENO.

Obstru

Obstructione liberare, extenuare, extergere, roborareque tum omnia viscera, tum totum corpus est nata.

EX PLINIO.

Menses cit potu, thoracis dolores leuat. Antidotis quoque miscetur.

DE STRVTHIO. CAP. CCC.

NOMINA.

Radicula. Lanaria. Condisi. Saponaria Struthium vnde nominatū.

Στρούθιον Græcis Radicula, siue Lanaria herba Latinis, Mauritanis & officinis Condisi, nonnullis herba fullonū, vulgo Saponaria, Germanis Seyffenkraut (Gallis L'herbe a Foulon) dicitur. Vnde verò Græci hanc herbā Struthiū appellauerint, non satis constat, nisi fortè à foliorum positura, quæ auium alas quadantenus imitantur, nomen illi indiderint. Nam gens ea στρουθὸν & στρύθιον passerem, & minores alias aues appellat. Vel forsitan quòd Venerem stimulet. Græci enim, vt dictum est, στρουθὸν passerem vocant, & ab eius auis salacitate lasciuos, & in venerē procliuiores homines στρουθόας, quasi passeres vocant. Porrò strutheum, vt est apud Festum, nuncupant obscœnam virilem partem. Qua imitatione Martialis & Catullus passerem pro virili mēbro in suis versibus vsurpasse videntur. Lanariam verò dixerunt, quòd ad candorē & mollitiem lanarum ea vsa fuerit antiquitas. Nā cū succidæ lanæ œsypo spurcatæ colores respuerent, prolutæ huius radicis succo, ad quoscūq; suffectus

στρουθοί.

Lanariæ cur dicta.

imbibendos præparabantur, quibus œsypum erat impedimento. Sic sordescentes lanas veteres hac herba eluebant, ad munditiem cõtrahendã, quæ primum ab infectoribus quærebatur, sordidis calores aspernãtibus. Sic quoq; à præcipua & vtiliore parte, Radicula Romanis est appellata. Saponaria recentioribus dicta est, quoniã eluendis vestimentorũ maculis, sordibusq; lanarũ expurgandis, saponis vicem exhibet. Herba autẽ fullonum nominata est, quòd ea interpellandis vestibus, & mangonio poliendis fullones vtantur.

Radicula quare appellata.

Saponaria cur vocata

Herba fullonum.

FORMA.

Struthion herba est caule lanuginoso, foliis oblongis prodeuntib. ex interuallo quasi geniculatim, plerumq; quinis in vnum coëuntibus, in summo caliculorum floribus candidis: radice, quam summo cespite non in altum vltrò citroq; per longitudinẽ fundit, magna, tereti & oblonga, quæ conciditur purgandis lanis.

LOCVS.

Nascitur in Asia Syriaq;, saxosis & asperis locis præcipuè. Nũc in hortis quibusdã plantatur.

TEMPVS.

Floret æstate, Iunio maximè mense, sed per duos continuos menses floribus prægnans est.

TEMPERAMENTVM.

Calidum & siccum temperamento, ex quarto quodammodo ordine.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Radix eius acris est, vrinam cit, iecinorosis

auxi

auxiliatur tussi & orthopnœis cum melle cochlearis mensura sumpta. Alvum subducit. Eadē cū Panace & Capparis radice sumpta, calculos frāgit, & per vrinam exturbat. Lienem induratum minuit. Subdita menses elicit, & fœtum manifestè enecat. Cum polenta & aceto illita, lepras tollit. Cum farina hordeacea in vino elixa, tuberculā discutit. Miscetur præterea collyrijs & malagmatis quæ ad claritatem oculorum conficiuntur. Sternutamenta cit, & trita cum melle naribus infusa, per os purgat.

EX GALENO.

Struchij radice potissimùm vtimur, gustu acri quidem existente. Sed & abstergit, & irritat, ideoq; sternutamenta mouet, ceu cætera omnia quæ gustu acria sunt, & temperamento calida.

EX PLINIO.

Medetur morboregio ipsa radix decocta, & ius potum: item thoracis vitijs. Vrinam cit, aluū soluit, & vuluas purgat. Ea & ex melle prodest magnificè ad tussim orthopnœ cochlearis mensura. Cum polēta verò & aceto lepras tollit. Eadem cum Panace & Capparis radice calculos frāgit, pellitq;. Panos discutit, cū farina hordeacea, & vino decocta. Miscetur & malagmatis & collyrijs, claritatis causa. Ad sternutamēta vtilis inter pauca. Lieni quoque ac iecinori. Eadem pota denarij vnius pondere ex mulsa aqua, suspirioſos sanat.

DE

DE SCILLA. CAP. CCCI.

NOMINA.

Σκίλλα Græcis Scilla Latinis, Squilla, exemplo Varronis, omnibus nunc officinis vocatur. Germanis autẽ Meerzuuibel (Gallis Stipoulle, ou Charpentaire.)

FORMA.

Scillæ radix cæpæ modo multipliciter tunicata corticosa q; ex qua prius, vt in croco, caulis prosilitum ex eo flos in luteo candidus emergens insidit, qui cum senuerit folia demum multu posse diebus emicant lata, nullo nixa pediculo, capitia quadam specie, & pleraque ex ijs in terram deflexa.

LOCVS.

Scilla vndique, vt cæpæ & allia prouenit.

TEMPVS.

Scillam ter florere, triaq; tempora sationum ostendere, Theophrastus libro septimo capite duodecimo tradit. Primũ enim florum prouentũ, arãdi primum tempus significare scribit, secundum medium, tertium nouissimũ. Quot enim fuerunt isti, totidem & arari tempora fermè occurrunt. Scillæ præterea flos, vt est Beritius autor, nigrata specie prosiliens, modò celeriter nõ emarcescat, largos frugum prouentus, ac vberem annonã nobis promittit.

TEMPERAMENTVM.

Admodum incidentem facultatem obtinet, nõ tamen

tamen admodum calidam, sed secundum hoc eam quispiam secundi ordinis censeat excalfacientiũ.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Vim acrem & feruentem habet. Assata verò multiplicem obtinet vsum. Pasta aut luto oblita, in clibanum conijcitur, aut carbonibus obruitur, donec circũluta pasta sufficiẽter tosta fuerit. Quæ amota, si nõ emolliscat, altera pasta aut luto circunlimitur, & eadem quæ prius fiunt. Nam quæ ita non assatur, noxia magis est, præsertim interaneis data. Torretur item in olla indito operculo, & in clibanum coniecta. Sumitur ex ea, adiectis extimis partibus, quod maximè mediũ est, quod concisum, effusa priore aqua, coquitur, nouaq; superinfusa vsq; dum nec amaritudinem, neq; acrimoniam habeat aqua. Siccatur autem in vmbra dissecta, & lino traiecta, ita vt ne taleolæ inuicẽ se contingant. Sic igitur secta, ad oleum, vinum acetetúmque scilliticũ vtimur. Ad rimas verò pedum crudæ Scillæ interanea pars in oleo feruefacta, aut cũ resina liquefacta imponitur. Decocta in aceto demorsis à vipera cataplasma est. Assæ eiusdem pars vna tosti salis partibus octo subigitur, daturq; ieiunis cochlearis vnius duorũmque pondere ad emolliendam aluum. Additur potionibus & odoramentarijs medicamentis, & ijs cum quibus vrinam ciere voluerimus, hidropicisq; & stomachis, quibus innatat cibi, & morbo regio, torminibus, in vetere tussi, asthmaticis,

cruenta

cruenta reijcientibus. Trium verò oboloru̅ pondus in delinctu ex melle sumpsisse satis est. Coquitur eadem cum melle, sumiturq; in cibo ad eadem, maximè coctionem adiuuans. Strigmentitia per aluum ducit. Cocta & simili modo sumpta, idem potest. Cauendus Scillæ vsus ijs, quibus interaneum aliquod exulceratum erit. Prodest verrucis & pernionibus assam inungere. Semen eius tritum, cum caricis aut melle exceptum, si manditur, aluum emollit. Pro foribus domus suspensa tota amuletum est.

EX GALENO.

Præstat assam aut elixam sumere: sic enim virium eius vehementia exoluitur.

EX PLINIO.

Scillarum in medicina alba est quæ masculus, fœmina nigra. Scilla quæ candidissima fuerit, vtilissima erit. Huic aridis tunicis direptis, quod reliquum è vino est, consutum suspenditur lino modicis interuallis, postea arida fenestra in cadum aceti quàm asperrimi pendentia immerguntur, ita ne vlla parte vas contingant. Hoc fit ante Solstitium diebus quadraginta octo. Gypso deinde oblitus cadus, ponitur sub tegulis, totius diei solē accipiētibus. Post eū numerū dierū tollitur vas, Scilla eximitur, acetum transfunditur Hoc clariorem aciē facit. Salutare est stomachi laterumq; doloribus, parum sumptum binis diebus. Sed tāta vis est, vt auidius haustū extincta animæ momento

mento aliquo ſpeciem præbeat. Prodeſt & gingiuis & dentibus, vel per ſe commăducata. Tineas & reliqua vĕtris animalia pellit ex aceto et melle ſumpta. Linguæ quoque recens ſubiecta præſtat ne hydropici ſitim ſentiăt. Coquitur pluribus modis in olla, quæ conijciatur in clibanum aut furnum, vel adipe aut luto illita, aut fruſtatim in patinis. Et cruda ſiccatur, deinde conciditur, coquiturq; in aceto, tum ſerpentium ictibus imponitur. Toſta quoque purgatur, & medium eius iterum in aqua coquitur. Vſus ſic coctæ ad hydropicos. Ad vrinam ciendam tribus obolis cũ melle & aceto potæ. Item ad ſpleneticos & ſtomachichos, ſi non ſentiant vlcus, quibus innatet cibus. Ad tormina, regios morbos, tuſſim veterem cum ſuſpirio. Diſcutit & ex foliis ſtrumas, quadrinis diebus ſoluta. Furfures capitis, et vlcera manătia illita, ex oleo cocta. Coquitur & in melle cibi gratia, maximè vti cochlearem faciat. Sic & interiora purgat. Rimas pedum ſanat in oleo cocta, & & mixta reſinæ. Semen eius lumborum dolori ex melle imponitur. Pythagoras Scillam in limine ianuæ ſuſpenſam, malorum medicamentorum introitum pellere tradit.

DE STAPHIDE AGRIA.

CAP. CCCII.

NOMINA.

Σταφις ἄγρια Græcis herba Pedicularis et Pituitaria Latinis, officinis Staphiſagria, Germa

Pedicularis quare dicta.

manis Biſzmuntz (*Gallis* de L'eſtaphiſagrie, ou L'herbe au Poulx.) Pedicularis autẽ Pituitariaq; Latinis à viribus quas habet, dicta eſt: erum pentibus enim è corpore pediculis exoleo inuncta aduerſatur, & commanducata feruore multam pituitam trahit.

Pituitaria vnde.

FORMA.

Folia habeo Labruſcæ inciſuris diuiſa, coliculos rectos, molles nigroſq;, flores Iſati ſimiles, ſemẽ in vaſculis viridibus ſimilibus Ciceri triangulũ, aſperum, in nigro ſubrufum, intus candidum, guſtu acre. Hæc deſcriptio herbæ huic cuius hic effigiem damus per ǒmnia quadrat, floribus tãtum exceptis, qui minimè Iſati ſimiles ſunt, neque in colore, neque in quantitate. Iſatis enim flores lutei ſunt, & exigui, huius contrà ſubcæſij, ac multo maiores, vt hinc ferè ſuſpicer eam herbam non eſſe quã veteres pingunt Staphida agrian. Cæterùm cùm proximè tamẽ ad picturam accedat, neque viribus diſtet admodum, inter Staphidis agriæs ſpecies rectè à plæriſque hodie herbariæ rei ſtudioſis connumeratur. Folia enim fert plerũque ſeptem, aliquando etiam paucioribus inciſuris diuiſa, coliculos rectos, nigros, & in folliculis herbaceis ſemen triquetrum, in nigro ſubrufum, intus candidum, guſtu acre, ita vt illi omnes notæ, demptis floribus, reſpondeant.

LOCVS.

Naſcitur, Plinio autore, in opacis. Ea cum pi-

Eluram

Eluram exhibemus, nunc passim in hortis plantatur.

TEMPVS.

Floret æstate.

TEMPERAMENTVM.

Quum vrendi vim habeat Staphis agria, cõsequitur eandem in quarto ordine esse excalfacientium & desiccnatium.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Eius grana quindecim si quis trita in aqua mulsa dederit, crassa per vomitum purgant. Sed qui biberint, ambulare debent. Quinetiam assiduè attendere oportet, & aquam mulsam potum dare, quòd strangulatiõis pericula inferant, & fauces deurãt. Trita eadem, & ex oleo iniuncta, pediculationi, prurigini & scabiei auxiliatur. Plurimam cit pituitam commanducata. Decocta in aceto, dentium dolori, si ea colluãtur, subuenit. Gingiuarum rheumatismum sistit. Vlcera oris, aphthas nominant, cũ melle sanat. Misceatur præterea vrentibus malagmatis.

EX GALENO.

Vehementer acrem obtinet facultatem, adeò vt ex capite purget pituitam, abstergatq; valẽter. Itaque ad scabiem accommodata est. Sed & vrendi vim aliquam habet.

EX PLINIO.

Nucleis eius ad purgationes vti non censuerim propter ancipitẽ strangulationẽ, nec ad pituitam

oris ſiccandam: fauces enim lædũt. Phthiriaſi caput & reliquum corpus liberãt triti. Facilius admixta ſandaracha. Item pruritu & pſoris. Ad dentium dolores decoquuntur in aceto. Ad auriũ vitia, rheumatiſmum gingiuarum, vlcera oris manantia. Flos tritus in vino contra ſerpentes bibitur. Semen enim abdicauerim, propter nimiam vim odoris. Quidam eam Pituitariam vocãt, & plagis ſerpentium vtiq; illinunt. Item phthriaſi, qua Sylla dictator conſumptus eſt. Naſcũtur quoque in ſanguine ipſo hominis animalia exeſura corpus. Reſiſtitur Staphidis agrias ſucco, cũ oleo perunctis corporibus. Hæc quidem in aceto decocta, etiam veſtes eo tædio liberat.

DE SESELI MASSILIENSI.

CAPVT CCCIII.

NOMINA.

Σεσελι τὸ μασσαλιωτικὸν Græcis, Seſeli Maſſilienſe Latinis, officinis Siler montanum dicitur. Semen tamen quod à ſeplaſiarijs hoc nomine venditur, non Maſſilienſis, ſed, ſi amaritudinem reſpicias, Aethiopici, vel quod magis vero ſimile eſt, Peloponeſiaci (neutrius enim integram imaginem vidimus) Seſeli ſemen eſt: latius enim, odoratius, & carnoſius Maſſilienſi exiſtit. Germanis incognita hactenus planta fuit, ob id Seſel rectè illam appellabunt.

Siler montanum.

FORMA.

Folia gerit Fœniculi, craſſiora tamen, Caulem vege

vegetiorem, vmbellam Anetho simile, in qua semen est oblongum, anguloſum, & deguſtanti cõfeſtim acre: radicem longam, & odoratam. Ex qua Dioſcoridis delineatione ſatis conſtat ſtirpem, cuius picturam damus, eſſe Seſeli Maſſilienſe, quòd huic nimirum, nulla prorſus nota reclamẽte, tota deſcriptio ſuffragetur. Quid multa? dato etiam quòd ſingulæ illi non reſponderent, notæ, tamen cùm eas quas veteres Seſeli attribuerunt facultates obtineat, citra omne periculum pro eo vſurparetur.

LOCVS.

Optimum iuxta Maſſiliam, teſte Dioſcoride, Galliæ vrbem naſcitur, vnde etiam cognominatiõ eſt Maſſilienſe. Prouenit autem alijs quoq; in locis calidioribus, & nunc in plarisq; in Germaniæ hortis, ſed non niſi ſatum & cultum.

TEMPVS.

Floret æſtate, & ſemen ſubinde producit.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit & deſiccat in ſecundo ordine.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Semen & radix calefaciendi vim obtinent. Stranguriæ, orthopnœæ, veteri ſuffocationibus & comitialibus pota medentur. Menſes & fœtus ex vtero ducũt. Interaneis omnibus proſunt, & diutinas tuſſes ſanant. Ipſum ſemen cum vino potũ coctioni cõfert, tormina diſcutit, & epialis febribus vtile eſt. Ad arcẽda in itinere frigore cũ pipere

& vino bibitur. Datur capris aljsq; quadrupedibus bibendum, vt partus iuuet.

EX GALENO.

Seseli & radix & semen vsq; adeo excalfacit, vt admodum vrinam mouere queat. Sed & tenuiũ est partiũ, vt & comitialibus, & orthopnœis competat.

EX PLINIO.

Prodest homini ad tussim veterem, rupta, cõsulsa, in vino albo potum. Item opisthotonicis, & iecinorum vitijs, & torminibus, & stranguria, duarum aut trium ligularum mensura. Sunt & folia vtilia, vt quæ partus adiuuent etiam quadrupedũ. Hoc maximè pasci dicuntur ceruæ parturæ. Illinitur & igni sacro. Multum in summo cibo cochlionibus confert, vel folio, vel semine. Quadrupedum quoque aluum sistit, siue tritum potui infusum, siue mãdendo cõmã ducatũ è sale. Boum morbis medetur, vel si cõtritũ infunditur.

DE SANGVISORBA.

CAP. CCCIIII.

NOMINA.

QVVM ignoraremus quo nomine stirpem hanc veteres Græci & Latini, si modo ijs cognita fuit, appellarint, maluimus interea vulgari vti nomen clatura, donec aliud certius nomen inuenerimus. Elatnen tamen esse iudicarẽ, si folia pusilla, pilosa, & rotunda obtineret. Nũc quum neq; pusilla, neque pilosa, neque rotunda, sed

sed mucronata esse videantur, certi statuere nihil possum. Sanguisorba verò dicta est hæc herba, nõ quòd vulneribus iniecta ferrum & spucula facilè & citra sensum doloris exigat, vt nonnulli arbitrantur: idipsum enim non posse mirifica quæ illi inest adstringendi facultas abundè ostendit: sed potius quòd ei in sistendo sanguine vndecunque emanarit, mira admodum insit efficacia, adeò vt hũc ipsum quasi absorbere videatur. Erroris autẽ huius nulla alia causa est, nisi quòd hanc stirpem multi cum ea quæ hodie Pimpinella vocatur, confundant, quæ certè propter caliditatem quã obtinet haud exiguam, quandam etiam trahendi facultatẽ habere videtur, adeò vt infixa corpori extrahere facilè queat. Quòd verò cũ Pimpinella confuderint non alio factum est nomine, quàm quòd huius folia proximè ad Pimpinellæ folia, quæ itidem vt hæc serrata sunt, accedere videntur. Sed hæc confusio non caret errore, vt paulò pòst dicemus. Germanis hæc herba Kolbleskraut, à capitellis quæ ruffescentibus punctis maculata sunt, dicitur. Nonnulli etiam Germanorum Hergots Bartlin nominant, Quidam etiam à sistendo sanguine BlutKraut.

Sãguisorba cur dicta.

Error eorũ qui Pimpinellã cũ Sãguisorba confundunt.

GENERA.

Duo sunt eius herbæ quæ Sanguisorba vocatur genera. Vna enim maioribus constat foliis ac longioribus, cauliculis tamẽ tenuioribus, ideoq; ab hac foliorum forma maior à nobis dicta est.

Sãguisorba maior.

Minor.

Altera minoribus foliis, cauliculis autẽ maioribus esse deprehenditur, quare ab ista foliorũ effigie rectè minor appellari potest, vt inter eas aliquod discrimen esse herbariæ rei studiosi hac ratione animaduertant.

FORMA.

Herba est à radice crassa & longa, statim foliosa, minor potissimùm, coliculos habens plurimos rubentes, folia aspera, in extremitatibus latè crenata & serrata, in summo coliculorum capitella russescentibus punctis maculatæ, quæ si hiant flores exeunt herbacei, in medio croceũ comam ostendentes.

LOCVS.

Nascuntur locis incultis, aridioribus, & soli expositis. Vnde iterum colligere licebit non esse Elatinen, vtcunque à facultatibus illius non discrepet, quòd Dioscoride & Plinio testibus, Elatine in cultis & segetibus prouenniat.

TEMPVS.

Florent Maio & Iunio mensibus.

TEMPERAMENTVM.

Gustantibus adstrictionem haud vulgarẽ as viscositatem herba præ se ferre videtur. Quapropter siccam admodum consistentiam nacta est, simulq; corpora contrahere, & constringere potest, atque adeò emplasticam, eò quòd glutinosa sit, facultatem obtinet.

VI

VIRES.

Ex ijs quæ diximus abundè constat vranque Sanguisorbam in restringendis ac supprimendis sanguinis profluuijs esse efficaciſsimas, adeò vt nonnulli constanter asserant, eas etiam manibus gestatas sanguinem vndecunque manantem sistere posse. Experientia certè, compertum est ad mulsebre profluuium sanandum, nullum posse reperiri præsentius ijs stirpibus præsidiū. Glutinãt etiam vulnera illarum folia, carcinomatu q; & fistulis medentur. Generosum denique ac strenuū remedium easdem esse ad dysenterias, & reliquos ventris fluxus, si ex aqua aut vino bibantur, nemini nō notum est. Quid multa? Elatines herbæ, cuius certè hæ duæ stirpes genus esse videntur, facultates habent. Quare toto cœlo errant, qui herbas has, vt suprà etiã cõmemoratũ est, cũ Pimpinella confundunt, quod hæc ipsa acris admodũ sit & multũ calida: illæ cõtrà sapore, haud secus atq; Elatine, adstringẽte. Verùm nõ tãtùm differũt facultatibus, imò etiã odore, coloreq; foliorũ, maximè verò florum diuersitate, vt quiuis ex vtriusq; herbæ picturæ collatiõe statim deprehẽdet.

Pimpinella nõ solũ facultatibus, verũ etiã forma à Sanguisorba diuersa.

DE SCOLYMO. CAP. CCCV.

Scolymus Artichaut Gallis.

NOMINA.

Σκόλυμος Græcis, Carduus & Strobilus Latinis, Columellæ Cinara dicitur. Sũt qui hodie

Carduus Strobilus. Cinara

hodie Arcocum corrupta voce nominant, primam vocis syllabam articuli vice præponentes.

Alcocalus. Cocalus. Alij paulo rectius Alcocalum vocant: Cocali siquidem nomine, nux pinea, cui Scolymi capitulum simile est, venit. Nunc vulgò herbariorum ab articulo statim duabus interiectis literis Articocalus., aut expuncta vocalia, Articoclus, vel magis curtato, vt ferè fit, vocabulo, Articols vel Articoca nuncupatur. Germani instar vulgi Articoca, (Gallis Artichaut) Strobilus nominabunt, aut Strobildorn. Strobilũ autem Romani hanc stirpem non alia ratione dixerũt, quàm quòd eius capitulum, vt diximus, strictili nucleorum serie pineam nucem referre videtur.

Articocalus. Articoca. Strobilus nominabunt, aut Strobildorn. Strobilũ autem cur dicta. Cinara quare appellata. Cinaram verò sunt qui appellatam putẽt, quòd satum & cultum cineribus gaudeat. Alij a Cinara potius puella, quæ in eius speciei Carduum mutata est, dictam esse volunt.

FORMA.

Folia habet Chamæleontis, & spinæ albæ vocatæ similia, nigriora tamen ac crassiora. Caulem emittit oblongum, filiosum, in quo capitulum spinosum. Radicem verò nigrã & crassam. Hæc Dioscorides. Cæterùm caput eius & vertex in squarosum extuberat globum, corticosis vnguibus turgentẽ, spicisq; squamatim coagmentatis, quarũ orbis exterior viret, interior niueo candore nitescit. Flos purpureo rutilat colore, qui tãdẽ euanescit in pappos. Caput vetustate tandem dissilit in

corti

corticeas laminas, semen ostendens Cnici figura. Nos tamen integram Scolymi faciem ac picturã hoc tempore dare non potuimus, quòd primo anno fructum suum non ostendat. Curabimus autem alio tempore vt studiosi integram eius habeant picturam.

LOCVS.

Nusquam, quod sciã, in Germania prouenit Scolymus Cinara, nisi sata & culta. Quare scolymus qui in hortis colitur & plantatur, verè Cinara existit. Quod ideò monẽdum esse duximus, quia inter Græcos esse constat, vt est Paulus & Aëtius, qui Scolymum à Cinara discriminant. Non est autẽ aliud inter eas stirpes discrimẽ, quàm quòd Scolymus ferus est & syluester, Cinara vero domita cultu, ideoq; à nonnullis Carduus altilis nominatur.

Scolymus hortensis propriè Cinara dicitur.

Scolymus Cinara.

Carduus altilis.

TEMPVS.

Quum Solstitium æstiuũ agitur, Scolymi flos erumpit, Hesiodo. in lib. ỷ. cui titulus Opera & dies, teste, qui ea florente cicadas acerrimi cantus esse, & mulieres libidinis auidissimas, virosq; in coitum pigerrimos, capite, genibus, ac toto corpore præ Sirỷ æstu arescentibus, scribit.

TEMPERAMENTVM.

Quæ secundum qualitatem editur actio, calidum in secundo ordine completo, aut tertio incipiente, medicamentum indicat, siccum verò in secundo.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Radix Scolymi illita graueolentiã alarũ, & totius corporis emendat. Item si decocta in vino bibatur. Vrinam etiam copiosam fœtidamq; pellit. Herba cùm recẽs nascitur tenereſcitue, asparagorum modo in olera transit.

EX GALENO.

Scolymi radix copiosam vrinam graueolentẽ elicit, si quis eam in vino coctam bibat: ideoque graueolentiam sanat, tum alarũ, tum totius corporis. Atq; hoc sanè medicamento ex tota ineſt essentia, vt pote eius succo existente purgatorio. Et in libro secundo de alimentorũ facultatibus: Praui succi edulium est Cinara, præcipuè cùm nam durior euaserit: tum enim bilioſi humoris copia abundat: totaq; eius substantia durior existit, adeoq; vt ex ipsa melancholicus, ex succo vero eius tenuis & bilioſus humor producatur. Proinde coctam edere præstiterit adiecto coriandro, deinde ex oleo, garo, vinoq; sumatur. Si tamẽ in Patina aut sartagine ad esum præparetur, absq; ijs comedatur. Pleriq; enim sic eius veluti cacumina comedunt, quæ spondylos nominant.

EX PLINIO.

Vrinam ciere Scolymũ præcipuè traditur. Sanare lichenas et lepras ex aceto. Venerẽ stimulare in vino. Heſiodo & Alcæo testibus, qui florẽte ea cicadas acerrimi cãtus esse, & mulieres libidinis

audiſſe

auidiſſimas, virosq; in coitum pigerrimos ſcripſere, velut prouidentia naturæ hoc adiumento tunc valentiſſimo. Item graueolentiam alarum emendat radicis emedullatæ vnciæ n vini falerni heminis tribus decocta ad tertias, & à balneo ieiuno, itemq; poſt cibum cyathis ſingulis pota. Mirũ eſt, quòd Xenocrates promittit experimento, vitiũ id ex alis per vrinam effluere.

DE SPHATVLA FOETIDA.

CAP. CCCVI.

Sphatula fœtida cum Xiride magis conuenit.

NOMINA.

HERBA quam officinæ Sphatulam fœtidam vocant, quod grauem exhalet odorẽ, quomodo veteribus ſit appellata nondum certò ſcire poſſum. Nomen quidem ipſum Xiphij ſeu Gladioli ſpeciem eſſe docet, Sphata ſiquidem Latinis gladium ſignificat. Non eſſe autem Xiphium radix eius euidenter admodum oſtendit, quæ non eſt bulboſa, nec gemina, ita vt altera alteri inſideat, ſed capillamentis fibrata. Neque etiam Sparganium eſſe partim folia eius: quæ in terram non procumbunt, partim etiam ſemina, quæ non in pilulis, ſed folliculis aut ſiliquis profert. Non videtur etiam eſſe Xyris, quòd illa radicem habeat longam & rufam, Sphatula verò fœtida nec longam nec rufam, ſed rotundam, albam & capillatam. Tamen quicquid ſit

Sphatula fœtida cur dicta.

Sphata.

Sphatula fœtida nõ eſt Xiphiũ

Non eſt Sparganium.

Non eſt Xyris.

sit gentilem ijs esse foliorum similitudine constat. Germani eam Vuandtleuſzkaut, *à necandis cimicibus appellant.*

FORMA.

Folia Iridi similia habet, minora tamẽ & angustiora. Caulem ex se mittit, in cuius summo folliculos aut siliquas Paeoniæ fœminæ non dissimiles profert, quibus dehiscentibus semen in ijs apparet rotundum & rubrum. Radicem obtinet capillamentis multis fibratam.

LOCVS.

Circa sepes & dumeta nascitur, frequens in Italia, nusquam tamen in Germania, quod sciam: nisi sata prouenit.

TEMPVS.

Fructũ seu siliquas suas autumno profert, ac subinde in ijs, vbi dehiscunt, semen ostendit.

TEMPERAMENTVM.

Vehementer acrem qualitatem obtinet, adeò vt gustata, fauces quasi vrere videatur. Proinde calidam & siccam admodum esse constat.

VIRES.

Non multum à Staphidis agriæ viribus abesse apparet: valenter enim abstergit. Hinc ad scabiẽ eius potissimum succus, abigendam vtilis est. Surculos etiam & spicula, perinde atque Xiphium et Xyris, sine dolore extrahit. Cimices quoque necat atque fugat.

DE

DE TRICHOMANE.

CAP. CCCVII.

NOMINA.

Τριχόμανες Græcè, Trichomanes, Capillaris Latinè vocatur. Officinis Polytrichon falsò dicitur, id enim nominis Adianto herbæ: quæ hodie Capillum Veneris vocant, Dioscoride & veteribus alijs testibus, debetur. Germanicè Vuidertodt, oder Abthon (Gallus du Polytrichon) appellatur. Trichomanes autem à faculta te sua Græci nominauerunt, quòd scilicet fluentẽ capillum expleat, & subnasci faciat, μανὰν enim ea gens rarum vocant, τρίχα autem capillum. Hoc etiam nomine Capillarem Latini dixerũt.

Polytrichõ officinarũ

Trichomanes cur dicti.

Capillaris

FORMA.

Filici simile est Trichomanes, paruum admodum. Ex vtraque parte ordine quodam folia habet tenuia. Lentis figura, contraria inuicem, in ramulis tenuibus, splendescentibus: subnigris & austeris. Cuius equidem descriptiõis notæ omnes, nulla penitus reclamante, herbæ illi quam hodie officinæ Polytrichon vocant, pulchrè quadrant. Siquidem cauliculis iunceis, quincuncialibus, à radice statim penè foliatis constat, foliis rotundis, lenticulæ forma, aduersis inter se peduculis, ramulis subnigris & nitentibus, sine flore, sine semine.

LOCVS.

Nascitur in palustribus atque vmbrosis locis, humentibus muris, & iuxta fontes: haud secus

atque

atque Adiantum.

TEMPVS.

Capitur æstate & autumni initio.

TEMPERAMENTVM.

Trichomanes in caliditate quidem & frigiditate symmetrum est, verùm desiccat, extenuat & digerit.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Eadem potest quæ Adiantum. Cum itaque Adiantum aliunde in Germaniam sit deportandum: & Trichomanes passim proueniat, licebit hoc in alterius inopia vti. Et consultius multò vt Trichomane vtantur Officinæ, quàm Adianto adulterino. Prodest igitur Trichomanis decoctum potũ asthmaticis, dysponicis, felle suffusis, lienosis vrinæq; difficultatibus. Calculos frangit, Alvum sistit. Venenatorum morsibus, & stomachi fluxionibus in vino potum medetur. Menses & secundas ducit. Sanguinis autem reiectiones sistit. Crudum illinitur venenatorum morsibus. Alopecias explet, strumas discutit. Furfures & achores cum lixiuio exterit. Cum ladano, myrtino, sustino, authyssopo & vino capillos defluentes continet. Decoctum etiam eius cum lixiuio & vino si eo abstergantur, idem potest.

EX GALENO.

Alopecias densat, & strumas & abscessus discutit, lapidesq; frangit potum. Viscosorum crassorumq; ex thorace pulmoneq; ex creationibus non

medio

mediocriter confert. Ventris profluuium sistit, nullam tamen manifestam caliditatem affert, sicut nec frigiditatem.

EX PLINIO.

Calculos è corpore mirè pellit, frangitq; vtiq; nigrum. Qua de causa potius quàm quòd in saxis nasceretur: & à nostris Saxifragum appellatum crediderim. Bibitur è vino quantum terni decerpsere digiti. Vrinam cient. Serpentium & araneorũ venenis resistunt. In vino decoctũ aluũ sistunt. Capitis dolores corona ex ijs sedat. Contra scolopendræ morsus illinuntur, crebrè auferendi ne pereãt. Hoc & in alopecijs. Strumas discutiũt, furfuresq; in facie: et capitis manãtia vlcera. Decoctũ ex his prodest suspiriosis, et iecinori, & lieni, & sedi suffusis, et hydropicis. Stranguriæ illinuntur, et renibus cum Absinthio. Secũdas cient et mẽstrua. Sanguinem sistunt ex aceto, aut Rubi succo poti. Infantes quoque vlcerati perunguntur ex ijs cum rosaceo & in vino prius. Folium in vrina pueri impubis, tritum quidem cum aphronitro, & illitum ventri mulierum, ne rugosus fiat, præstare dicitur. Perdices & gallinaceos pugnaciores fieri putant, in cibum eorum additis, pecoriq; esse vtilissimos.

DE TELI.

CAP. CCCVIII.

Fœnum græcum corruptè, Vulgus Senegrec, per Scolo F.

NOMINA.

ΤΗλις, κερατίτις ἀιγόκερως, βούκερως Græcis. Fœnum græcum Latinis, officinæ genuinum nomen retinuerũt, Germanis Bockshorn, oder kuhorn, (Gallis Fenegrei, ou Fenegrec) dicitur. Magna græcarum appellationum pars à siliquarum quas producit figura desumpta est, hæ enim corniculis similes existunt. Hinc Ceratitis cur dicta. Aegoceros Buceros. Ceratitis à cornu simpliciter dici cœpit, κέρας enim Græcis cornu est Aegoceros autem à caprini cornu similitudine, quemadmodum à bubuli Buceros, quod sanè nomen Theophrastus libro quarto de historia plantarum illi imposuit. Cùm itaque corniculis similes habeat siliquas, factum est vt illam Columella simpliciter Siliquam nominauerit, Plinius Siliciam, Varro Siliculam.

FORMA.

Cauliculis emicat exilibus, rubicundis, folio penè Trifolij, flore candido & exiguo, semine in siliquis oblongis, ac cornu instar incuruis fulum. Radice subrotunda & oblonga innititur.

LOCVS.

Satum Fœnogræcum passim ferè prouenit.

TEMPVS.

Iunio & Iulio mensibus floret, & vnà siliquas producit. Semen tamen in Augusto maturum legitur.

TEMPERAMENTVM.

Fœnum græcum calidum est secundi ordinis, desic

desiccat primo.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Molliendi & dissipiendi facultatem habet Fœnograeci farina. Facit ad inflammationes quæ intus forisq; sunt si cum aqua mulsa decocta tri-ta illinatur. Lienem cum nitro & aceto subactæ & illita minuit. Decoctum eius insessu ad mulie bria mala, quæcunque per inflammationes aut præclusiones consistunt, vtile est. Expressus Fœnograeci in aqua decocti succus, capillos, furfures & achores exterit. Cum anserino adipe pessi vice apponitur, loca quæ iuxta vterum sunt emolliens & relaxans. Viride cum aceto imbecillis & exulceratis locis prodest. Decoctum eius aduersus tenesmos: & grauiter olentia dysenteri-corum excrementa confert. Oleum eius cum myrtino capillos & in genitalibus cicatrices abstergit.

EX GALENO.

Fœnumgrœcum feruentes inflammationes irritat. Quæ verò minus sunt calidæ, & magis duræ eas digerendo curat.

EX AETIO.

Fœnumgrœcum habet etiam absterg̃edi vires. Variis modis comeditur, sed copiosius sumptum caput tentat. At cremor decocti Fœnograeci cum modico melle exhibitus, omnes deprauatos intestinorum humores educit, Permodicum esse oportet quod pmiscetur mel, ne erodat. In diuturnis verò

doloribus qui sine febri thoracem infestant, pingues simul palmulæ elixantur, inde succo expresso melléque admixto suppositis carbonibus rursus decoquuntur vsque ad congruam consistentiam. Datur id diu ante cibum, obseruariq; oportet ne ijs exhibeatur quibus facilè caput dolet, palmula enim capiti infestæ sunt.

EX PLINIO.

Vis eius siccare, mollire, dissoluere. Succus decocti fœminarum pluribus malis subuenit, siue duritia, siue tumor, siue contractio sit vulvæ, fouentur, insidunt. Insusum quoque prodest. Furfures in facie extenuat. Spleni addito nitro decocto & impositum medetur. Item ex aceto. Sic iecmori decoctum. Diocles difficilè parientibus semen eius dedit acetabuli mensura tritum in nouem cyathis sapæ ad tertias partes bibere, vt qui biberent in calida lauarentur. Et in balneo sudantibus dimidiũ ex relicto iterum dedit, mox à balneo reliquum, pro summo auxilio. Farinam Fœnogræci cum hordeo aut lini semine decoctam aqua mulsa contra vulvæ cruciatus subiecit. Itemq; imposuit imo ventri. Lepras, lentigines, sulphuris pari portione mista farina curauit, nitro antè præparata cute, iterum die illinens, perungiq; præcipiens. Theodotus Fœnogræco miscuit quartam partem purgati Nasturtij acerrimo aceto ad lepras. Damion Fœnogræci semen acetabuli dimidia mensura cum sapæ & aquæ nouem cyathis ad mensẽs tiendos dedit

dit potu. Nec dubitatur quin decoctum eius utilissimum sit vuluis, interaneisq; exulceratis, sicuti semen articulis atque præcordijs. Si verò cum Maltana decoquatur, postea addito mulso potus, ante cæpor quoque decocti plurimum possit. Alarum etiã graueolentiam decoctum fœnograci semen emendat. farina porrigines capitis furfuresq; cum vino & nitro celeriter tollit. In hydromelite autem decocta addita axungia genitalibus medetur. Item parotidi, podagræ, chiragræ, articulis, carnibusq; quæ recedunt ab ossibus. Aceto verò subacta luxatis. Illinitur & lieni decocta in aceto, & melle tantùm. Carcinomata subacta ex vino purgat, mox addito melle persanat. Sumitur & sorbitio è farina ad pectus exulceratum, longamq; tussim. Diu decoquitur donec amaritudo desinat: postea mel additur.

DE TELEPHIO.

CAPVT.

CCCIX.

Telephium pingit vulgo Gallorum Orpin dictam herbam, in qua tamen quædam desiderãtur.

NOMINA.

Τηλέφιον, ἢ ἀτιζωον ἄγριον Græcis, Telephium & Illecebra Latinis, officinis & vulgò Crassula maior appellatur. Sunt qui fabã crassam: à foliorum quã cum faba habẽt similitudine. Crassula maior. Faba crassa.

dine, nominent. Germanis VuundKraut Knabenkraut, Foizzuuang, Fotzuuein:) Gallis du Chicotrin) dicitur Telephium verò dictũ vndedictũ est, quòd vlceribus malignis & deploratis, quibus Telephus Mysiæ rex ab Achille vulneratus cõsenuit, quæ eam etiam ob rem Telephia vocantur auxilietur.

Telephiũ vndedictũ.

Telephia vlcera.

GENERA.

Dioscorides duo genera facit. Vnum floribus albis, quod nobis Telephium album nominare placuit, Germanicè VuundtKraut das weisse.

Telephiũ album.

Alterum floribus luteis, quod Norimbergæ me vidisse memini. Damus pro illo Telephium purpurascentibus floribus emicans, quod ad differentiã prioris Telephium purpurascens appellare volumus, Germanicè Vuundkraut das mennle.

Telephiũ purpurascens.

Præter flores qui in primo candidi sunt, hoc in aũt purpurascentes, foliorum etiã colore differũt, qui in candido viridis & herbaceus existit, in purpurascente autem paulò pallidior. Cætera omnia in ijs similia apparent, folia potissimum, quæ faba cea prorsus sunt, nisi quòd pinguiora, & crassiora existunt.

FORMA.

Folijs & caule Portulacæ similis herba Telephium. Alas binas in singulis foliorum geniculis inhærentes habet. Ramuli à radice seni septenue prodeunt, referti folijs cœruleis, crassis, glutinosis, carnosis, flores illi lutei: vel albi, vel purpuras. entes

scentes: radix ima, quod Dioscorides omisit, innumeris tuberibus scatet. Non est autem cur diuersum Telephium hoc nomine ab ea herba, quam herbarij hodie crassulam maiorem nominant, suspicemur, cum omnes reliquæ notæ à Dioscoride cõmemoratæ, illi adamussim conueniant. Et solenne certè est Dioscoridi vt multas notas, in his potissimum herbis quas ipse non vidit, atque adeò ex aliorum fide pingit, easq; maximè quidem necessarias omittat, & silentio transeat. Quibus etiam accedit locus natalis, & facultates Telephij quæ eædem sunt cum ijs quæ Crassulæ maiori recentes herbarij adscribunt. Sunt qui alterum acetabulij esse putent, quorum sanè sententiam non admodum absurdam esse iudico.

LOCVS.

Nascitur inter vites, locis cultis & incultis humidis.

TEMPVS.

Vere statim prosilit, Iulio autem & Augusto mensibus floret.

TEMPERAMENTVM.

Telephium exiccat ordine secundo intẽso, aut certè principio tertij, non tamen insigniter calida. verum in hoc forsan quispiam ipsum primi esse ordinis censeat.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Folia senis horis illita, albas vitiligines sanãt: sed oportet postea hordeacea farina illinire locum.

Quinetiam alphos tollunt cum aceto in sole inuncta. Sed vbi inaruerint, absterguntur.

EX GALENO.

Telephium detergendi & exiccandi facultate est præditum, proinde ad putrida vlcera conuenit & leucas & alphos cum aceto sanat.

EX PLINIO.

Illinitur lentigni, & cum inaruit teritur. Illinitur & vitiligini, ternis ferè mensibus sensim horis noctis aut diei, postea farina hordeacea illinitur. Medetur & vulneribus & fistulis.

APPENDIX.

Recentiores herbarij sua Crassula maiori in curandis vulneribus, & sistendo sanguinis profluuio vtuntur vt eandem esse cum Telephio vel hoc saltem nomine nemo dubitare debeat. Magnam autem efficaciam habere in internis potissimum vulneribus & vlceribus, mirificeq; herniosis prodesse ijdem tradunt.

DE TRINITATIS HERBA.

CAP. CCCX.

Herba Trinitatis nobis Pensee.

NOMINA.

Iouis flos
Herba trinitatis vulgaris dicta

QVO nomine priuatim planta hæc Græcis aut Latinis appellata sit medicis, ignorare me fateor. Constat tamen Violæ inodoræ genus esse, & mea quidē sententia Iouis florē. Vulgus à triplici colore floris, herbā trinita

tes nominat. Sunt qui Iaceam, & herbam clauel latam appellent. Germani Dreyfeltig keytblumen & Freyscham Kraut (Galli, Herbe de la Trinité) vocant. Iaceæ.

FORMA.

Herba hæc folio est initio rotundo, per ambitũ ferrato, processu temporis oblongiore, cauliculo triangulo, intus cauo, leuiter striato, ex interuallis geniculato, produentibus ex alarum sinu pediculis longis, in quibus summatim elucent flores figura & specie violarum purpurearũ, superiore parte purpurei, in medio candidi, inferiori verò lutei, radijs quibusdam nigris distincti. Quibus decidentibus semina protuberant.

LOCVS.

Sua sponte in aruis interdum prouenit. In hortis tamen vt plurimum plantatur, speciosiorq; nascitur.

TEMPVS.

Vere viola hæc post purpuream emicat, & tota æstate floret.

TEMPERAMENTVM.

Herba in gustu lentorem quendam, atq; modicam acrimoniam seu mordacitatem præ se fert, atque adeò à Symphuti temperamento non admodum abesse videtur, id quod etiam ex facultatibus quas illi recentiores tribuunt facilè deprehenditur. Calida itaq; & sicca est.

VIRES.

Quum acrimonia ratione incidendi vim quã-

piam habeat, ideo rectè recentiores asthmaticis, pulmonúsq; phlegmonibus prodesse tradunt: collectum siquidem in thorace & pulmone pus expurgare potest. Hac ratione puerorum etiam comitialibus morbis auxilio esse solet. Cæterùm non parùm ad pruritum & scabiem confert, omniáq; cutis vitia emendat, idq; mediocris acrimoniæ & siccitatis ratione. Vlcera etiam, quia viscositatem obtinet, glutinare potest.

DE TEVTLO.

CAP. CCCXI.

NOMINA.

Τεῦτλον, ἢ σεῦλον Græcis, Beta Latinis appellatur. Germanis Mangolt, oder Pissen (Gallis de la Portée, ou de la Iotte.)

σεῦλον vnde dictum

σεῦλον autem Græci ab impulsu nominarunt, etenim cultus ratione quadam incrementum capessit arboris, neq; vlli hortensium latitudo foliorum maior. Betæ nomen sibi adsciuit, quoniam figuram β literæ græcæ dum semine turget referre videtur. Nam summitatem in cacumine reflexam obtinet. Id quod testatum nobis reliquit Lucius Columella in suo carmine de cultu hortorum ita canens:

Beta cur dicta.

Nomine tum graio, ceu littera proxima primæ,
Pangitur in cera docti mucrone magistri,
Sic & humo pingui ferratæ cuspidis ictu
Deprimitur folio viridis pede candida Beta.

GE

GENERA.

Eius à colore omnes duo genera faciunt, candidam & nigram. Candida alio nomine Sicula, vt Theophrastus libro octauo de historia plantarum & Plinius libro decimonono, capite octauo, memoriæ prodiderunt, appellatur. Et nunc extrita litera vna ferè omnibus nostri seculi medicis Sicla nominatur. Germanicè Vuisser Mangolt Nigra ad atrum videtur tendere colorem, & à Germanis roter Mangolt vocatur.

Candida. Beta.

Nigra Beta. Sicla.

FORMA.

Caulem habet striatum, bicubitalem, folium ferè Atriplicis, flores exiguos luteos. Semen in caulibus copiosum: radicem vnicam in longum protensam, è cuius lateribus aliæ, modò singulæ, modò binæ, nonnunquam ternæ funduntur, fibris multis refertæ.

LOCVS.

In hortis passim, & cultis locis nascuntur Betæ.

TEMPVS.

Iulio & Augusto mensibus floribus & semine turgent.

TEMPERAMENTVM.

Nitrosa qualitate particeps est. Nigra tamen adstrictionis quippiam adiunctum habet, & magis in radice quam in alijs partibus. Simeon Sethi calidam & siccam esse in tertio ordine asserit.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Nigra Beta cum lente cocta aluum efficacius cohibet, multóque magis radix. Candida aluo vtilis est. Vtraque verò propter nitrosam vim quam habet mali succi est. Vnde succus earum cum melle naribus inditus caput purgat. Aurium etiam doloribus auxiliatur. Decoctum radicum & foliorum furfures & lendes deterget. Perniones fotu mitigat. Crudis foliis alphos nitro prius perfrictos, alopecias prurientes, atque depascentia vlcera illini prodest. Cocta exanthematis, erysipelatis, & ambustis medetur.

EX GALENO.

Beta nitrosæ facultatis est particeps, quatum extergit, tum digerit, & per nares purgat. Cæterùm cocta nitrositatem omnem exuit, frigiq; facultatis phlegmonis aduersæ, leuiter discutientis. Porrò ad detergendum digerendumq; validior est Beta alba. Nam nigra adiunctum habet quippiam adstrictionis, & magis in radice quàm aliis partibus. Betæ itaque absterforius inesse succus conspicitur, adeò vt aluum ad excretionem extimulet, & nonnunquam stomachum demordeat, præsertim iis quibus ille sensilior obtigit: eoq; largius commansa, stomachum infestat. Huius ceu aliorum olerum, exigua est alimonia. Iecoris obstructionibus, quàm Malua, aptius accommodatur, magis autem vbi cum Sinapi estur, aut aceto. Lienosos item similiter manducata, mirificè iuuat.

EX

EX PLINIO.

Nec Beta sine remedio est vtraque. Siue candidæ, siue nigræ radices recens & madefacta, suspensa funiculo, contra serpentium morsus efficax esse dicitur. Candida Beta cocta, & cum Allio crudo sumpta, contra tineas. Nigræ radices ita in aqua coctæ, pruriginem tollunt, atq; in totum efficacior esse traditur nigra. Succus eius capitis dolores veteres & vertigines, item sonitum aurium sedat, infusus vjs. Ciet vrinam. Medetur dysentericis iniecta, & morbo regio. Dolores quoque dentium sedat illitus succus. Et contra serpentium ictus valet, sed huius radici duntaxat expressus. Ipsa verò decocta, pernionibus occurrit. Albæ succus epiphoras sedat, fronte illita. Aluminis pauco admixto, ignem sacrũ, Sine oleo trita licet, adustis medetur Et contra eruptiones papularum cocta. Eadem contra vlcera quæ serpunt. Illinitur & alopecijs cruda. Et vlceribus quæ in capite manant. Succus eius cum melle naribus inditus, caput purgat. Coquitur & cum lenticula addito aceto, vt ventrem molliat. Validius cocta, fluctuationes stomachi sistit & ventris.

EX SIMEONE SETHI.

Eius succus mediocriter abstergit. Hic etiam ventrem ad effluxum proritat, & stomachũ aliquando vellicat, eorum præsertim qui hunc valde sensilem obtinẽt. Quapropter eduliũ est stomacho

infe

infestum, si plurimum comedatur. Exiguum est eius alimentum, sicut cæterorum olerum. Vtilis verò est ad iecoris obstructiones cum aceto comesta. Pari modo si edatur, & lienis obstructionibus bonum sit medicamentum. Constat autem Beta ex contrarijs facultatibus. Succus enim eius calidus est, ventrem constringit, & sitim affert. Eius verò corpus crassarum partium flatuosum, concoctu difficile & frigidum. ventremq; sistit, maximè si qua in aqua coctum est. subinde abijciatur.

DE TINCTORIO FLORE.

CAP. CCCXII.

NOMINA.

AN herba hæc veteribus cognita fuerit nondum compertum habemus: quapropter ad Germanicam alludentes appellationem, Tinctorium florem interim dum certius nomē nacti fuerimus, nominabimus, Germani Gilb oder, Streich oder, Ferbblumen, quòd florum illius in tingendis libris & alijs quibusdam vsus sit, nuncupant. Sunt qui Ackerpfrimmen, vocant.

FORMA.

Genistæ non admodum dissimilis est hæc herba ramos, enim herbaceos, vt illa habet, ac scabros: folia tamen paulò longiora & latiora, ad Hyssopi ferè formam accedentia, florem luteum, Piso similem, semen in siliquis Lenticulæ haud absimile, radicem planè ligneam.

LO

LOCVS.

Prouenit locis altis, incultis & aridis, atq; pratis nonnullis.

TEMPVS.

Floret Iunio & Iulio mensibus, atq; deinceps semina profert.

TEMPERAMENTVM.

Amara est haud aliter quàm Genista, vt cale facere illam & siccare in altero ordine sit euidentissimum.

VIRES.

Vt forma & temperamento Genistæ similis est, etiam facultatibus haud dubiè eidem respondet. Has igitur suo loco reperies.

DE TORDYLO.

CAP. CCCXIII.

NOMINA.

Τορδύλον, ἢ τορδύλιον, ἢ σεσελικρητικὸν Græcis: Tordylon & Tordylion, & Seseli Creticũ Latinis, Paulus Gordylion appellat. Germanis Beeruurtz (Gallis du Seseli) dicitur, vt suprà in capite de Dauco quoq; diximus. Nã cùm Dauci semen hirsutum sit, vtcunq; cætera respondeant, hoc verò minimè, non est cur Daucum esse credamus. Seseli Creticum.

FORMA.

Fruticosa est herbula, semen habens rotundũ, geminatum, clypeo simile, subacre & odoratum.

Quæ

Quæ sanè omnes notæ huic herbæ, quæ à Germanis Beeruurtz *dicitur, respondent, vt eius pictura, quam in capite de Dauco reperies, abundè docet. Hanc autem propterea radicum similitudinem inter Daucorum effigies habere locum voluimus.*

LOCVS.

Nascitur in Amano Ciliciæ monte. In multis etiam Germaniæ nostræ locis copiosissimè prouenit.

TEMPVS.

Iulio mense floret, ac subinde semen profert.

TEMPERAMENTVM.

Calfacit & exiccat, vt ex facultatibus eius abundè colligere licet.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Potum eius semen contra vrinæ difficultatem, & ducendis mensibus prodest. Succus verò caulis seminisq; adhuc virentis trium obolorum pondere haustus decem diebus in passo, nephriticos sanat. Efficax etiam radix cum melle siquidem linctæ, quæ in thorace sunt educit.

EX PAVLO.

Cordylon alij Seseli appellant, vrinæ & mensibus ducendis habile. Radix ipsius ex melle linctæ, quæ in thorace hærent, educit.

EX PLINIO.

Combusta potu ciet menses, & pectoris excreationes, efficaciore etiam num radice. Succus

tet

ternis obolis haustus renes sanat. Additur radix eius & in malagmata.

DE TITHYMALIS.

CAP. CCCXIIII.

Tithymalorum genera passim luxuriant, Reueille matin Gallis dicuntur, opinor quod vrente acrimonia insomnia pariant.

NOMINA.

Τιθυμάλος, ἡ τιθυμάλη Græcis, Lactaria herba, & Lactuca caprina aut marina Latinis, barbaris & officinis Esula Germanis Vuolffsmilch (Gallis du Tithimale, ou herbæ à lait) dicitur. Lactariam autem herbam communi appellatione, ob commune omnibus lac, vniuersum hoc genus vocauerunt. Lactucam verò ob eandem causam, quia scilicet ex hac herba haud secus atque ex Lactuca secta lac fluit. Caprinam, quòd caprę Tithymalis vescantur. *Lactaria herba cur nominata. Lactuca caprina. quare vocata.*

GENERA.

Septẽ sunt Dioscoride & alijs veteribus testibus, Tithymalorũ genera. Primus Characias, id est, vallaris dicitur, quòd vallis septisq; muniendis idoneus sit. Secundus Myrsinites à Myrti foliorũ figura: aut à nucibus, quibus similem fert fructũ, Caryites nominatur. Hunc fructũ sunt qui Nucẽ vomicã, Germanis Kronaglin vocatã, esse putẽt. Tertius Paralius, id est, marinus, quòd in maritimis *Characias. Myrsinites. Paralius.*

timis nascatur, appellatur. Quartus Helioscopius, hoc est, solisequus, quia eius coma ad solis cursum circũagitur, nominatur: Germanicè Sonnen vuendede Vuolffsmilch vocari potest. Alijs nominatur grosz Vuolffsmilch. Quintus Cyparissias à Cupressi similitudine nuncupatur. Germanicè cypressene Vuolffsmilch nominari potest. Sextus Dendroides, à ramorũ copia dicitur. Septimus Platyphyllos, id est, latifolius, à latitudine foliorũ nominatur Germanicè Breybletterte Vuolffsmilch, Alij grosz Teuffelfzmilch vocant. Nos ex ijs generibus tria tantùm depicta damus, quòd reliqua videre nondum nobis licuerit. Proferent fortè alij longè plura.

Helioscopius.

Cyparissias.

Dendroides.

Platyphyllos.

FORMA.

Nos ea tantùm genera quorum picturas exhibemus, omissis alijs, describemus. Helioscopius itaque Portulacæ similia folia obtinet, tenuiora tamen atq; rotundiora. Ramos autem à radice prodeũtes quatuor aut quinq; mittit, dodrantales, tenues & rubentes, copioso lactis liquore plenos. Caput huic est Anetho simile, & semen velut in capitulis inclusum. Circumagitur huius coma cum sole, vnde & Helioscopij nomen accepit. Cyparissias caulem emittit dodrantalem, aut maiorem, subrubrum, ex quo germinant folia primi similitudine, tenuiora tamen ac tenuiora. Etin universum pino nuper natæ similis est, vnde & nomen traxit. Abundat hæc etiam succo candido.

Helioscopius.

Cyparissias.

Platy

Platyphyllos Verbasco similis est, longioraq; reliquis folia habet. Platyphyllos.

LOCVS.

Helioscopius in ruderibus potissimùm, & circa oppida nascitur. Cyparissias in campestribus frequẽtissimus occurrit. Platyphyllos verò in syluis.

TEMPVS.

Semen Tithymalorum autumno legitur, succus verò incipiente pomorum lanugine.

TEMPERAMENTVM.

Vincentem habent acrem calidamq; facultatem, inest verò & amaritas. Ex quarto itaq; calefacientium sunt ordine, & valenter desiccãt.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Vim habet Characiæ liquor lacteus aluum per inferna purgandi, pituitam & bilem ducẽs, duorum obolorum põdere ex posca sumptus. Cum melicrato autem vomitum cit. Appetente vindemia lacteus colligitur liquor. Depilat liquor hic recens ex oleo in sole inunctus, renascentesq; flauos & exiles efficit, tandemq; omnes destruit. Cauernis dentium indutur, leuatq; dolores: sed cera dentes oblinendi, ne effluens fauces aut linguam vitiet. Idem inunctus myrmecias, acrochordonas, thymos & impetigines tollit. Valet etiã aduersus pterygia, carbunculos, phagedænas, gãgiænas fistulasq;. Semẽ & foba eadẽ lacteo succo præstãt. Semis dimidij acetabuli pondere pota. Radix drachmæ pondere cum hydromelite insperſa & pota per

inferna purgat, Decocta cum aceto, colluto ore, dentium dolori auxiliatur. Helioscopius eandem priori vim habet, non tamen vsqueadeò intentã. Nec diuersam facultatem obtinent Cyparissias & Platyphyllos.

EX GALENO.

Validissimus Tithymalorum liquor est. Secũdum locum tenet semen & folia. Sed & radix earundem facultatum particeps est, sed non exæquo. Sanè ipsa cum aceto decocta dolores dentiũ sanat, maximè qui illis erosis proueniunt. Ad liquores vt qui valentiorem vim habeãt, in foramina quidam ipsa dentium induntur. Cæterùm si aliam corporis partem cõtigerint, cõtinuò aduruntur, vlcerantq; : quapropter foris illis cera circũlinitur. Sic pilos quoq; succus inunctus tollit. Porrò quum vehementior sit, oleo miscetur: & si id sæpe fiat, tandem prorsus radices pilorũ adustæ corrumpentur, corpusq; depile reddetur. Eadẽ facultate myrmecias, acrochordonas, pterygia & thymos auferunt, detergẽtq; lichenas & psoras, quia scilicet abstergẽdi illis facultas inest, propter amaritudinem. Præterea vlcerum phagedænica, anthracode & gangræn ode, quia valenter calefaciunt & abstergunt, si in tempore & moderatè quis vtatur, iuuare poterunt. Verumenimuero & fistularum callos, eadem facultate adimũt. Porrò hæc omnia genere quidem similiter, imbecillius

lius tamen & folia & fructus præstare possunt. Quibus sanè & ad pisces in aqua stagnali capiẽdos vti assolent. Celerrimè nanque ab illis in vertiginem acti, ac semimortui redditi, ad aquæ superficiem feruntur. Cæterùm quum septem sint eorum genera, valentißimus est quem Characiã nominant, & Myrsinites, & qui in petris nascitur ad modum arboris: deinceps qui Verbasco adsimilis est, & Cyparißias: pòst Paralius, denique Helioscopius. Proportione verò comprehensæ illorum facultatis & cinis & lixiuium erit.

EX PLINIO.

Tradunt toties purgari hydropicos fico sumpta, quot guttas lactis Characiæ exceperit. Est & semen in vsu cum melle decoctum ad catapotia soluendæ alui gratia. Semen & dentium caruis cera includitur. Colluuntur & dentes succo radicis decoctæ in vino aut oleo. Illinunt & lichenas succo, bibuntq; eum vt purgent vomitiones, & aluo soluta, alias stomacho inutilem. Trahit pituitam sale adiecto in potu, bilem aphronitro. Si per aluũ purgari libeat, in posca: si vomitione, in passo aut aqua mulsa. Media potio tribus obolis constat. Ficos à cibo sumpsisse melius est. Fauces vrit leniter. Est enim tam feruentis naturæ, vt per se extrà corpori impositum, pustulas ignium modo faciat, & procaustico in vsu sit. Helioscopius trahit bilem per inferna in oximelite

dimidio acetabulo. Cæteri vsus qui Characiæ Cyparissiæ. eadem vis quæ Helioscopio aut Characiæ. Platyphyllos pisces necat, aluum soluit, radice vel foliis, vel succo in mulso, aut aqua mulsa drachmis quatuor. Detrahit priuatim aquas.

DE TRIPHYLLO.

CAP. CCCXV.

NOMINA.

Τριφυλλον Græcis, Trifolium odoratum Latinis, officinis simpliciter Trifolium dicitur. Germanis Sibengezeit, propterea quòd singulis diebus septies odorem suum habeat, & toties etiam amittat, quandiu in horto creuerit. Decerptum enim & exciccatum, odorem suum perpetuò retinet. Qui certè pluuiosa temporis cõstitutione ac tempestate instante multò vehementior est, sic sanè vt totas ædes, in quibus hæc herba reposita est, odore suo compleat. Potest etiam appellari commodissimè Vuolriechender Klee.

Trifolium odoratum cur dictũ.

FORMA.

Frutex est cubito altior, virgas habens tenues, nigris, iunceisq; adnascentijs multis praeditas, in quibus folia Loto arbori similia sunt, terna in singulis germinationibus. His recens enatis odor Rutæ ineſt, auctis verò iam, bitumen. Florem emittit purpureum, semen modicè latum & subhirsutum, ex altero extremo apicem obtinens. Radix illi tenuis, longa, valida. Ex qua quidem delineatione satis constat herbam, cuius

cuius picturam damus, esse Trifolium odoratum: siquidem cubito altior est, caules tenues obtinens, vnde ramusculi multi nigricantes quodãmodo, ac iuncei oriuntur, qui singuli terna folia producũt odorata. Flores etiã habet in purpureo cœruleos. Semen quoque Milio haud dissimile in folliculis modicè latis, pilosis, & in summitate aculeũ habentibus, profert. Radicem denique longã, candidam ac validem habet, vt prorsus nihil sit quod descriptioni non respondeat.

LOCVS.

Sponte sua in Germania non prouenit. Satum verò nulla difficultate prodit.

TEMPVS.

Iulio mense floret, ac subinde semen producit.

TEMPERAMENTVM.

Calidum est & siccum in tertio ordine.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Semen & folia in aqua pota lateris dolore laborantibus, difficultati vrinæ, comitialibus incipienti aquæ inter cutẽ, vuluæq; strangulationibus auxiliantur. Menses etiam ducunt. Oportet autẽ seminis tres, foliorũ verò quatuor drachmas dare. Succurrunt & venenatorum morsibus folia trita cum oxymelite & pota. Referunt quidam, si totius fructicis radicis & foliorum decoctio foueantur facti ex serpentium morsibus dolores, eos mitigari. Si verò alius vlcus habens eodem

illo decocto quo quispiam sanatus fuerit foueatur, eadem sentit quæ morsi à serpentibus. Dant quidam etiam in tertianis bibenda folia eius tria, aut totidem semina cum vino. in quartanis autẽ quatuor, veluti quæ circuitus soluere possunt. Miscetur verò eius radix & antidotis.

EX GALENO.

Triphyllum potum laterum dolores ab obstructione natos iuuat, vrinam & menses prouocat.

EX PLINIO.

Trifolium scio credi prævalere contra serpentium ictus & scorpionũ, ex vino aut posca, seminis granis viginti potis, vel foliis, & tota herba decocta, serpentesq; nũquam in Trifolio assideri. Præterea celebratis autoribus cõtra omnia venena pro antidoto sufficere viginti quinque grana eius.

APPENDIX.

Debet eius Trifolij odorati vsus esse subinde in omnibus officinis, quòd mirificè venenis aduersetur & ad vlcera malefica sananda perquàm vtile sit.

APENDIX ALTERA.

Non latet hanc herbam propè accedere ad descriptionem Loti syluestris. Caulem nanque fert bicubitalem, & aliquando maiorem, numerosis alarum quauis. Folia Trifolio quod in pratis nascitur similia: semen Fœnogræco ita respondens, ve

vt nisi minus esset, vix ab inuicem discernerentur. Sapore item medicato. Tamen non minus accedit etiam ad Trifolij acuti picturam. Frutex enim verius esse quàm herba videtur, cubito maior, virgas habens tenues, nigras, iuncosa adnata obtinentes, in quibus sunt folia Loti in singulis pediculis tria, in ambitu cuspidibus serrata, vt hinc commodissimè dici mereatur ξυόφυλλον. Hæc etiam odorata sunt vehementer, vt nonnullis caput offendant: & ad bituminis certè odorem proximè accedunt, sed non parum tamen suauior & iucundior est. Florem præterea ex se mittit purpureum, hoc est, ad purpuræ colorem nonnihil accedentem: ex albo enim purpureus, aut subcœruleus est. Semen etiam modicè latum, & subhirsutum, ex altero fine veluti cornu obtinens. Quod ego non de ipso quidem nudo semine, sed de eius potius folliculo, quod in cacumine planè aculeatum ac veluti cornutum existit, intelligendum puto. Radix denique illi longa, gracilis & tenax existit, nihilq; est in tota descriptione quod ei aptissimè non quadret. Accedit præterea amaritudo quæ in semine non est obscura, pulchrè sibi etiam Trifolij odorati facultates vendicans: mouent enim quæ amara sunt vrinam, menses ducunt, comitialibus prosunt, aliáque quæ Dioscorides Trifolio huic adscribit efficere possunt. Quare ijs rationibus motus, à concepta

sententia discedere nondũ queo, nisi contingat nobis aliam intueri stirpem, cuius semina, atq; adeò grana ipsa hirsuta, & cornuta existãt. Quãquã nõ lateat parum admodũ referre vtram sententiã, nostram aut aliorum amplectaris, cum Lotus & Trifolium facultatibus non multum aut ferè nihil distent. In hoc tamen semine, quod nos Trifolij odorati esse contendimus, nulla inesse apparet adstrictio, quam tamen in Loti semine Dioscorides requirit. Quod pro confirmanda nostra sententia adijcere voluimus.

DE TRIFOLIO PRATENSI.

CAP. CCCXVI.

NOMINA.

Τρίφυλλον ἐν χορτοκοπίοις γινώμενον Græcis, Trifolium pratense Latinis dicitur. Officinæ latinum nomen retinuerũt, & simpliciter Trifolium vocant. Vtẽdum verò illis esse odorato Trifolio, quemadmodum altero ab hinc capite diximus. Germanis Vuysen Klee (Gallis Trefle) nominatur.

GENERA.

Tria genera pratensis Trifolij Purpureũ Candidũ. Luteum.

Tria apud nos passim in pratis prouenientia Trifolij inueniuntur fastigia, quorum primum à floribus purpureis, Trifolium Pratense purpureũ, Germanicè Braun Vuysen Klee, alterum itidem à floribus suis candidis, Trifolium pratense candidum, Germanicè Vueisz Vuysen Klee & tertium luteum, Germanicè Geel Vuysen-

Klee

Klee appellauimus. Quod ad folia ipsa attinet, non admodum differunt: quoduis enim horũ generum tribus constat foliis, quæ in primo sunt latiora & herbacea, in secundo autem longiora & angustiora, magisq; pallescentia candicantiáue. In tertio sunt minora & rotunda, atque ad Fœnigræci folia accedentia. Sunt qui hoc genus Lagopum esse putent. Sed de Lagopo suo diximus loco.

FORMA.

Caulem rotundum, cubitalem obtinẽt, ramos exiles, folia per interualla tria: flores in summo aut purpureos, aut candidos, aut luteos: radicem longam & lignosam.

LOCVS.

Scatent ijs prata omnia, vnde etiam nomen nacta.

TEMPVS.

Florent Maio & Iunio mensibus.

TEMPERAMENTVM.

Adstrictoriæ cuiusdam qualitatis sensum in gustu præ se ferunt, non tamen multum admodũ, vt nihilominus sint tenuium partium & exiccatoria, quãdoquidem etiam exigua quasi acrimonia prædita videantur.

VIRES.

Haud dubiè mediocriter concoquẽdi & exiccandi vim possident, vt non temerè quidam ex recentioribus herbarijs tradant. Trifolia hæc

albo muliebri profluuium murificè conferre. Eadē etiam inflammationibus imposita, eas cōcoquūt, & ad maturationem perducunt.

DE TRAGOPOGONE.

CAP. CCCXVII.

NOMINA.

Hirci barba. Τραγόπωγων, ἢ κομὴ Græcis nominatur, Latinis Hirci barba, & Coma: officinis ignota est herba. Germanis Bocksbart & Gauchbrot (Gallis Barbe de Bouc) dicitur. Hieronymus herbarius Braunschunigensis magno errore hypocisthida in hac herba nasci putauit. Sic autem eam Græci vocarunt, quòd à calyce eius promissæ pendeant barbæ, vel rectius quod lutei illius flores in volucres barbulas euanescant.

Tragopogou cur dicta.

FORMA.

Caulem habet exiguum, longum tamen, & bicubitalem interdum, geniculatum, folia Croco similia, radicem longam & dulcem, supra caulē calycem magnum, & in eius summo semē nigrū, florem luteū, qui incanescentes barbulas fauisit. Hæc etiam cùm carpitur lacte manat.

LOCVS.

Sua sponte in pratis nascitur.

TEMPVS.

Maio & Iunio mensibus floret.

TEMPERAMENTVM.

Dulcedo quæ in radice ac tota ferè planta apparet,

paret, satis monstrat eam esse caliditate tepida præditam, & modicè humidam.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Herba & cruda & cocta edendo est.

APPENDIX.

Ex recẽtiorum traditione, & temperamenti ratione, æstuanti stomacho vtilis est herba, thoracis & iecoris vitijs, renum item & vesicæ malis. Succus eiusdem mirificè laterum doloribus auxiliatur.

DE TYPHA.

CAP. CCCXVIII.

Typha in stagnis frequens. Marteau quibusdam dicitur quòd flos dura dẽsitate lõgus, mallei formam & ponduę imitetur.

Cætera omisimus, quòd vel essent medicis nota vel nomen vulgo & officinis non haberẽt, aut saltem non aliud quàm quod à Fuschio diligẽtissimè scribitur, Cuius doctis & magnis laboribus gratia imprimis est habenda, quos in plantis non solum describendis, sed etiam affabrè pingendis, in studiosorum gratiam insumpsit: Longè interim valere iussis, qui omnia calumniari, nihil vtile meditari solent.

NOMINA.

Τυφη Græcis, Typha Latinis, officinis inusitata. Germanus Mosz, oder Narrenkolb (Gallus Plante semblable aux masses de Beaux) dicitur. A nonnullis Knospen vnd Lieszen.

FOR

FORMA.

Folium profert Cyperidi simile, caulem lævē, enodem, cuius in summo capite flos obducitur dēsus, euadens in pappum seu lanuginem. Quæ descriptio huic plantæ sic quadrat, vt nulla sit nota quæ reclamet. Folio siquidem Cyperidis erumpit, caule alto, læui, plano, enodi, cuius cacumen densa florum congerie stipatur, & veluti spissa cingitur lanugine, quæ in pappos tandem euanescit.

LOCVS.

Gignitur in palustribus & stagnantibus aquis.

TEMPVS.

Iulio mense caulis lanosa floccorum densitate obducitur. Augusto autē in pappos abit, & euanescit.

TEMPERAMENTVM.

Quantum ex viribus eiusdem colligi potest, nō euidēter, potissimùm eius flos, calefacit & refrigerat, modiceq; abstergit, atq; adeò exiccat. Quum enim ambustis medeatur, & ambusta, Paulo libro quarto, capite xj. teste, medicamenta quæ mediocriter citra insignem caliditatē aut frigiditatem abstergunt, requirant, sequitur hoc quale diximus temperamentum obtinere.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Flos eius cū suillo adipe vetusto eloto exceptus ambustis medetur.

DE

DE TVRCICO FRVMENTO.

CAP. CCCXIX.

NOMINA.

HOC frumentum, vt alia multa: ex eorum est genere quæ aliundè ad nos translata sunt. E Græcia autem & Asia in Germaniã venit vnde Turcicum frumentum appellatum est: Asiam enim vniuersam hodie immanissimus Turca occupat. Germani etiam ad loca vnde affertur res piciẽtes, Turckisch Korn, (Gallis Ble de Turquie) nominant.

Turcicum frumentum. Turcicum cur dictũ.

GENERA.

Quatuor huius frumẽti reperiuntur genera. Quoddam enim grana rufa, quoddam verò purpurea, aliquod lutea, aliquod subcandida grana profert. Spicarum seu paniculorum etiam in ijs est diuersitas, etsi enim omnes muticæ sint, tamen alia candidos, alia luteos, alia purpureos, prout scilicet grana colorata erunt, flores obtinet. Aliàs, quòd ad formam attinet, in ijs nulla est differentia.

FORMA.

Culmum habet crassum, rotundum: altũ longúmue, infima eius parte purpureum, geniculis intersectum, folia oblonga & harundinacea, in summitate paniculas, aut spicam muticam, & granis vacuam, instar Secalis florentem, nunc luteo, nunc candido, nunc purpureo colore, prout fructus eius quem profert coloratus est. Fructum verò gra-

gra

grana triangula: diuersis iam commemoratis coloribus tincta, & in foliaceis, rotundis ac crassis membranis ac vaginis, quæ è lateribus geniculorū ferè singulorū prodeūt, cōtēta obtinēt, coacernata ac peritissime iuncta, inq; octo aut decē versus ordine digesta. E fastigio vaginarū capilli tenues, iam cādido iam luteo, nūc purpureo colore maculati dependēt, vt pictura satis ostēdit, q̄ vnica quidē tibi ofa genera repræsentabit. Hæc in vna vagina quatuor tibi granorum colores monstrat, cum tamen quæuis vnius duntaxat coloris grana, nempe aut lutea, aut purpurea, aut rufa, aut subcandida omnia habeat. Quod nos, ne aliquem pictura deciperet, monendum esse duximus.

LOCVS.

E Græcia vel Asia, vt dictum est, primùm ad nos peruenit. Nunc autem passim in omnibus hortis prouenit.

TEMPVS.

Seritur mense Aprili, nec nisi sub finem Augusti & initia Septembris ad maturitatem peruenit.

TEMPERAMENTVM.

Dulcedinem & lentorem quendā grana gustu præ se ferunt, vt haud dubiè idem cum Tritico habeat temperamentum.

VIRES.

Cùm idem cum Tritico habere videatur temperamentum, easdem etiam obtineat facultates

necesse

necesse est. Grana itaque teruntur in candidissimã farinam, quæ in panificia subinde cogitur. Panis tamen ille lentoris quiddam & obstruentis naturæ habet. Hinc est quòd in Asia & Turcia illius nullum in cibo vsum esse, nisi cum annonæ premit inopia, dicunt. Cæterum foliorum succum refrigerandi facultatem obtinere tradunt, hinc ad erysipelata vtilem admodum esse coniiciunt.

DE THYMO.

CAP. CCCXX.

NOMINA.

Serpytiũ Romanũ.

ΘΥμῶ Græcis, Thymus Latinis, herbarijs vulgaribus Serpyllum Romanum, haud dubiè ab odore quem cum Serpillo communem habet, dicitur. Officinæ antiquum nomen retinuerũt. Germanis Thym, & Romischer quendel (Gallis du Thin, ou Thim) vocatur. Thymus autẽ Græcis ab excitando, quod θύω dicunt, nomen inuenit. Nonnullis potius hoc placet etymum, vt Thymos quasi thyæmos, hoc est, sanguinem impellens dicatur.

Thymus vnde dictus.

FORMA.

Thymus surculosus frutex est, minutis mulcis & angustis foliis circundatus, in summo capitula floribus purpureis referta habens. Ex qua sanè delineatione omnibus conspicuum fit, herbã cuius picturam damus esse Thymum. Dodrãtalis enim & surculosus frutex est, foliis exiguis, flosculis ex purpura candicantibus, suauissimi odoris, capitella

capitella specie complicatarum formicarum, radice lignosa, enascentias virides multas obtinente, quibus in terra radicatur.

LOCVS.

Nascitur petrosis & tenuibus locis, neque enim locum pinguem neque stercoratum, sed apricum desiderat. Nunc in hortis multis Germaniæ provenit.

TEMPVS.

Floret serò, quod Theophrastus etiam libro sexto de Historia plantarum, capite secundo testatur, circa Solstitia, cum & apes decerpunt, & augurium mellis est.

TEMPERAMENTVM.

Thymus vehementer calefacit. Itaque in calefaciendo & exuccando in tertio ordine statuendus est.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Potus cum sale & aceto, pituitam per alvum ducit. Decoctum eius cum melle orthopnoicis & asthmaticis prodest. Lumbricos ventris, menses, fœtus & secundas pellit. Vrinam ciet. Mixtus melle in elegmate, excreabilia efficit thoracis vitia. Recentia œdemata cum aceto illitus dissolvit. Sanguinis grumos dissoluit. Thymos & verrucas pensiles tollit. Ischiadicis cum vino & polenta impositus auxiliatur. Hebetibus oculis in cibo sumptus opitulatur. Vtilis etiam pro condimento in sanitatis vsu.

EX

EX GALENO.

Thymus incidit, & calefacit manifestè, ob id & vrinam & menses prouocat, fœtum euellit, et viscera potus expurgat, educendis ex thorace & pulmone confert.

EX AETIO.

Hæc experimentis de Thymo comperta sunt. Dato ieiunis articulari morbo laborantibus, Thymi aridi minutissimi drachmas quatuor cũ oxymelitis cyatho. Bilem enim reliquosq; , humores atque acrem saniem euacuat. Facit & ad vesicæ mala, Vētre inflatis, vbi in tumescere cœperint, drachmam vnam dato ieiuno cum cochleari aquæ mulsæ. Ad lumborum coxendicumq; dolorem, laterisq; & thoracis: ac hypochondriorum suspēsiones, ac inflationes, pondere trium drachmarum cum oxymelite temperato, mensura cochleari ieiuno exhibeto. Similiter etiam & melancholicis, & mente turbatis, timoreq; detentis drachmas tres cum oxymelitis temperati cochleari præbeto. Dato item ieiunis & ante cœnam aduersus lippitudinem, & vehementem oculorum dolorem. Præterea contra podagram, etiam quæ motum omnino interceperit, cum vino vtilissimè propinatur. Postremò ad tumefactos testes, ieiunis triũ drachmarum pondere exhibeatur.

EX PLINIO.

Oculorum claritati multùm conferre existimatur, & in cibo, & in medicamentis. Item diutinæ

tussi, ecligmate faciles excreationes facere cũ aceto & sale. Sanguinem concrescere non patitur è melle, Longas faucium destillationes extrà illitacum Sinapi extenuat, item stomachi & ventris vitia. Modicè tamen vtendum est, quoniam excalfacit, quamuis sistat alvum, quæ si exulcerata sit, denarij pondus in sextarium aceti & mellis addi oportet. Item si lateralis dolor sit, aut inter scapulas, aut in thorace. Præcordijs medentur ex aceto cum melle, quæ potio datur & in alienatione mentis et melancholicis. Datur & comitialibus, quos correptos olfactus excitat Thymi. Aiunt & dormire eos oportere in molli Thymo. Prodest & orthopnoicis & anhelationi, mulierumq; mensibus retardatis. Vel, si emortui sint in vtero partus, decoctũ in aqua ad tertias. Viris verò contra inflationes, cũ melle & aceto. Et si venter turgeat, testésue aut vesicæ dolor exigat. E vino tumores & impetus tollit impositum. Item cum aceto, callum & verrucas. Coxendicibus imponitur cum vino. Articularibus morbis trium obolorum pondere in tribus cyathis aceti & mellis. Et in fastidio, tritum cum sale.

DE TEVCRIO.

CAP. CCCXXI.

NOMINA.

TEύκριον, ἢ χαμαίδρυς Græcis: Teucrion Latinis appellatur. Officinis ignotum. Germanis grosz Bathengel dicitur. Teucrium aũt

voca

vocatum est Græcis pariter & Latinis, quòd Teucer Atacis frater hoc inuenerit. Inuentū verò ab eo sic tradit Plinius. Quum exta in sacrificio super id proiecta fuissent, lieni adhæsit, eumq; exinaniuit. Proinde quod casus ostenderat, obseruatumq; à Teucro fuit, ad æternum humani beneficij decus & famam illi accreuit. Diuersum tamē hoc Teucrium ab Hemionitide, quod à Plinio etiā Teucrium appellari diximus. Chamedrys autem nominata est hæc herba, quòd Chamædry similima sit, adeò vt vicissim etiam Chamædrys hoc nomine, vt suo dicemus loco, dicta sit Teucrium. Maius tamen est Teucriū, quàm sit Chamædrys, vt meritò Germanis groſz Batlengel nuncupari queat.

Teutrium vndedictū.

Teucrium hoc diuersū ab Hemionitide quod multi nō obseruant.

FORMA.

Herba est virgæ referēs effigiem, Chamædry similis, tenui folio, nō multū Ciceri dissimile. Hæc quāquam breuissima sit Teucrij delineatio, tamē abundè monstrat herbā hanc: cuius picturam exhibemus, esse verum Teucriū, cùm nihil Chamædry magis simile dici queat, si diligenter vtriusq; plantæ notas expendas.

LOCVS.

Nusquā, quòd sciam, sponte sua in Germaniæ prouenit. Satum tamen copiosè nascitur. In Cilicia plurimum habetur.

TEMPVS.

Floret Iunio & Iulio mensibus, ac subinde

semen producit.

TEMPERAMENTVM.

In secundo excalfacientium, tertio autẽ exiccantium existit ordine.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Viride cũ posca potum, aut aridum decoctum ac haustum lienem, potenter minuit. Lienosis cũ ficis & aceto illinitur. Venenatorum autem morsibus cum aceto sine ficis.

EX GALENO.

Teucrium incidendi, & tenuium partium facultatis est, quare lienes sanat.

EX PLINIO.

Recens Teucria in posca, vel sicca defrutescta, potu lienẽ efficaciter consumit. Item ex aqua illinitur. Pota arida & decocta quantũ manus capiat in aceti heminis tribus lieni medetur. Ad vulnus illinitur eadem cum aceto, aut si tolerari non possit, ex fico vel aqua Serpentium plagis imponitur cum aceto tantùm.

DE HYPERICO.

CAP. CCCXXII.

NOMINA.

Ὑπερικόν, ἀνδρόσαιμον, χαμαιπίτυς Græcis, *Hypericum Latinis dicitur. Nomen latinum in officinis seruat. Vulgus herbariorum Perforatam vocat, quòd folia soli obiecta innumeris foraminibus scatere, & omni ex parte punctis quibusdam pertundi videantur. Herbam quoque diui*

Perforata,

Ioan

Iohannis appellant. Germanis S. Ioans Kraut (Gallis Mille pertuis) nominatur. Androsæmō ob florem eius qui digitis confricatus sanguineū emittit liquorem, dixerunt. Chamæpitys verò ab odore seminis resinaceo nominata est. Fugam dæmonum aliqui, quòd superstitione quadam inducti, fugare posse dæmones crediderint, appellauerunt.

Androsæmon.

Chamæpitis.

Fuga dæmonum.

FORMA.

Folia Rutæ similia habet: surculosus frutex, dodrantalis, rubescens. Florem luteum, qui digitis attritus sanguineum emittit succum, qua ratione Androsæmon, quasi humanum dixeris sanguinē, appellatur. Siliquas gerit hirsutas, in rotunditate oblongas, hordei magnitudine, in quibus semen nigrum, resinam olens. Cuius nimirum descriptionis notæ ita herbæ illi, quam Perforatam vocant nostri temporis herbarij, respondent, vt nemo nisi prorsus præfracto sit animo, Hypericū esse deinceps reclamare possit. Siquidem surculosa est herba, dodrantalis, subrubens, folio Rutæ: flore luteo, quem si digitis libeat terere, manus profectò inuenies sanguineo succo cruentatas. Siliqua deniq; terete, hordei magnitudine, semine intus nigro, resinam olente. Duo itaque in Perforata inueniuntur, quæ esse Hypericum certam tibi faciunt fidē, cruentus nempe floris tritu succus: ordorq; seminis resinaceus. qui diuersum sentiūt hauddubiè Marcelli Florentini interpretatione falsa seducti sunt, qui

Marcelli Florētini erratum.

qui flore albo constare Hypericum asserit, cùm tamen in Dioscoride sit, ἄνθος ἔχον μέλινον, hoc est, florem luteum habens.

LOCVS.

Gignitur in cultis, & asperis locis.

TEMPVS.

Aestate floret, Iulio potissimum & Augusto mensibus.

TEMPERAMENTVM.

Hypericum calefacit & exiccat, tenuisq; substantiæ est.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Vrinam cit, menstrua ducit appositum. Tertianus quartanusq; cum vino potum liberat. Semen quadraginta diebus potum ischiadicis medetur. Folia cum semine illita sanant ambusta.

EX GALENO.

Menses & vrinas prouocat: sed ad hæc totus sumendus est fructus, non tantùm semen. Cum succus illitus viridis ad cicatricem ducit cum alia, tùm etiam ambusta. Cæterùm si sicca contusa inspergas, humida & putredinosa vlcera sanabis. Sunt nonnulli qui ischiadicis bibendum exhibent.

EX PLINIO.

Natura semini Hyperici spissandi. Alium sistit, vrinam cit, ad calculos vesicæ cum vino libitur.

DE HYOSCYAMO.

CAP. CCCXXIII. NO

NOMINA.

YOσκύαμ☽-græcis, Hyoscyamus, Apollinaris Latinis dicitur. Arabibus Plinius Altercum vocari testatur, Officinis corrupta voce Iusquiamus dicitur. Germanis Bilsam kraut, vel simpliciter Bilsen (Gallis du Iusquiame, ou de la Hanebane.) Hyoscyamon autem Græci videntur appellare quasi fabam suillam aprinámue, quòd, vt in historia sua Helianus inquit, pastu huius herbæ conuellantur sues apriue, præsenti mortis periculo, nisi copiosa aqua statim se foris & intus proluerint. Adeuntq; aquas non vt proluant se tantùm, verumetiam vt cancros venetur: ijs enim naclis protinus sanitati restituuntur. Atque hinc est quòd à nonnullis etiam Germanis Seuubon nominetur. Apollinarem verò Latini ab Apolline medicinæ inuentore dixerunt.

Altercum.

Hyoscyamon vide dictum.

Apollinaris.

GENERA.

Tria sunt Hyoscyami genera. Vnũ purpureos fert flores, folia Smilaci similia, semen nigrum, cytinos duros & spinosos. Hoc nigrum herbarij appellant. Alterum flores luteos ceu malæ effigie, folia & siliquas teneriores, semen subflauũ ceu Irion flauum vocant. Et hoc est quod pictum damus. Tertium vtile ad medicinam, placidissimum existens, pingue, tenerum, lanuginosum, flore & semine candido: album nominant. Quòd si verò illud non adsit, vtendum flauo erit. Nigrum vt deterrimum improbandum.

Niger Hyoscyamus.

Flauus.

Albus.

FORMA.

Frutex est caules emittens crassos folia lata, oblonga, incisa nigra, hirsuta. Per caulem deinceps flores prodeunt veluti mali punici cytini, clypeolis septi, semine, vt Papaueris, plenis. Quid multa frutex est tristi aspectu, folio lato, longo, pingui, hirsuto, venoso, et laciniato, caulibus crassis, è quorum latere flores prodeunt tanquã malorum punicorum cytini muricatis calycibus, ramos continua serie vestientibus, semine intus Papaueris refertis.

LOCVS.

Primum genus in Galatia nascitur, Alterum passim circa littora, & inter ruinas & rudera prouenit. Tertium in maritimis & ruderibus.

TEMPVS.

Semen nullum nisi postquam inaruerit legendum. Floret ferè per integram æstatem, potissimũ Iulio mense.

TEMPERAMENTVM.

Candidus ex tertio quodammodo ordine refrigerantium est. Reliqua duo genera venosa.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Exprimitur succus ex tenoro semine, foliis, cauliburq;, in quem vsum tunduntur omnia, expressusq; in sole siccatur. Vsus eius ad annum vsque, facilè enim putrescit. Exprimitur priuatim etiã succus ex arido semine, aqua calida perfuso, tum & expresso. Est verò succus liquore præstantior, & ma-

& magis dolores finit. Herba autem virens contusa, & trimestri farinæ mixta in pastillos conformatur & reconditur. Prior verò succi expressio & quod à semine exprimitur, collyrijs dolorem lenientibus commodè miscetur, & contra acres calidasq; fluxiones dolores aurium & vuluæ vitia. Cum farina autem aut polenta, contra oculorum, pedum, aliasq; inflammationes. Semen eadẽ potest. Facit ad tussim, destillationem, oculorum fluxionẽ, vehemẽtes dolores, mulliebria profluuia aliasq; sanguinis eruptiones, oboli pondere cum Papaueris semine. & aqua mulsa potum. Cõfert podagris, testibus inflatis mammisq; à partu turgentibus, si tritum cum vino illinitur. Miscetur vtiliter & alijs cataplasmatis dolorem leuantibus. Folia omnibus medicamentis dolorem sedantibus, per se, & cum polenta mixta vtiliter illiniũtur. Recentia ad mitigandos omnes dolores illiniũtur. Tria aut quatuor cũ vino pota hepialas febres sanant. Decocta olerum modo, & tribly mensura comesta, mediocrem insaniam gignunt. Idem efficere tradunt, si in collo vlcus habenti quis per clysterem infundat. Radice in aceto decocta dentes in dolore colluuntur. EX GALENO

Hyosciamus cuius semen atrum est, insaniam & soporem affert. Huic is cui semen mediocriter flauum est propinquã facultatem obtinet. Fugiẽdi autem vtrique sunt vt inutiles et venenosi. Cæterum cuius semen ac flos candidus est ad sana-

tiones vel maximè idoneus est.

EX PLINIO.

Hyoscyamum contra canum morsus valet, inq; vulnera cum melle imponitur. Contusum cū foliis ex vino datur peculiariter contra aspidas. Eius succus sanguinem excreantibus medetur. Nidor quoque accensi tussientibus. Vsus seminis & per se, & succo expresso. Exprimitur separatim, & caulibus foliisq; vtuntur, & radice, temeraria in totum (vt arbitror) medicina. Quippe etiam foliis constat mentem corrumpi, si plura quàm quatuor bibantur. Etiam antiqui in vino febrem depelli arbitrabantur. Et oleum fit ex semine, quod ipsum auribus infusum tētat mentē.

DE HYACINTHO.

CAP. CCCXXIIII.

NOMINA.

Ὑάκινθος Græcis, Hyacinthus Latinis officinis incognitus Germanis Blauu Mertzē blunlin quòd videlicet cum Viola purpurea in Martio & primo vere erūpat, appellatur (Gallis Vne Iacinthe, ou vaciet.

GENERA.

Albi Hyacinthi.

Duplices sunt Hyacinthi, albi & cæruli, vt ex hoc Columellæ carmine colligi potest. Nectum vel niueos, vel cœruleos hyacinthos. Albos verò non intelligas prorsus candidos, sed eos potius quos si cum cœruleis conferas palleſcere videntur, quēadmodum pictura affabrè tibi demonstrat. Germa

mani album fœminam, sicut cæruleum marẽ vocant. Sunt qui ad ætatem hanc differentiam coloris referre volunt, quorum ego sententiam veriorem esse existimo, cùm enim adolescunt, pallescere incipiunt. Cæruleum autem Hyacinthũ nostra terra triplicem producit, vt è pictura manifestè cernere licet, maximum maiorem, & minorem. Minor floribus differt plurimum à maiore: in illo enim maiores ac patientiores, in hoc autem minores, & quasi orbiculati sunt flores. Omnibus autẽ descriptio, vt ex ijs quæ statim subijciemus planum fiet, pulchrè conuenit, vt hinc congeneres herbas esse conijcere cuiuis liceat.

FORMA.

Folia Bulbo similia habet, caulem dodrantalẽ leuem minimo digito tenuiorem, viridem, comã adiacentem incuruam plenam florum purpureorum, radicem & ipsam bulbosam. Hæc certè descriptio ita picturis quas damus quadrat, vtnulla prorsus sit eius nota quæ illas nõ appositissimè exprimat. Folia siquidem Bulbi protinus à radice prodeunt, caulis dodrantalis, leuis, & minimo digito tenuior, herbaceus, coma procũbens incurua, plena florum purpureorum, radix bulbacea. Verũ posset aliquis cauillari hos quos descripsimus flores non esse Hyacintos quòd in ijs dissicurrentibus venis Græcarum literarum figura sit, vt Plinius libro vigesimoprimo capi. vndecimo prodidit & poëtæ fabulantur, haud inscripta legatur

Obiectio.

Cui

Ouid. xiij. Meta. Ipse suos gemitus foliis inscribit. & ai ai, Flos habet inscriptum, funestaq; littera ducta est.

Theocritus Idyl. xix. Νῦν νάκινθε λάλᾳ τά σὰ γράμματα καὶ τὼ Αἰ, αἰ, λάμ βανε τοῖς πάλαιοις

Cui sic respondemus: Hyacinthum, quem Dioscorides & alij historici describunt, diuersum esse ab eo de quo Poëtæ fabulantur. Cuius rei testis est Pausanias, qui refert florem qui natus est extincto Aiace apud Salamina, non esse Hyacynthum, sed literis Hyacintho similem videri, ex candido rubẽtem, ac Lilio minorem, quemadmodum Ouidius, itemq; Vergilius describunt. Idem etiam autor Cosmosandalon dici florem apud Hermionenses, Trœzenijs confines testatur. Cùm itaq; constet duplicem esse Hyacinthum, alterum rubentem, cum literis illis inscriptis, qui à Poëtis describitur: alterum verò purpuerum seu cœruleũ (nihil enim refert vtrum dixeris, quòd Dioscorides per purpureum colorem violaceum dilutum, hoc est, clariorem & apertiorem, quem cœruleum vocamus, intellexerit, nam & Plinius lib. xxxvij. cap. ix. Hyacinthi colorẽ violaceum dilutum vocauit) sine literis, à Dioscoride alijsq; historicis descriptũ, nihil enim Dioscorides in suo Hyacintho de literis cõmeminit: Haud igitur temerè in Vergilio ferrugineos hyacinthos, nõ cœruleos, sed rubẽtes ad similitudinẽ ferruginis quispiam interpretabitur, potißimũ cùm Poëtarum Hyacinthus, nõ cœruleus, sed rubens sit, quemadmodum alibi Verg. & Pausanias

Hyacinthus poëtarum.

Hyacinthus Dioscoridis.

Ferruginei Hyacinthi qui apud Vergiliũ.

Ianias docuerit. Rubet etiam color ferrugineus. Neq; obstat quod Nonius ferrugineos hyacinthos cæruleos interpretatus est: is enim cæruleum tantum Hyacinthum nouerat. Quòd si verò hæc morosis quibusdam non probabuntur, sed prorsus funestas literas inscriptas esse contendant, ijs ita respondsum volo. Quas in Hyacintho literas appellant Poëtæ, veras non esse, sed potius notas quasdam nigras, id quod hinc palam fit. Plinius libro xviij. cap. xij. vbi de legumnibus loquitur, literas lugubres in flore etiam fabæ ex sententia M. Varronis reperiri tradit, in quo tamen flore non literas vlla, sed nigras tantùm notas, vt res ipsa & pictura docent, inspicere licet. Quòd si nec ista satisfecerint, dicemus tum penitus fabulosum esse quòd regum nominibus inscriptum Poëta florem hunc canit. Si enim id credendum erit, credẽdum etiam quòd idem ex puero trãsformato natus sit. Vel, quod verò similius est, de regijs florum appellationibus. Poëta locum struxisse videtur, cùm florem inducit sciscitantem, quibus in terris inscripti nomina regum nascuntur flores: sunt enim cõplures flores quibus à suis inuentoribus regibus nomina sunt indita. Neq; nunc vlla prorsus regum permultorum extaret memoria, nisi in florum nomenclaturis, qui nominibus regum inscripti sunt, asseruaretur.

Ver. Ecl. tertia: Et suaue rubens Hyacinthus.

Litteræ in Hyacintho quales

Verg. Dic quibus in terris inscripti nomina regũ nascũtur flores. Eclog. iij.

LOCVS.

Nascitur in nemoribus: atque hinc est quod Galli,

Galli, apud quos: Plinij etiam testimonio, eximiè prouenit, vt in suis commentarijs de Natura stirpium vir eruditione clarus Ioannes Ruellius autor est, memoralem vel agrestem cepam nominèt. Et eius certè magna est copia verno tempore in memore haud procul à vico Luschenau iuxta Tubingam sito. vt vel ex natali etiam satis constet flores hos quos pictos exhibemus, esse genuinos Hyacinthos.

Ruellius. Agrestis cepa.

TEMPVS.

Vere, mensibus nimirum Februario & Martio, cum viola purpurea, Theophrasto libro sexto de Stirpium historia, capit. vltimo teste, erumpit: hinc Martium florem Germanis nostris dictum esse suprà monstrauimus. Hoc potissimum tempore prorumpit is quem Hyacinthum minorem nominauimus. Exit etiam eodem Theophrasto autore, cum Gladiolo, qui vernus etiam flos est. Quo sanè tempore is maximè floret, quem maiorem appellauimus. Proinde cùm tempus etiam conueniat, nemo est qui dem̃ceps veros esse Hyacinthos, dubitare meritò possit audeat.

Martius flos.

TEMPERAMENTVM.

Hyacinthi radix bulbosa est, ordinis primi in desiccando, secundi verò completi, aut incipientis in refrigerãdo. Semen autem tertio quadantenus ordine desiccat, in medio caliditatis & frigiditatis consistens.

VIR

VIRES EX DIOSCORIDE.

Hyacinthi radix pueris cum vino albo illita impuberes seruare creditur sistit aluum. Potu vrinã ducit, & phalangiorum morsibus auxiliatur. Semẽ magis adstringit, & cœliacis prodest. Potum cum vino regium morbum emendat.

EX GALENO.

Radix pueros diutißimè seruare impuberes in vino illita creditur. Semen regio morbo affectis in vino exhibetur.

EX PLINIO.

Radix Hyacinthi in vino dulci illita pubertatem coërcet, & non patitur erumpere. Torminibus & arancorum morsibus resistit. Vrinam impellit. Contra serpentes & scorpiones, morbumq; regiũ, semen eius cum Abrotono datur.

DE HYSSOPO.

CAP. CCCXXV.

NOMINA.

Ὑσσωπος Græcè, Hyssopus & Hyssopũ Latinè, Officinæ nomen legitimum retinuerũt. Germanicè Isopen, oder Isop, (Gallicè de L hyssope) vocatur.

GENERA.

Duùm generum Dioscoridi Hyssopus est, hortensis & montana. Hortensis quæ in hortis prouenit, acculinarum causa colitur, garten Ispen Germanis vocatur. Hortensis

Mõtana quæ in mõtibus nasci tur. & Germanicè Birg Ispen appellari potest. Montana

FOR

FORMA.

Herba est pedali altitudine hortensis, fruticosa, folio Satureiæ satiuæ floribus in cæruleo purpurascẽtibus, thyrsos spicæ modo vestientibus, radice longa & lignosa. Montana priori haud dissimilis est. Errant qui nostram Hyssopum hortensem nõ esse veram putant: habet enim planè folium origani, nisi quòd angustius est. Nec plures sunt eius apud Dioscoridem notæ. Nam quæ de vmbella quidam obijciunt, nihil ad hyssopũ attinent, cùm simpliciter scribat Dioscorides, Origanum non habere vmbellam rotæ speciem obtinentem. Id quod verum est.

Hortensis & nostra Hyssopus est vera & genuina.

LOCVS.

In hortis, vt diximus, hortensis, in mõtibus verò montana nascitur. Cæteris præfertur quæ in Taurò monte prouenit.

TEMPVS.

Aestate floret, quo etiam potissimum tempore carpenda venit.

TEMPERAMENTVM.

Hyssopum calefacit & desiccat ordine tertio, sed & tenuium est partium.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Vim habet extenuandi & calefaciendi. Decocta cum ficis, aqua, melle ac ruta, & pota, peripneumonicis, asthmaticis, tussi vetustæ, destillationi & orthopnœæ opitulatur. Lumbricos necat. Cum melle linctа idem præstat. Decoctum eius

cum

cum oxymelite potum, crasitudinem per aluum ducit. Estur cum ficis viridibus, aluum subducens. Vehementius purgat adiecto illi cardamomo, aut iride, aut eryſimo. Colorem bonum præbet. Cum fico & nitro illinitur ad lienem: aquam intercutem. Cum vino ad inflammationes. Diſcutit ſugillata cum aqua feruenti illita. Angina laborantibus cum decocto ficorum optimum gargariſma. Decocta cum aceto, dentium dolorem collutione mitigat. Inflammationes quæ circa aures ſunt ſuffitu ſoluit.

EX PLINIO.

Hyſſopum in oleo contritum phthiriaſi reſiſtit, & prurigini in capite. Stomacho eſt contrarium. Purgat cum fico ſumptum per inferna, cum melle vomitionibus. Putant & ſerpentium ictibus adueſari, tritum cum melle & ſale & cumino.

DE HYDROPIPERE.

CAP. CCCXXVI.

NOMINA.

Ὑδροπίπερι Græcis, Hydropiper Latinis, officinis incognitum. Germanis Vuaſſerpfeffer, oder Muckenkraut (Gallis Curage) nominatur. Hydropiper autem à locis quibus naſcitur, & piperis ſapore quem præ ſe fert, quaſi dixeris piper aquatile, appellatum eſt. Muſcæ denique ab eo vehementer abhorrent, neque enim id quod ſucco eius aſperſum eſt attingũt, hinc{q;} adeò alteram appellationem Germani illi indiderunt,

Hydropiper quare dictum.

FORMA.

Caulem ædit geniculatum, robuſtum, circa quem alarum concauitates, & folia Menthæ ſimilia, maiora, teneriora, candidioraq́; guſtu piperis accri non tamẽ odorato. Semen in ramulis fert ſecundum folia naſcens, continua ſerie congeſtum, racemoſum, & acre. Radicem exiguam & inutilem. Ex qua deſcriptione ſatis conſtat herbam hic cuius imaginem damus, eſſe Hydropiper: nulla ſiquidem nota eſt quæ illi non conueniat. Caulis enim eius geniculatus, ſolidus, circa quem alæ pandũtur: & folia Menthæ conſimilia, maiora tantùm, hoc eſt, longiora multò, teneriora et alliora. Quæ ſingula facilè diligens quiſpiam oculis luſtrabit. Si vero linguam conſulat, folia meræ piperis acrimoniam reſipiunt, nullam tamẽ odoris ſuauitatem in eis deprehendet. Quòd ſi reliquam faciem excuſſerit, offendet ſemen prope folia enatũ racematim congeſtum, & quadam ſerie cohærẽs, ipſumq́; acre. Accedunt denique natales, facultates, & alia, vt nullus planè ambigendi locus relictus ſit. Damus hic etiam alterius herbæ quæ in aquis prouenit picturam: quam nonnulli Hydropiperis ſpeciem eſſe arbitrantur, quæ ferè Hederæ folia obtinet, & ſecundum ea ſemen, Ari ſeminis haud diſſimile. Nos à colore ſeminis appellauimus Hydropiper rubeum, germanicè rot Vuaſſerpfeffer. Huius herbæ & racemoſus fructus, & folia acrimonia ſunt prædita.

LO

LOCVS.

Gignitur prope stantes aquas, aut quæ leniter fluunt. Copiosè prouenit ad flumen Pegnicũ haud procul à Norimbergo.

TEMPVS.

Floret Augusto mense floribus albis spicatim cohærentibus, ac subinde semen minutum profert.

TEMPERAMENTVM.

Calidum est, non tamen vsque adeò vt piper, & siccum, id quod gustus abundè docet.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Folia cum semine illita, œdemata, veteresq; duritias discutiunt. Sugillata delent. Siccata & tusa propipere sali & opsonijs miscentur. Radix parua, nullius in medicina vsus.

EX GALENO.

Hydropiper à locis in quibus nascitur, & à similitudine quæ illi cũ Pipere in gustu est, nomen sortitum est. Cæterùm calidum est, sed minus quã piper. Atq; herba ipsa etiamnum viridis cum semine cataplasmatis in modum imposita sugillata, & induratos tumores digerit.

EX AETIO.

Hydropiper herba est in aquosis nascẽs, ramulis ac foljs Menthæ similis, maior tantũ, gustu acerrima vt piper, per exigua semina singulis foljs ferẽs. Calida quidem est, non tamen accedens piperi, quæ recens illita sugillata ac durities

sunat. Hanc nonnulli condimentis piperis loco addunt.

APPENDIX.

Cum interea temporis dum sub prælo sunt nostri commentarij, quomodo veteribus sit appellata herba quam Hydropiper rubeum vocauimus, diligentius cogito, tertiam Dracontij apud Plinium lib. xxiiij. cap. xvj. speciem esse comperio, hanc enim ita pingit, Tertia demonstratio fuit folio maiore quam Cornus, radice harundinea, totidem vt affirmabant geniculata nodis, quot haberet annos, totidemq; esse folia. Hi ea ex vino vel aqua contra serpentes dabant. Quæ quidem nota huic etiam herbæ competere videntur. Est enim folio maiore quã Cornus, radice harundinea, medisq; geniculata. Anverò tot nodis sit geniculata, quot habet annos, totidemq; folijs, nondum obseruare potuimus. Quinetiam vniuersa tum foliorum tũ fructus forma, acrisq; sapor, Ariac Dracontij genus esse euidenter ostendunt. Facultas denique contra serpentes: quam Dioscorides suis etiam tribuit Dracontijs, abundè quod contendimus docet. Non est autem, vt quidam existimant, Plinij Aris, quòd eius radix oluæ grandis magnitudinem atque formam non referat. Hanc nostram de hac stirpe sententiam hoc loco referre placuit, ne quis nos illam Hydropiperis esse genus pertinaciter asserere ac tueri velle existimet.

DE

DE PHLOMO.

CAP. VT. CCCXXVII.

NOMINA.

ΦΛόμος Græcè, Verbascum Latinè, officinis Tapsus barbatus dicitur. Sunt qui Candelã regis, Candelariam, Lanariamq; nominent. Germanicè VullKraut, ĸertzenĸraut, Vnholdeĸertz, Himelbrãt, BrennKraut) Gallicè du Bouillõ blãc ou noir) vocaſ. Phlomõ aũt haud dubiè dixerũt Græci, quòd ea pro ellychnijs vtantur. Candelariam quoque recentiores nominarunt, quòd caulibus eius adipe, ſeuo, vel aliquo pingui illitis, nonnulli pro lucernis vtantur.

Tapſus barbatus.
Cãdela regis.
Phlomos cur dicta.
Candelaria.

GENERA.

Verbaſcum omnium veterum teſtimonio duo habet ſumma genera. Candidum enim alterum folijs, nigrum alterum eſt. Candidum rurſus in marem & fœminam digeritur. Præter tria hæc, & ſylueſtre habetur, Vuild VullKraut Germani appellant. Sunt etiam Verbaſcula duo, quæ à noſtris herbarijs herbæ paralyſis, & vulgò arthetica, cùm arthritica dicendum eſſet, vocantur. Germanicè Schluſſelblumen. Horum vnũ eſt odoratum, alterum oloris expers. Prius Germanicè ſimpliciter Schluſſelblumen, oder gelb Schluſſelblumen, Himelſchluſſel, oder S. Peters ſchluſſel, alterum Vuild Schluſſelblumen, oder Vueiſz Himelſchluſſel appellant. Eſt & tertium Verbaſculũ, quod Lychnitis,

tim, alij autem Thryallida appellant, Germani Marienroſen vocãt. Hæc ſunt genera Verbaſci quemadmodum à Diſcoride & Galeno commemorantur, quorum ſanè omnium picturas damus excepto vltimo: quod hoc tempore nondum floruerat. Quanquam diſtingui genera hæc, vt Plinius lib. xxv. cap. x. ait, penè ſuperuacuum ſit, quum ſint eiuſdem effectus omnia.

FORMA.

Verbaſcum candidum fœmina, Braſſicæ ſimilia folia habet, multò tamen hirſutiora, latiora et candida. Caulis eius cubitalis & amplior, candidus, ſubhirſutus. Flores albi aut ſubpallidi. Semẽ nigrum. Radix longa, acerba, craſſitudine digiti

Cãdidum mas. Candidum mas à foliorum candore Leucophyllon Græcis dictum, oblongioribus & anguſtioribus folijs, & tenui caule. Nigrum in cunctis candido ſimile, niſi latioribus nigrioribuſq; conſtaret

Nigrum. Syluestre folijs. Syluestre virgas fert altas & arboreſcentes, folia Saluiæ ſimilia. Habet verò circa virgas ramulos Marrubij modo. Florem luteum, auris ſul

Verbaſcula. gore. Verbaſcula duo hirſuta, terræ inhærentia, humiliáue, folijs rotundis, & multò minoribus, rugoſis, è quibus medijs ſtylus exilit tenuis, palmi altitudine, incanus: in cuius vertice terni, quaterni, & plures etiam dependent flores lutei, ſummis labris denticulati, in altero odorati, in altero in-

Lychnitis odori: calyculo in album palleſcente. Lychnitis ſiue Thryallis folijs ternis, aut quaternis, aut etiam

etiam plusculis, crassis, pinguibus, hirsutisq; ad lucernarum lumina vtilibus, floribus purpureis.

LOCVS.

Candidum & nigrum in campestribus, & in syluis etiam proueniunt. Syluestre in campestribus, potissimum siccis & lapidosis, nascitur. Verbascula duo passim in pratis & hortis producuntur. Læchnitis similiter alijs in campestribus nasci solet.

TEMPVS.

Verbascula duo primo statim vere emicant, certique huius appetentis nuntij. Hoc sanè tempore carpenda veniunt, quòd confestim fugacia euanescant, vita enim illis cum plurimum menstrua, nec temerè ad summum sesquimensem excedunt. Reliqua genera autumno, dum florent & semen proferunt, colligenda.

TEMPERAMENTVM.

Omnium folia desiccandi & detergendi vim possident.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Radix priorum duorum adstringit, vnde tali iudicri magnitudine in alui profluuio vtiliter cum vino in potu datur. Decoctum eiusdem ruptis, conuulsis, cautusis, & antiquæ tussi auxiliatur. Dentium dolorē collutione mitigat. Verbascum cui flos aurei coloris, capillos tingit, & quocunque reponatur blattas in se contrahit. Folia in

aqua decocta aduersus œdemata, & oculorum inflammationes illinuntur, Syderata vlcera cũ melle aut vino, cum aceto autem vulnera sanat. Contra scorpionum ictus auxilio sunt. Syluestris folia ambustis illinuntur. Ferunt fœminæ folia caricis interposita, incorruptas atque à putrefactione immunes seruare.

EX GALENO.

Priorum duorum radix gustu acerba est, & fluxionis affectibus prodest. Sed & ad dentium dolorem eam nonnulli colluunt. Folia tamen digerendi vim habẽt. Sic etiã aliorum folia, potissimũ autem eius quæ aureos flores obtinet. Capillos quoque flauescere faciunt.

EX PLINIO.

Contra scorpiones bibitur radix cum Ruta ex aqua magna amaritudine, sed effectu pari. Verbascum priuatim tonsillis in aqua potũ medetur. Tribus obolis bibitur. Verbascũ cuius flos aureus est, contra omnia pectoris vitia, tussem, & purulenta excreantibus. Tanta huic vis est, vt inmẽtis etiam non tussientibus modò, sed illia trahentibus auxilietur potus. Lateris & pectoris dolores Verbascum cum Ruta ex aqua sedat. Panos sanat cũ sua radice tusum, vino aspersum, & ita cinere calfactum, vt imponatur calidum. Semen ex vino decoctum & contritum luxatis medetur, dolorem et tumorem tollens. Radicis medulla collyrij tenuitate in fistulam additur. Contusis, euersis, & si febri-

bris sit potatur in aqua Verbascum, cuius flos auro similis est. Folia ex aceto imponuntur in struma. Semine ac foliis decoctis in vino ac tritis, omnia corpori infixa extrahuntur.

APPENDIX.

Recentiores duobus Verbasculis hos effectus assignant. Trita imponuntur efficaciter articulorum doloribus. Radicis decocto vesicæ renumq; obstructiones soluuntur. Ius herbæ propinatur & illinitur aduersus rupta, luxata & luentia. Quòd verò hac eadem possint, temperamentum eorundem palàm docet, parum enim adstringunt, si gustaueris, amara, & modicè acria sunt, vt hoc nomine desiccandi & detergendi facultatem, quam illis Galenus ascribit: habere nemo dubitare debeat. Nostri etiam temporis herbarij calida'et sicca esse statuunt. Et mulieres formæ studentes: succo è floribus illorum expresso faciem illinunt, quòd maculas rugasq;, & alia eiusdem vitia mirificè detergeant. Vt hinc euidentissimum sit herbas, quas Schluesselblumen vocant Germani, esse Verbascula.

DE FRAGARIA. CAP. CCCXXVIII.

NOMINA.

GRAECIS vt herba quæ fraga gerit nominata sit, certò constituere nobis nondum licet. Sunt tamen qui βάτος ἰδαία, hoc est, Rubum Idæum esse putent: cùm potissimum qui sine spinis

Rubus Idæus videtur esse. Fragaria

spinis inuenitur. Quorũ certè sententiã ob multa variásq; causas, vt in sequentibus dicemus, minimè repudiandam existimamus. Apuleius Gracis κύμαρον appellari scribit, quod si verum est, alia sit à Comaro quam Dioscorides, Galenus & alij quidam depingunt, necesse est, hæc enim arbor est, illa autem herba. Ego tamen vidi codicem manuscriptum, in quo hæc verba, Comaron Græci, Romani Fragum nuncupant, non habebantur. Quicquid verò sit, ex numero Mororum esse constat eius fructum optimi odoris, hinc à fragro verbo, quod odorem reddo significat, herba ipsa Latinis Fragaria, & fructus fragum dicere perunt. Germani Erdtbeer (Galli Fraises, ou herbe portant Fraises) vocant. Græci autem si Comaron appellarunt, ob fructum arboris eiusdem nominis qui fragis ijs terrestribus similis est, haud dubiè sic dixerunt.

Fragaria vndedicta

GENERA.

Duo Fragariæ sunt genera. Vna flores fructusq; paulò maiores, altera minores obtinet. Nos vna pictura vtranque expressimus.

FORMA.

Humi sine caule spargitur, multis à radice lanuginosis pediculis, quorum alij flore candido coronantur, alij trigemino comantur, folio per ambi

ambitum serrato atque venoso, alij fructum gerunt exiguis quidem moris haud absimilem, cæterùm sui generis solidum, callosum, tenerum, quum maturuit rubentem, tum gustu, tum etiã odore suauissimum. Radice foris atra aut rubescente, intus candida, multo fibrata capillitio.

LOCVS.

In syluis, dumetis, & in opacis montibus, ac secus vias sponte nascitur. Vnde etiam colligi potest esse rubum Idæum, quando & is in lucis prouenit. In hortis etiam nonnunquã vt grandiorem fructum ministret, colitur Fragaria.

TEMPVS.

Floret vere, & tota æstate, inq; maximã autumni partem. Fructus tamen eius fugax, rarò nisi æstatis initio inueniri potest.

TEMPERAMENTVM.

De temperamento Fragariæ recentiores diuersa tradunt. Serapio calidam & siccam in secũdo ordine tradit. Alij frigidam & humidam in primo: nonnulli, qui tamen prorsus meo iudicio hallucinari videntur, in tertio ordine scribunt. Nos folia ipsa gustu modicè esse amara, & adstringere deprehẽdimus vt siccam esse hac ratione, & minimè humidam oporteat. Quapropter in tanta sententiarum de eius temperamento diuersitate animaduertẽdum, idem de Fragaria, quod de rubo sentiendum esse, nẽpe quòd foliæ

floros

Folia Fragariæ. flores, fructus & radix adstringant. Differre tamen inter se, quòd folia potissimùm recens nata plurimum in se habeãt aqueæ substantiæ, parum verò adstringant: adeò vt verisimile sit de ijs locutos esse, qui frigidam & humidam in prima ordine Fragariam statuerunt. Est enim eorum temperies ex terrena frigida essentia, & aquea tepida.

Fructus eiusdem. Fructus immaturus frigida terrea substãtia præditus est, vt frigidus & siccus hoc nomine dici mereatur. Maturus autem non parum succi temperati calidi qui dulcis est, modicámque adstrictionem habet, ita vt calidus & siccus dicendus veniat. De fructu itaque intelligendi erunt, qui Fragariam calidam & siccã esse affirmãt. Quare vbi de temperamento Fragariæ agitur, non simpliciter, sed cum prædicta distinctione respondendum est. Vnde cùm idem ferè cum Rubo temperamentum habeat Fragaria, iterum hanc ab Idæo Rubo nihil differre verisimile est.

VIRES.

Quum recentiores in commemorandis Fragariæ facultatibus partim eas quas Dioscorides Rubo Idæo, partim etiã quas Comaro tribuit Apuleius, vires Fragariæ adscripserint, operæpretium me facturum arbitror, si vtriusque de ijs verba præmisero, vt nimirũ quisq; hac ratione, quapropter iuniores ijs facultatibus Fragariam ornauerint, certius intelligere queat.

EX

EX DIOSCORIDE.

Idæus Rubus eadem potest quæ Rubus. Amplius eius flos cum melle tritus & illitus, oculorũ inflãmationibus auxiliatur. Sacros ignes extinguit, Stomachicis cum aqua potui datur.

EX APVLEIO.

Ad lienis dolorem herbæ Fragi succũ ex mellis vncia potui datum mirificè proficere certum est. Ad suspirioſos eiusdem succus cum pipere albo & melle mixtus, potui datus, mirificum est remediũ. Has facultates etiã antiquus manuscriptus herbarius Fragariæ adscribit, nomine tamen Apulei in Dioscoridis nomen immutato. Addit tamẽ huius fructum comestum stomacho conferre, & ex succo eius os contra fœtorem colluì, id quod Serapium quoque tradit.

EX RECENTIORIBVS.

Herba Fragaria in cibo sumpta medetur lienosis, item succus ex melle potus. Idem cum pipere candido datur suspirioſis. Fragæ sitim sedãt, stomacho prosunt, sed præsertim bilioso. Succus Fragis exprimitur, vetustate vires accipiens, præsentaneo remedio ad faciei vlcera, oculorum suffusiones, neque non epiphoras. Radicis decoctum icterinoris feruores mulcet matutino & meridie potum. Vtuntur hodie frequẽter Fragaria ad glutinanda vulnera, aluum sistendam, menstrua cohibenda, gingiuas cõfirmandas, oris vlcera, eiusdemq; fœtorem tollendum, quæ singula Rubus

etiam

etiam Idæus potest, vt inde rursus conijcere licet fragariam ab eodem nihil differre.

DE PHV GERMANICO.

CAP. CCCXXIX.

NOMINA.

Nardus sylvestris Valeriana.

ΦΟῦ, ἢ ἀγρία νάρδος. Græcis Phu & Nardus sylvestris Latinis, Valeriana officina & herbarijs nostri tẽporis, Germanis Baldrio, Dennemarck, oder Katzenkraut, oder Augenwurtzel (Gallis Valeriane) appellatur, quod scilicet catti odore radicis eius, quo eorũ oculi roborantur impensè delectentur.

GENERA.

Duo sunt præcipua Phu genera. Magũ quod alio nomine Theriacaria vocatur. Hoc descriptioni per omnia respondet, Germanicè grosz Baldrion, & Triacks appellatur. Vulgus herbariorum Valerianam maiorem nominat. Alterũ vulgare, quod alio nomine Valeriana etiam vulgaris nũcupatur. Germanis Geimein Baldrion, & Katzenwurtzel dicitur. Hoc etiam genus à pictura Dioscoridis, vt paulo pòst fusius docebimus, non abhorret.

FORMA.

Folia Elaphoboſco, siue Olusatro similia habet. Caulem cubitalem, aut proceriorem, tenerum tenerum, purpurascentem, in medio concauum, geniculis intersectum. Flores ad Narcissi flores accedentes, minores & teneriores, in subalbido pur-

purpurascẽtes. Radices in superiore parte minimi digiti crassitudine. Adnascentes etiam radiculas obliquas veluti iuncus odoratus, aut veratrum nigrum, inuicẽ implicitas, subflauas, bene odoratas, nardum in gustu referentes, cum quadam virosa grauitate. Ex qua certè descriptione sole clarius fit, herbam quam vulgarem hodie Valerianam nominant, esse Dioscoridis Phu, quòd omnia ferè sic illi respondeant, vt prorsus nulla reclamare nota videatur. Folia nanq; huius cùm primùm erumpũt, Elaphoboſci præ se ferũt imaginem: postea verò dum adolescit in Olusatri modum laciniantur. Caulis quoque eius cubitalis, & maior (non enim raro ad trium cubitorũ longitudinem caulis à nobis visus est) læuis, potissimùm in infima eius parte, denique tener, purpurascens, in medio concauus, geniculatus. Flores eiusdem qui summis caulibus emergunt, Narcissi certam exprimunt effigiem, quamuis minores sint, atqueadeò teneriores. Vt hoc nomine cum Ruellio in Græcis codicibus Dioscoridis ἡσσονα pro μειζονα legendum esse putem. Nisi quis existimet Phu Ponti, quod Dioscorides potissimùm describit, fauentis cœli beneficio maiusculos habere flosculos. Prædicti etiam flores aceruatim coëuntes in purpuram candicant. Radices quoque in superiore parte minimi digiti crassitudinem obtinent, multasq; radiculas obliquas.

Valeriana vulgaris.

Phu Pŏti.

Schœni

Schæni, aut nigri Veratri modo sibi ipsis implicitas, subflauas, odoratas, Nardum, cui viros a tamen grauitate, imitantes. Quum itaq; hæ omnes notæ, Valerianæ nostræ respõdeant, multorum q̃ cõsensus nobis subscribat, & facultates eius quas illi recentiores tribuunt, planè cum ijs quæ Dioscorides Phu adscribit conueniant, quid impediat cur non certò affirmemus Valerianam hãc vulgarem esse Phu Dioscoridis non video, præsertim cùm manuscriptus etiam herbarius Phu esse Valerianam apertè doceat, ita vt mirari satis non queam cur aliquot docti viri in Germania nostra diuersum astruere voluerint.

LOCVS.

Nascitur in humectis locis, & prope aquas, hæcq; ad mirãdam altitudinem surgit. Prouenit etiam in lucis & cæduis syluis, sed hæc in tantam proceritatem non emergit.

TEMPVS.

Floret integra æstate.

TEMPERAMENTVM.

Calidam & siccam esse in secundo ordine tradunt.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Phu calefacit Sicca pota vrinam mouet. Potest idem & decoctum eius. Ad lateris dolorem prodest. Menses ducit, & antidotis miscetur.

EX GALENO.

Odorata quodammodo est huius herbæ radix,

Nardo

Nardo viribus similis, sed tamen ad plurima infirmior. Vrinam plus mouet quàm Indica aut Syriaca Nardus, similiter autem vt Celtica.

EX PLINIO.

Radix Phu datur potui trita, vel decocta ad strangulationes, vel pectoris dolores, vel laterum. Menses quoque cit. Bibitur cum vino.

APPENDIX.

Magni Phu radice hodie multi, magno cũ errore, pro calamo aromatico vtuntur, quod hoc in loco monere placuit.

DE PHACO.

CAP. CCCXXX.

NOMINA.

Φακὸς ἡ φακὴ Græcis, Lens & Lẽticula Latinis dicitur. Officinis & herbaris latinum nomẽ retinuit. Germani Linsen (Galli Lentille) appellant. Lens.

FORMA.

Lens racemosum legumen est foliis Viciæ, sed minoribus, floribus exiguis in candido purpurascentibus, siliquis paruis, molliter in latitudinẽ fusis, in quibus tria aut quatuor grana, inter legumina minima, sunt.

LOCVS.

Prouenit passim in agris satum.

TEMPVS.

Iulio mense floret, & deinceps in siliquis grana profert.

TEMPERAMENTVM.

Lentes mediũ tenent caliditatis & frigiditatis, desiccant tamen in secundo ordine.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Lens crebrò comesta, oculorum aciem hebetat. Aegrè cõcoquitur. Stomacho nocet, eúmq; & intestina inflat. Alvum cum cortice suo comesta sistit. Præstat quæ facilimè concoquitur, & nihil atri in maceratione reddens. Vim habet adstrictoriam: quapropter alvum sistit, si détracto antea cortice accuratè coquatur, primáq; aquainter coquendum effundatur. Primum enim eius decoctum alvum soluit. Somnia tumultuosa & grauia facit Neruis, pulmoni & capiti inutilis. Melius suo fungetur officio contra alui fluxiones, admixto illi cum aceto intybo, aut portulaca, aut beta nigra aut myrto, aut cortice punicii mali, aut rosis siccis, aut mespilis, aut sorbis, aut pyris Thebanis, aut cotoneis malis, aut cichorio, aut plantagine, aut gallis integris, quæ post decoctionem abiiciuntur, aut rhois quæ opsonijs inspargitur. Acetum autem cum eo diligenter percoqui debet, alias alvum conturbat. Contra subuersionẽ stomachi trigintagrana lentis suis corticibus denudata, deuorata prosunt. Decocta cũ polenta, & illita, podagram lenit. Sinus cũ melle glutinat. Crustas rumpit, & vlcera purgat. Decocta in aceto durities & strumas discutit. Cũ meliloto, aut cotoneo malo, medetur inflammationi

tianibus oculorum & sedis addito rosaceo. In maioribus sedis inflammationibus & sinu amplo cum malicorio aut siccis rosis, adiecto melle decocta. Contra nomas gangraenicas similiter vtuntur, aut adiuncta maris aqua. Aduersus autem pustulas, herpetas, erysipelatas, pernionesq;, vt antea dictum est. Contra mammas grumosum lac continentes, & lactis copia turgentes, in aqua maris cocta & illita auxiliatur.

EX GALENO.

Lentes non valenter adstringunt. Ipsum itaq; earum corpus desiccat, & sistit ventrem: caterum decoctum irritat. Proinde etiam prior aqua abijcitur, vbi retentionis causa adhibentur. Cortex eius vehementer adstringit, carnea substantia tenuiter, quae & crassi succi & terrestris est. Succus porro Lentis adstringenti est contrarius. Quo circa si elixae in aqua iusculum sale garo oleoque conditum bibatur, aluum deijciet. At quod ex bis decocta Lente ferculum apparatur, contrariae succorum obtinet. Nam quae ventri obueniunt fluxiones desiccat, os ventriculi intestina, & totum deniq; ventrem corroborans. Quamobrem coeliacis & dysentericis accommodatus est cibus. Lens verò decorticata, vt illam adstringendi vehementia, cumq; hac alia videlicet ea quae consequuntur, amittit, ita alibiluor quam integra illa efficitur, crassum prauumq; succum gignens, tarde concoquitur, alui tamen fluores haud desiccat, vti ea, quae cortice non est spoliata. Iure igitur qui modum

in hoc edulio non seruant, elephantiasim quam vocant, & cancrum incurrunt. Siquidem crassa siccaq; cibaria facilè in melancholicos humores vertuntur. Quare ijs dũtaxat quibus vitiosa est habitudo ob aquam in carne diffusam, Lens cibo vtiliter præbetur, ceu aridis & squalentibus admodum damnosè. Eandem ob causam visum integrum & inculpatũ hebetat, immoderatè exiccans. Ei verò qui contrario modo se habet, humidiori videlicet, opitulatur. Menstruis purgationibus inepta est: crassum enim & tardissuum sanguinem facit. At muliebri appellato prosluuio cõuenientissima.

EX PLINIO.

Lens optima quæ facilimè coquitur, eaq; quæ maximè aquam absorbet. Aciem quidem oculorum obtundit, & stomachum inflat: sed aluum sistit in cibo, magisq; discocta cælesti aqua. Eadẽ soluit, minus percocta. Crustulas vlcerum rũpit, eaq; quæ intra os sunt, purgat & adstringit. Collectiones omnes imposita sedat, maximeq; exulcerata & rimosas. Oculorum autem epiphoras cũ meliloto aut cotoneo. Contra suppurantia cũ polenta imponitur. Decoctæ succus ad oris exulcerationes & genitalium adhibetur. Ad sedem, cum roseaceo aut cotoneo. In ijs quæ acrius remedium exigunt cum putamine punici, melle modico adiecto. Addid demum ne celeriter inarescat, adijciunt & Betæ folia. Imponitur & strumis, pa-

nitq;

nisq;, vel maturis, vel maturescentibus, ex aceto discoctla. Rimis ex aqua mulsa, & gangrænis cũ punici tegmine. Item podagris, cum pollenta, & vuluis, & renibus & pernionibus, vlceribus difficilè cicatricem trahentibus. Propter dissolutionẽ stomachi triginta grana Lentis deuorantur. In choleris quoque & dysenteria, efficacior est in tribus aquis coctla, in quo vsu melius semper eã torrere aut tondere, vt quamtenuissima detur, vel per se, vel cum cotoneo malo, aut pyris, aut myrto, aut intubo errratico, aut beta nigra, aut plantagine. Pulmoni est inutilis, & capitis dolori, neruosisq; omnibus, & felli, nec somno facilis. Ac pustulis vtilis, igniq; sacro, & mammis in aqua marina decoctla: in aceto autem, duritias & strumas discutit. Stomachi quidem causa, polentæ modo potionibus inspergitur. Quæ sunt ambusta, aqua semicoctla curat, postea trita, & per cribrũ effuso furfure, mox procedente curatione addito melle. Ex posca coquitur ad guttura.

EX SIMEONE SETHI.

Crassi succi est, & austeram vim atque qualitatem possidet, si quis ergo in aqua coquat, & eam aquæ, oleo & sapæ cum sale misceat, potionẽ faciet quæ ventrem subducat. Bis autẽ coctla, ventriculum & ad ipsum defluxus sistit. Inducit autem stomacho robur, & intestinis, & vniuerso ventri. Quapropter vtilis est cibus cœliacis & dysentericis. Si verò cortice ablato sumatur, vehe-

mentiam adstringendi abijcit, magu verò nutrit, cum tardi sit transitus, & crussi succi, non tamen adeò siccat, vt antea dixi. Qui verò hoc edulio crebrò vtuntur, elephantiam contrahunt, & cancros, & duritias. & neruorum dolores, & melancholicos affectus. Aptus enim est crassus & siccus sanguis, vt fiat succus melancholicus. Quibus igitur habitus quispiam malus aquosus in carne est, ijs solis vtile est edulium, quemadmodum sicis & squalidis maximè noxium. Similiter visum salubriter se habentem nimium exiccando hebetat, contrà verò affectum iuuat. Neque etiam ad menstruas purgationes vtilis est, eò quòd crassum & difficulter fluentem sanguinem efficiat. Ad hac veneris appetentiam semen exiccando, extinguit: ideo castè viuere volentibus ad hoc maximè confert. Grauia etiam somnia facit, eò quòd ex ea melancholici succi in totum distribuantur corpus. Cum Mentha decocta, plurimum inflationis deponit. Nonnulli & Betam huius rei gratia eo quo dequitur tempore injciunt. Lens verò probè decocta & trita, si vulneribus ex iaculo aut tela factis imponatur, sanguinis fluxum vehementer compescit. Parua verò Lentis decoctum sumptum, difficilem partum soluit. Auribus ex quibus pus emanat instillatum, succurrit.

DE PHILYRA.

CAPVT CCCXXXI.

NOM

NOMINA.

ΦΙλυρα Græcis, Tilia Latinis & officinis, Germanis Linden (Gallis Tilet) appellatur. Alia ab hac est arbor quæ Dioscoridi φιλυρία vocatur. Quod non animaduertentes viri etiam nõnulli doctissimi, vtrasque arbores magno errore confundunt, quòd forma admodum discrepent, vt ex ijs quæ paulò post dicemus, & è Dioscoride & Theophrasto libro tertio de plantarum historia, cap. x. inuicem collatis, abundè constabit. Differunt itaq; inter se philyra & Phillyrea, neq; vna vtraq; voce arbor significatur, sed diuersæ.

GENERA.

Tiliæ Theophrasto loco iam citato autore, duo habentur genera, mas scilicet & fœmina. Distantq; inter se tum materiæ, tum totius corporis forma & quòd altera fructifera, altera sterilis. Materies mari dura, flaua, nodosior, spinosiorq;: fœminæ candidior: & cortex mari crassior, detractusq; inflexibilis propter duritiam est: fœminæ candidior flexibiliorq;, ex quo cunas faciunt: item fœminæ odoratior. Et mas sterilis, nulloq; flore est: fœmina, cuius tibi picturam damus. & florem & fructum gignit.

FORMA.

Folio est hederaceo, molliore, & in angulum acutiorem rotundiore & prolixiore, & in orbem leuiter crispo atque serrato: flore tantisper dum

calyculo cõtinetur herbaceo, vbi emersit flam: fructus magnitudine fabæ, similis acinis hederæ, in quo semen pratenue quantum atriplicis, omnibus animantibus ingratum, cùm foliorum pabulo maximè ducantur. eorúmque mira dulcedine captiantur. Nunc cum ijs confert ea quæ Dioscorides de Phillyrea tradit, & senties esse diuersissima. Nam quis vnquam dixit Tiliam habere folia oleæ, & fructum ferre subdulcem ad similitudinem Lentisci, nigrum, vuarum more congestum? Phillyrea enim seu Tiliæ folia sunt hederacea atque serrata adeóque ab oleæ foliis disidentia: fructum denique fert non modò nõ subdulcem, sed qui à nullo mandi potest.

LOCVS.

Montes & valles diligit Tilia, sed plus montibus gaudet aquosis.

TEMPVS.

Floret Iunio mense.

TEMPERAMENTVM.

Calidam esse Tiliam, vel ex eo liquet quod frigidis cerebri malis, epilepsiæ, & id genus alijs mirificè conferat. Amaritudo etiam cum glutinositate quadam in ea reliquis qualitatibus præualere videtur, si hanc degustes. Quare abstergendi placidè facultatem cum modica adstrictoria, perinde atque vlmus, cuius facultates illi Plinius, vt ex ijs quæ paulò pòst subijciemus planũ fiet, tribuit, habere euidentissimum est.

VIR.

VIRES EX GALENO.

Vlmi folijs aliquando recens vulnus glutinauimus, considentes adstringentem pariter & extergentem illis inesse facultatem. Cortex amplius etiam subamarus est & adstrictorius, itaque cum aceto lepram sanat. Porrò viridis etiamnum & recens si vulneribus deligaturæ vice circunligetur, ea glutinare potest. Radices eandem vim obtinent: proinde & decocto earum quidam perfundunt fracturas quibus callo inducto opus est.

EX PLINIO.

Cortex interior Tiliæ lepras sedat, & folia ex aceto illita. Multi corticem commanducatum vulneribus vtilissimum esse putant. Folia trita, aquæ aspersa, pedum tumori. Humor quoque è medulla castratæ arboris effluens, capillum reddit capiti illitus, defluentésque continet. Humor denique cuti nitorem inducit, faciémque gratiorem præstat. Folia ad infantium vlcera in ore commanducata prosunt, decocta & pota, vrinam ciiit & menses.

APPENDIX.

Quũ Plinius ferè eẽs facultates Vlmi etiã Tiliæ adscribat, vt ex eiusdẽ verbis patet, ideo è Galeno quæ ille de Vlmo tradit produximus. Si verò quispiam vires quæ à recentioribus Tiliæ tribuuntur, probè expendet, nihil ab ijs quæ ex Plinij & Galeni sententia retulimus differre comperiet. Nam maculas facie abstergere scribunt Tiliam,

si illa eius succo lauetur. Mederi etiam morbo comitiali bibitum eius liquorem stillatitium, oculis claritatem inducere, calculum sanare, tumores discutere ijdem docent, Quid multa? omnes facultates Vlmi obtinet Tilia, ideóque vulneribus etiam recentibus succurrit, & alia quæ à Dioscoride & Galeno in Vlmi historia commemorantur, potest.

DE CHELIDONIO MAIORE. CAP. CCCXXXII.

NOMINA.

Χελιδόνιον μέγα Græcis. Chelidonium maius Latinis, Officinis Chelidonia, Germanis Schelkraut, Scheluurtz, groſz Schualbenkraut, (Gallis Chelidoine, ou eſcle re) dicitur. Chelidonio autem, vel ſi mauis Hirundinariæ, auis hirundo quæ Græcis χελιδὼν vocatur, nomen indidit, vel, vt autor eſt Plinius, quòd hanc primùm inuenit, & ea oculis pullorum in nido reſtituit viſum, vt quidam tradunt, etiam erutis, vel quòd floret aduentu hirundinum, diſceſſuq; commarceſcit: id quod de minore verè dicitur.

Chelidonium vnde dictum.

FORMA.

Caulem emittit cubitalem & maiorem, gracilem, adnata foliis plena habentem. Folia Ranunculo ſimilia, teneriora tamen, & colore ſubcæſia, iuxtáque ſingula folia florem Leucoio ſimilem.

Suc

Succus illi croceus, acris, mordax, cũ aliqua amaritudine & odoris grauitate. Radix supernè singularis, infernè autem plures. Fructus cornuti Papaueris instar tenuis, longus veluti galeæ conus, in quo exigua semina sunt, Papaueris semine matora. Huius descriptionis notæ omnes Chelidonio nostro respondent. Siquidem fruticosa est herba, cubitali altitudine, cauliculis lanuginosis, teneris, folio Ranunculi, magis anguloso, tenuiori, aduersa parte cæsio, auersa incano, flore luteo, Leucoio consimili, semine Papauaris, quod in corniculis seu siliquis longis exilibus clauditur. Vulnerata succum croceum emittit, gustum vellicantem. Radix in superiore parte vna, in inferiore parte multis luteis fibris capillata.

LOCVS.

Nascitur in opacis & parietinis.

TEMPVS.

Chelidonium hirundinum aduentu florem excitat, atque adeo toto deinceps vere & æstate floret, quibus etiam temporibus carpitur.

TEMPERAMENTVM.

Herba hæc tertij ordinis absoluti est incalefaciendo & desiccando.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Succus Chelidonij mixtus melli, & in æneo vase in carbonibus decoctus, contra oculorum caliginem prodest. Exprimitur autem succus ex foliis, radicibus & floribus incipiente æstate, sicca

ſiccaturq; in vmbra & in paſtillos conformatur. Radix cum Aniſo & vino albo pota, regio morbo medetur. Sanat herpetas cum vino illita. Dentium dolores commanducata ſedat.

EX GALENO.

Chelidonium admodum extergentis & calidæ facultatis eſt. Sed & ſuccus eius ad acuendum viſum commodus eſt, vtique in quibus craſſum quiddam in pupilla colligitur diſcuſſione indigẽs. Vſi ſunt quidam radice eius ad morbum regium à iecoris obſtructione proficiſcentem, in vino albo eam potui exhibentes cum Aniſo. Pari modo manſa, dentium doloribus confert.

EX PLINIO.

Florentibus ſuccus exprimitur, & in æreo vaſe cum melle Attico leniter cinere feruenti decoquitur, ſingulari remedio contra caligines oculorum, Vtuntur & per ſe ſucco in collyrijs. quæ Chelidonia appellantur ab ea. Eadem oculorum aciem adiuuat, ſi addita aqua foueantur. Succus eius cum melle culices, nubeculas, obſcuritatémque diſcutit, cicatrices extenuat. Albugines etiam inmentorum.

DE CHELIDONIO MINORE. CAP. CCCXXXIII.

NOMINA.

Χελιδόνιον μικρὸν Græcis, Chelidonium minus Latinis, Officinis Scrofularia minor vocãtur, quòd ſtrumoſa radix multis grauorũ fru

menti

menti grumis videatur coaluisse: vel quòd strumis, quas imitatione Græca Scrofulas vocant, medeatur. Germanis Feiguuartzen oder BlaternKraut, id est Ficariam, Pfaffenhodlin, klein Scheluurtz, oder Schuualbenuutz oder MeyenKraut nominatur. Chelidonium autem hæc herba vocata est haud dubiè, quod, vt Theophrastus libro septimo, cap. xiiij. hirundinũ aduentu florem excitet. Scrofulariæ minor cur dicta.

FORMA.

Herbula est à stolonibus pediculisue pendens, sine caule, foliis Hederæ figura, rotundioribus minoribusq;, item teneris & aliquatenus pinguibus. Radices habet paruas multas, ex eodem callo prodeuntes, tritici modo aceruatim congestas, quarum tres aut quatuor in longitudinẽ progrediuntur. Hæc Dioscoridis delineatio prorsus herbæ illi quam Scrofulariam minorem vulgò nominant, conuenire videtur. Nam hæc herbula est à pediculis pendens, viduæ caule, foliis Hederæ, rotundioribus multò minoribusq;, teneris & modicè pinguibus. Radices ostendit ex eodẽ callo prodeũtes, paruas, complures in granorum tritici morem aceruatim collectas, quarum tres vel quatuor in longum protenduntur. Flos ei Ranunculi vt maiori luteo colore nitens. His accedunt locus, tempora, vires, et alia quæ iam commemorabuntur, quæ singula Scrofulariæ minori adamussim quadrãt, vt nemo hanc Chelidonium minus esse inficias ire

sine

sine magna impudentia posſit.

LOCVS.

In paluſtribus, prope aquas, & in limitibus humidis, omnibusq; vliginoſis tractibus ac hortis paſſim gignitur.

TEMPVS.

Verno tempore, Maio menſe, & præſertim hirundinum aduentu floret, nec longo pòſt tempore marceſcens euaneſcit. ſic vt irrigui limites, qui lato foliorum florumq; ſtipatu pubeſcebant, confeſtim ijs ſpoliati glabreſcere conſpiciantur.

TEMPERAMENTVM.

Chelidonium, minus, Galeno teſte, quarti ordinis abſoluti eſt in caleſaciendo & deſiccando, ideóque magnam præ ſe fert acrimoniam, guſtum erodentem. Noſtrum autem vſque adeo acre non eſt, vt commanducando ſæpe nullam prorſus ſentias acrimoniam, potiſſimum in eo quod in humido loco natum ſit, In hoc autem quòd locis ſiccis prouenit, ſenties & amaritudinem & acrimoniam, ſenſim tamen guſtum erodentem.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Acrem vim habet, Anemones modo ſummam cutem exulcerantem. Scabiem & vnguium lepras tollit. Ex radicibus expreſſus ſuccus ad purgationem capitis addito melle naribus vtiliter inſtillatur. Similiter decoctum eius cum melle gargariſatum, caput ſtrenuè purgat, & omnia pecto

pectoris vitia.

EX GALENO.

Chelidonium minus cùm acrius sit maiore, illitum confestim cutem exulcerat, vnguésque scabros eiicit. Succus eius per nares purgat, vt pote vehementer acris existens.

APPENDIX.

Recentiores ea herba in exterendis ficubus maricisue, & strumis, magna experientia vtuntur, vt inde certè Scrofularia nominari, quemadmodum diximus, meruerit. Antiquus etiam ac manuscriptus herbarius, sub nomine tamen Pedis vituli, quo Aron nominatur, se à quodam qui expertus sit cognouisse scribit, quòd hæc herba contra mariscas ac strumas mirificè prosit.

DE CHAMAEDRY.

CAP. CCCXXXIIII.

NOMINA.

XAμαίδρυς Græcè, Trissago Latinè, officinis græcum nomen insedit, vulgò Quercula minor, & à serratis foliis Serratula appellatur, (Gallicè Chesnette, ou petit Chesne, ou de la germandrée.) Chamædrys verò Græcis dicta est, quasi humilis ac terrestris quercus, quòd scilicet folia Quercus habeat, & huius respectu quasi humi repat. Sunt qui Serratam nominatam ideo putent, quòd ab ea serra inuenta sit. Dioscorides hanc Teucrium etiam, propterea

Serratula.

Chamædrys vnde dicta.

Serrata.

propterea quòd Teucrio similis admodum sit, appellari à nonnullis scribit.

GENERA.

Etsi Dioscorides alijq; veteres vnicam faciant Chamædryn, tamen nos, quia plures herbas ad eius formam ac picturam accedere videmus, duo eius genera produximus. Quorũ sanè primùm vera Chamædrys existit, & Germanicè Klein Bathengel nominatur. Illius autẽ rursus duo sunt genera. Vnum enim quod præ cæteris omnibus picturæ Dioscoridis maximè accedit, mas dicitur, alterum verò fœmina: neq; enim aliter nobis discrimen indicare licuit nisi sexus ratione. Alterum genus vulgaris est Chamædrys, quod iterum duum est generum, mas scilicet & fœmina. Mas Germanicè Erdtuueirauch, Fœmina verò Gamenderle, Blauumenderle, Vergißmeinnit appellatur.

FORMA.

Frutex dodrantalis, foliis exiguis, forma & diuisuris quernis similibus, amarisq; flore subpurpureo, exili, semine in calyculis atro. Quæ vtique descriptio ita herbis illis quas picturas exhibemus respondet, vt nulla prorsus nota reclamare videatur. Sunt enim herbæ palmum altæ vt plurimùm, exili folio, effigie & diuisura. Quercus, amaro, flore penè purpureo & exiguo, ita vt mirari satis non possim, cur nonnulli alteram speciem genuinam Chamædryn esse negent, cùm tamen Ger-

man

manica etiam appellatio pulchrè ad antiquum atque adeo græcum nomen alludat. Sed instabit forsitan quispiam dicens, Chamædrys Dioscoridis palmum alta est. hæc tua mensuram hãc excedit. Fateor sanè, attamen non multum exuperat. quod si etiam plus exuperaret, non tamen hoc nomine alterius speciei herba putanda esset: neque enim adeò statam atque certam mensuram herbis tribuit Dioscorides, vt quandoque vltra citráque cõsistere non liceat, verùm cùm alicui herbæ mensuram adscribit, id ea ratione facit, vt maiori parti induiduorum illius speciei quadrare existimet. In prioris itaque inopia, alterius vsus esse potest. Obiectio. Solutio.

LOCVS.

Nascitur asperis & petrosis locis, interdum etiam in montosis & campestribus solidis.

TEMPVS.

Primum genus Iunio & Iulio mensibus floret. Alterum autem vere potissimum. Carpuntur semine prægnantia.

TEMPERAMENTVM.

Ex tertio ordine calefacientium & desiccantiũ facit Galenus. Germanice tamen minus calefacere & desiccare videntur, vtpote in regione frigidiore natæ.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Recens ac viridis in aqua decocta & pota, convulsis, tussientibus, lieni indurato vrinæ difficultati

tatibus, hydropicis inter initia auxiliatur. Cit menses, fœtusq; extrahit. Lienem ex aceto pota minuit. Aduersus venenata cum vino pota & illita efficax est. Trita ad prædicta in pilulas conformatur. cum melle vetera vlcera purgat. Cum oleo trita inuncta & illita, oculorum caliginem discutit.

EX GALENO.

Chamædrys vincentem qualitatem amaram habet, & est quodāmodo acris. Quo circa meritò lienem colliquat, vrinam & menses mouet, crassitudinem humorum incidit, & viscerum obstructiones expurgat.

EX THEOPHRASTO.

Trissaginis folia ad rupta, vulneraq; in oleo trita valent, & ad depascentia vlcera. Semen bilem extrahit, & oculis quoque beneficum est. Folium ad albugines tritum in oleo prodest.

EX PLINIO.

Aduersus serpentium venena potu illitúq; efficacissima. Item stomacho, tussi vetustæ, pituitæ in gula cohærescenti, ruptis, conuulsis, lateris doloribus. Lienem consumit. Vrinam & menses cit, ob id incipientibus hydropicis efficax, manualibus scapis eius in tribus heminis atque decoctis vsque ad tertias. Sanat & vomicas, & sordida vlcera cum melle. Fit & vinum ex ea pectoris vitijs. Foliorum succus cum oleo, caliginem oculorum discutit. Ad splenem ex aceto sumitur.

DE

DE CHAMAECYPARISSO.

CAP. CCCXXXV.

NOMINA.

XAμαίκυπαρισσος Plinio dicta est, quasi pumila Cupressus. Apud Græcos, quòd sciam eius fruticis nulla fit mentio. Vulgò Cypressus, Germanis Cypreſz, (Gallis Cyprez) nominatur. Cypressius ab odore & forma foliorum eiusdem nomenclaturæ arbor vocata est.

Cypressius vndedicta

FORMA.

In arbusculi formam fruticat, foliis incanis, Abrotoni fœminæ modo scissis. Floribus in summo auri instar fulgẽtibus. Totus frutex odoratus est. Errant qui Chamæpityn esse arbitrantur, neque enim vt illa humi serpit, sed altius à terra, vt pictura monstrat, consurgit.

Chamæcyparissus nõ est Chamæpitys.

LOCVS.

In hortis passim ac figulinis prouenit.

TEMPVS.

Aestate floret. Paucos autem frutices inuenies in quibus flores intueri liceat, quando per vniuersam vitam non nisi vnum hunc, cuius picturam damus, fruticem in quo flores apparuerint, viderim.

TEMPERAMENTVM.

Apparet in ea, sicut gustus testificatur: leuis quidem acrimonia, sed maior amaritudo, multoq; etiam plus acerbitatis in tota planta. Resiccat itaque absque insigni caliditate.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Quum easdem quas arbor Cyparissus qualitates habeat Chamæcyparissus, necesse est vt etiã facultates easdem obtineat. Arboris igitur hæ sunt vires. Adstringit & refrigerat. Folia eius cum passo & myrrha modica pota, vesicæ fluxionibus & vrinæ difficultati medentur, Pilulæ tussæ, & cum vino potæ, contra sanguinis reiectionẽ, dysenterias, aluĩ fluxiones, orthopnœam, tussimq; prosunt. Decoctum earum idem potest. Tussi cum fico duritias emolliunt. & polypos in naribus sanant. Leprosos vngues cum aceto decocta & trita adiectis lupinis tollunt. Intestinorum ramices illita coërcent. Folia idem possunt. Pilulæ cum cumma suffitæ culices abigere creduntur. Folia trita & illita vulnera glutinant, sanguinémque supprimunt. Cum aceto autem trita, capillos tingunt. Illinitur per se aut cum polenta ad erysipelata, herpetas, carbunculos, & oculorum phlegmonas. Cerato mixta & imposita ventriculum firmant.

EX GALENO.

Cupressi folia, germina, pilulæ recentes et molles, magna vlcera in duris corporibus glutinant. Ex quo clarum est quòd resiccandi vim habeat, Ex quo clarum est quòd resiccandi vim habeat, absque insigni acrimonia & caliditate. Tanta ineſt ei acrimonia caliditasq;, quanta satis sit deducendæ in altum acerbitati, nullam tamen mordicationem aut caliditatem in corporibus efficit.

Pro

Proinde in alto latentes in flaccidis putrescẽtibusq; affectibus humiditates, sine molestia tutoq; depascitur, quum quæ calefaciunt & desiccant, eas, quidem quæ contentæ sunt absumant, cæterùm acrimonia & caliditate alias attrahant. Sic intestinorum ramice affectos iuuat: siquidem exiccat & robur addit corporibus præ humiditate laxis, vtpote quum adstrictio in altum subeat: eo quòd caliditas quæ illi admista est deducat, ad eam quidẽ mensuram perueniens, vt præire quidem valeat, nondum tamen mordicare. Quidam ea vtuntur ad carbunculos & herpetas polentæ miscentes, tanquam absumat citra calefactionẽ eos morbos efficientem humiditatem. Sunt qui ad erysipelatæ vtãtur, admista nimirum polenta cum aqua, aut oxycrato aquoso.

EX PLINIO.

Cupressi folia trita serpentum ictibus imponũtur, & capiti cum polenta: si à sole doleat. Item ramici, quã de causa bibuntur. Testium quoque tumori cum cera illinuntur. Capillum denigrant ex aceto. Eadẽ trita cum duabus partibus panis mollis, & è vino Aminæo subacta, pedum ac neruorũ dolores sedant. Pilulæ aduersus serpentium ictus bibuntur, aut ejiciatur sanguis. Collectionibus illinuntur. Ramici quoque teneræ tusæ cum axungia & lomento prosunt. Bibuntur ex eadem causa. Parotidi & strumæ cum farina imponuntur. Exprimitur succus tusus cum semine, qui mixto

oleo, caliginem oculorum aufert. Item victoriatũ pondere in vino potus illitusq; , cum fico ficca pingui, exemptis granis, vitia teſtium ſanat, tumores diſcutit, & cum fermento ſtrumas. Radix cũ foliis trita potaq;, veſicæ & ſtranguriæ medetur, & contra phalangia. Rameta pota menſes ciunt, ſcorpionum ictibus aduerſantur. Chamæcypariſſos herba ex vino pota contra venena ſerpentium omnium ſcorpionumq; pollet.

Chamæcypariſsi facultates.

DE CHAMAECISSO

CAP. CCCXXXVI.

NOMINA.

Hedera terreſtris.

Χαμαικισσος, ἡ γῆς σίφανος Græcis, Hedera terreſtris, Terræ corona Latinus appellatur. Officinæ nomen Hederæ terreſtris retinuerũt. Germanicè Gundelreb, corrupto ſanè nomine vocatur, cùm dicendum eſſet Grundreb, hoc eſt, humirepens viticula. Nominatur etiam Germanis Erdepheuu, & erdenkrentzlin, (Gallicè Lierre terreſtre.) Chamæciſſos verò dicta eſt, quòd nunquam non repat humi, foliis Hederæ ſimilibus. Corona terræ, quod ramulos ſuos per terram ſpargens, folioſo veluti ſerto eandem coronare videatur.

Chamæciſſos vnde dicta.

Corona terræ.

FORMA.

Folia Hederæ ſimilia habet, minora tamen & tenuiora. Ramulos dodrantales multos, foliis plenos à terra quinq; aut ſex prodeuntes. Flores Leu-

cois

eois similes minores tamen, & in gustu vehementer amaros. Radix illi est tenuis, alba, & tenuis. Ex hac historia satis constat herbam hodie vocatam Hederam terrestrem, esse Dioscoridis Chamæcisson. Siquidem foliys Heredæ constat, minoribus tamen & tenuioribus, ac in circuitu incisis. Legendum enim esse μικρότερα, & non μακρότερα, res ipsa docet: nam etsi folia Chamæcissi aliquatenus Hederæ similia sint, tamen rotundiora, atque adeo minora etiam & tenuiora existunt. Et est hic lapsus ab ι in α apud Dioscoridem frequens, vt ex alijs etiam locis supra notatis liquet. Ramulis etiam dodrantalibus multis, foliosis, qui tamen antequam scindantur, quinque aut sex à radice procedunt. Flores deniq; eius Leucois similes sunt, nõ quidẽ luteis, albis aut purpureis, sed cæruleis: ita vt vehemẽter errent qui eius flores, neq; figura neq; colore floribus Chamæcissi, qui Leucois ad similitãtur, esse similes putãt. Esi enim colore neque albi neque lutei sint, cæruleos tamẽ, qui color Leucoiorũ est, esse cõstat. In gustu deniq; sicut etiã folia, amari sunt. Radix quoque eius tenuis, & nullius prorsus vsus est. His omnibus accedit, quòd nomen etiam pulchrè quadrat: neque enim Græcis aliud sonat Chamæcissos, nisi humilem ac humi repentem Hederam. Cæterùm non esse Elatinen, præter alia multa quæ referre supervacaneum arbitror, sapor manifestè ostendit, qui in Hedera terrestri amarus,

Dioscoridis locus emaculatur.

Chamæcissos.

Hedera terrestris. non est Eolatine.

& modicè acris est, atq; adeo calorem præ se fert. Et latine verò refrigerat atque adstringit, Sic non esse Asclepiada, vt taceam quòd Securidacæ simile semen non proferat, vel vnus locus natalis satis monstrat. Asclepias enim in montibus, Hedera autem terrestris in decliuibus locis & vallibus, vt Germanicum nomen Grundreb abundè indicat, prouenire solet, Quæ autem herba sit, Asclepias, suo loco dictum à nobis est.

Non est Asclepias.

LOCVS.

Nascitur in cultis locis, iuxta etiam sepes & dumeta.

TEMPVS.

In Martio statim erumpit, & floret in magnã vsque æstatis partem.

TEMPERAMENTVM.

Amaritudo exiguaq; acrimonia folorum & florum satis monstrant herbam hanc calidam & siccam esse, ita vt hi qui frigidam esse statuunt, reprehensione non careant.

Error quo rundz notatur.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Folia eius trioboli pondere in aquæ cyathis tribus, quadragenis aut quinquagenis diebus pota, ischiadicis prosunt. Morbum quoque regium in senos septenósue dies similiter pota emendant atque expurgant.

EX GALENO.

Chamæcissi flos quum sit admodum amarus, iecoris obstructiones soluit. Sunt qui illum etiam

ischi

ischi adicis exhibeant.

EX AETIO.

Chamæcissos appellant Hederam non attollẽtem se à terra. Et hæc contusa in vino acetabuli mensura lieni medetur. Eius folia bibunt ischiadici tribus obolis, in vini cyathis duobus septẽ diebus, admodum amara potione.

APPENDIX.

Has omnes iam commemoratas facultates Hederæ terrestri recentiores tribunt, neque dubium est, quum sit admodum amara, quin eadem habeat, & alia etiam possit quæ illi adscribunt, vt euocare suppressos menses, vrinam mouere, obtusum auditum remouere. Contra pestem etiam tradunt efficacem esse: id quod equites quoque sciunt: hi enim quoties fibula dicta pestis equum corripuerit, hac contra eandem herba magna efficacia vtuntur.

DE CHRYSANTHEMO.

CAP. CCCXXXVII.

NOMINA.

Χρυσάνθεμον Græcis, Chrysanthemum Latinis, officinis inusitatum, Germanis Goldtblum. Schmaltzblum, à pinguetudine quæ contrito digitis floseulo apparet, & Dratblum, (Gallis Marguerites blanches) nominatur Chrysanthemon verò à floseulis auri splendorem & colorem præ se ferentibus, dictum est. Chrysanthemũ vnde dictũ.

FORMA.

Herba est tenera, fructicis tamen speciem obtinens, leues proferens caules, & multifida folia, luteos flores, vehementer splendentes, & oculi instar circulares. Ex qua sanè descriptiõe satis clarum est, herbam quam pictam damus, esse Chrysanthemon, quòd illi omnes à Dioscoride tradita notæ, nulla prorsus reclamante, conueniant. Quibus Democriti in Hydroscopico accedit testimonium, qui herbam hãc quæ Batrachio similis est, Chrysanthemon Græcis appellari scribit, foliis ait Apij esse, maioribus tamen, flore auri colore splendente. Addit denique ab Aquilegijs mirè celebratam esse, eò quòd aquam subesse certum sit, vbi solet emicare. Quæ quidem singula herbæ illi quam depictam exhibemus respondet. Nam vt cætera omittam, vbi hæc nascitur aquæ latices subesse nõ est dubium. Quidam perperam Vuasserhanenfusz Germanicè nominant: nã hoc nomine appellata herba, alia ab ea est, vt in capite de Batrachio docuimus. Nam cùm hæc nostra acrimonia vacet, quanquam Batrachijs similis sit, tamen in numero illorũ esse hoc nomine non potest.

LOCVS.

Nascitur prope vrbes, in patris humidis, & aquosis, locis aquosis.

TEMPVS.

Maio mense eius floribus prata & loca humi-

da

dæ splendescunt.

TEMPERAMENTVM.

Eiusdem esse cum Buphthalmo temperamẽti, & gustus & facultates declarant. Calidũ itaq; esse & siccum constat.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Eius flores cum cerato triti, steatomata discutere produntur. Regio morbo correptis coloris bonitatem tempestiuè reddit, à balneo post lõgiorem in eo moram exitu pota.

EX PLINIO.

Vesicæ calculos Chrysanthemon eiicit.

DE CHAMALEONE ALBO.

CAPVT CCCXXVIII.

NOMINA.

Χαμαιλέων λευκὸς Græcis, Chamæleõ albus, Carduus suarius & varius Latinis, officinis & barbaris Cardopatium appellatur. Quod nomen haud dubiè corruptum est, deductumq; à dictione Pãcration, nam sic olim esse nominatum Chamæleonem Apuleius testatur: aut à Carduo vario, à qua dictione, vt scilicet littera in p, & r in t mutata, in Cardopatium facilis est lapsus. Germanis Ebetuurtz elegãti allusione ad Carduum suarium, nuncupatur (Gallis Vne herbe espineuse semblable à la carline, ou Artichaut sauuage. Chamæleon autem à foliorum varietate dici cœpit. Mutat enim cum terra colores, Plinio teste: hic niger.

Carduus suarius.

Cardopatium

Chamæleon vnde dictus.

niger, illic viridis, aliubi cyaneus: aliubi croceus, atque alijs coloribus videtur. Suarius autem Carduus dictus est, quòd sues si in polenta exhibeatur, perimat. Ob quam etiã causam Eberuurtz Germanis nuncupatam puto.

Suarius. Carduus quare nominatus.

FORMA.

Folia habet Silybo aut Scolymo similia: asperiora autem, acutiora, nigroq; Chamæleone validiora. Caule vacat, verùm è medio spinam Echino marino, aut Cinaræ similem erigit. Flores purpureos, veluti capillos, qui in pappos euanescunt. Stamen cnico simile. Radicem in pinguibus collibus crassam, in montosis verò graciliorem, in profundo albam, alioquatenus aromaticam: grauiolentiã & dulcem. Plinius libro xxij. cap. xvij. breuius herbam hanc depingit, sic inquiens, Asperiora folia habet, serpit in terra Echini modo spinas erigens, radice dulci, odore grauissimo. Quæ certè notæ in vniuersum omnes, herbæ quæ hodie barbara & corrupta voce Cardopatium vocatur, adamussim respondent, vt nemo non esse Chamæleonẽ perspicuè intelligat. Huc accedit quòd facultates etiam eædem sint. Radix enim Chamæleonis albi hausta, venenis resistit. Radix etiam Cardopatij ex recentiorum traditione, mirificè venenis aduersari, & contra pestilentiam populatim sæuientem, vt paulò pòst dicemus, efficacissimum esse remedium dicitur. Quòd si tamen rectiora quis protulerit, non grauabitur hic

hic, vt in alijs quoq; mutare sententiam.

LOCVS.

In glabretis montium prouenit, & in syluis, vt hinc etiam syluaticus Carduus cognominatus sit.

TEMPVS.

Iulio & Augusto mensibus cum suis floribus effodi potest.

TEMPERAMENTVM.

Radix eius calefacit secundo ordine absoluto, deficcat autem tertio.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Radix pota acetabuli mensura, latos lumbricos pellit. Sumitur autem in vino austero, cum decocto Origani. Hydropicis commodè drachma in vino datur: etenim eos extenuat. Contra difficultatem vrinæ decoctum eius propinatur. Pro theriaca cum vino pota est. Occidit canes & sues. Mures item necat subacta cum polenta, aut hydrelæo madefacta.

EX GALENO.

Radix eius potui datur acetabuli mensura cõtra latos lumbricos cũ vino austero. Exhibẽt etiã aqua inter cutem laborantibus.

EX PLINIO.

Hydropicos sanat succo radicis decoctæ. Bibitur drachma in passo. Pellit & interaneorũ animalia acetabuli mensura succi eiusdem in vino austero cum Origani scopis. Facit ad difficultatẽ vrinæ.

vrinæ. Hic succus occidit canes suesq; in polenta. Addita aqua & oleo contrahit in se mures & necat, nisi protinus aquam sorbeant. Radicem eius aliqui concisam seruari iubent funiculis pendentem, decoquuntq; in cibo contra fluxiones, quas Græci rheumatismos vocant.

APPENDIX.

Recentiores radicem Cardui suarij drachma pondere in vino sumptam contra pestilentiæ contagia prodesse tradunt. Eandem etiam in aceto decoctã, contra scabiẽ, impetiginẽ, & omnes cutis fœditates curatu difficiles cõferre scribunt, si eius decocto lauentur. Idẽ dentiũ etiã dolori succurrit.

DE CHAMALEONE NIGRO.

CAP. CCCXXXIX.

NOMINA.

XΑμαιλέων μέλας Græcis, Carduus niger aut Vernilagium Latinis dicitur. Officinis hæc planta incognita. existit. Germanis allusione ad latinam nomenclaturam Schuuartzer Cattendistel Galli Cardonette) vocari potest, quòd scilicet in hortis tantùm culta prouenuat. Sunt qui eam à candore foliorum nominent Vuelsch Vuciſz Distel, sed prior appellatio ad discriminandas plãtas melior existit. Chamæleon verò dictus est à varietate foliorum, quæ pro terræ & locorum differentia, aut admodum virid ia, aut subalba, aut cærulea, aut rubra inueniũtur. Niger verò haud dubiè à radice appellari cœpit

Chamæleon niger cur dictus.

cœpit.

cæpit.

FORMA.

Foliȳs Scolymo similis est, minora tamen, tenuioraq;, & rubentia ea habet. Caulem emittit diligitali crassitudine, dodantralem, subrubum, qui in summo habet vmbellam, & spinosos flores tenues, hyacinthi æmulos, versicolores. Radicem crassam, nigram, densam, & aliquãdo corrosam quæ dissecta subflauescit, & cõmanducata mordet. Hæ quidem notæ quãquam plantæ, cuius hic picturam damus, fere omnes videantur quadrare: caulem enim euehit dodrãtalẽ, & altiorẽ etiã, digitũ æquantem crassitudine, subrubrum, folia instar Scolymi, minora, subalba & leniter punicea, candidum ac hispidum florem, hyacinthina purpura variatum, radicem nigram & subflauam: tamen cùm non admodum linguam vellicet commanducata radix, fit vt non parum an legitimus sit Chamæleon niger addubitem. Verùm cùm multi huius temporis viri eruditi hanc plantam Chamæleonem nigrum esse credant, nolui hoc tempore ab ȳs prorsus dissentire, atqueadeò eandem quæ illi, plantæ huic indere appellationẽ volui, maximè cùm nullam aliam eidem cõuenire apud Dioscoridem descriptionem videam, donec aliquid certius de ea nobis aut alijs cõpertũ fuerit.

LOCVS.

Nusquam sua sponte in Germania prouenit, quare cultura indiget. Nascitur autem Chamæleon niger, Dioscoride autore, siccis, cãpestribus,

cluo-

cliuosis q;, & maritimis locis.

TEMPVS.

Iunio mense floret, ac subinde in capitulis rotundis Augusto mense semen hyspidum profert.

TEMPERAMENTVM.

Chamæleontis nigri radix sicca est in tertio ordine, calefacit verò in secundo absoluto.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Radix trita additis exiguo atramento sutorio, cedrino oleo, & axuugia, scabiem abigere potest. Abstergit etiã impetigines, admixtu sulphure & bitumine. Decoctum eius collutione dentium dolorem mitigat. Cum pari pipere & cera oblita, dolentibus dentibus auxiliatur. Quinetiã fouentur ea dentes, quum decocta in aceto, & calens imposita fuerit. Scriptorio stylo dolenti denti calida admota, eum fraugit. Cum sulphure decolorem ob solem faciem, & alphos emendat. Miscetur medicamentis erodentibus. Phagedænas, ferinaq; ac tetra vlcera illita, ad mitiorem habitum transferens sanat.

EX GALENO.

Radix quiddam letale obtinet, quamobrem eius foris vsus ad scabies, impetigines, alphos, & in summa ad omnia quæ detersionem postulant. Præterea emollientibus & discutientibus medicamentis miscetur, ac illita phagedænica vlcera sanat.

EX PLINIO.

Radice eius lichenes curantur, cum sulphure & bitumine vnà coctis: commanduca ta verò dẽtes mobiles, aut in aceto decocta. Succo scabiem etiam quadrupedum sanant. Et vicinos canum necant.

DE CHAMAEPITY.

CAP. CCCXL.

NOMINA.

XAμαιπίτυς Græcis, A iuga siue Abiga, autore Plinio, Latinis dicitur, Inuenitur & Ibiga vocari, quod nomẽ, Hermolao teste, seruè seruant hodie illyrici. Hinc abiectis duabus literis i & g, Iba & ab Aiuga abiectione literarũ a & g. Iua manauit in vulgi nomenclationem. Officinæ Iuã cognomento muscatam appellant, Germani ye lenger ye lieber (Galli Iue Muscate) Cæterùm Chamæpitis dicta est, quasi humilis & breuis, humiq; depressa picea: nam eius folia piceam olent. Abiga vero vocata propter abortus, quos, educendis ijs quæ in vtero sunt, excitare solet.

Ibigæ.

Iuæ.

Chamæpitis vnde dicta.

Abiga quare vocata.

GENERA.

Tria eius sunt genera. Vna foliis Sedi seu Aizoi, quam non fœminam fecimus. Altera ramis anchoræ modo incuruis, quam nondum vidimus. Tertia mas dicitur etiam Dioscoridi. Harum discrimina è descriptionibus certius cognosces.

Prima.
Altera.
Tertia.

FORMA.

Prima, herba est per terram serpens, subcruda, folia minori Aizoo similia habens, multò tamen tenuiora, pinguiora, hoc est, vt Serapion interpretatur, super se plus humiditatis tenacis habentia, et hirsuta, circa ramos frequentia, odore picea, flores exiguos, luteos aut candidos, radicem Cichorij. Altera cubitalibus est ramis anchovæ modo incurvis, tenuibus, coma supradictæ simili, flore candido, semine nigro. Olet autem & ipsa piceam. Tertia quæ masculaappellatur, herbula est foliis tenuibus, candidis & hirsutes, caule aspero, candido, flosculis luteis, semine secus alas pusillo. Picem & hæc olet.

LOCVS.

Sua sponte, quòd sciam, in Germania non provenit. Nunc tamen in hortis plantari capit. Plinius tertiam in petris nasci tradit.

TEMPVS.

Floret Iunio & Iulio mensibus.

TEMPERAMENTVM.

Chamæpitys gustu quidem amarum saporem acri validiorem obtinet. Est autem incalefaciendo, secundi, in siccando verò tertij ordinis.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Folia primæ septem diebus in vino pota, regio morbo medentur. Quadraginta verò ex hydromelite, ischiadicos sanant. Dantur peculariter iecinorosis, vrinæ difficultatibus, & renum vitijs.

Pro

Prosunt etiam torminosis. Ea apud Heracleam Ponticam, perinde atque antidoto contra aconitum vtuntur, bibentes decoctum. Ad antedicta illinitur, cum polenta iure decocti macerata. Trita & cum fico pro pilulis data aluum emollit. Excepta melle, squama æris, & resina, purgat. Apposita ex melle, ex vtero ducit. Mammarum duritias discutit. Vulnera glutinat. Vlcera quæ serpunt, cum melle illita cohibet. Secunda & tertia eandem vim obtinent, non tamen vsqueadeò efficacem.

EX GALENO.

Effectu expurgat Chamæpitys, abstergitq; vi scera plus quam calfacit. Proinde regio morbo correptis: & omnino quibus facilè iecur obstruitur, bonum est medicamentum. Quin & menses ducit tum pota, tum apposita cum melle. Sed & vrinæ mouendæ aptum est medicamen. Sunt qui etiã eam exhibent ischiadicis decoctam in melicrato. Herba porrò ipsa viridis magna vulnera conglutinat, & vlcera putrescentia sanat. Mammarum præterea durities discutit.

EX PLINIO.

Prosunt aduersus scorpionum ictus. Item iecinori illitæ cum palmis aut cotoneis. Rembus & vesicæ, decoctum earum cum farina hordeaca. Morbo quoque regio, & vrinæ difficultatibus, ex aqua decocta bibuntur. Nemissima contra serpentes

valet cum melle. Sic & apposita vulnus purgat. Sanguinem densatum extrahit pota. Sudores facit, perunctis ea. Peculiariter renibus vtilis est. Fiũt ex ea & hydropicis pilulæ, cũ ficu aliũs trahentes. Lumborum quoq; dolorem victoriati pondere in vino sint, & tussim recentem. Mortuos fœtus ex aceto cocta potáque, eijcere protinus dicitur.

APPENDIX.

Officinarũ error.

Recentiores herbarij, & magna officinarum pars, aliam Chamæpityn ostendunt, folio Saluiæ rimoso, angustiore tamen, & ad radicem maiore, flore subcăndido ac luteo, & semine nigro: quæ tamen legitima Chamæpitys non est, sed prima potius Sideritidis, vt suo diximus loco, species. Desinant igitur subinde hac herba pro Chamæpitys vera vti, ac illius loco has quarum nunc picturas damus vsurpent. Erroris autem huius nulla alia fuit causa, quàm quòd Chamæpitys etiam veteribus alio nomine dicta sit Sideritis. Hinc plerique decepti eam herbam quæ priuatim ac proprie sic nominatur, pro Chamæpitys vsurpare cœperũt. Sideritis autẽ nulla alia de causa dicta est Chamæpitys, nisi quòd illi vulnera glutinandi insit facultas.

DE PSYLLIO. CAP. CCCXLI.

NOMINA.

YYλλιον Græcè, herba pulicaris Latinè, nomen Græcum in officinis retinet, Germanic

nicè Pſilien Kraut (Gallicè Herbe à Puces) nominatur. Tam Græcam autem, quàm Latinã appellationem à pulice, cuius effigiem ſemen eius refert, ſortita eſt herba, Vel, vt nõnullis videtur, quia ſi viridis in domum feratur, generari in ea pulices prohibeat. Pſyllion vna de dictũ.

FORMA.

Pſyllion folia Coronopo ſimilia habet, birſuta, longiora: ramos dodrantales. Tota herba ad fœnigraminis ue formã accedit. Coma eius à medio caule incipit, capitula bina aut terna in ſummo contracta conuolatãue, in quibus ſemen pulicibus ſimile, nigrum durumq;.

LOCVS.

In aruis & incultis naſcitur. Nuſquã tamen, quòd ſciam in Germania niſi ſatum prouenit.

TEMPVS.

Flores tota ferè æſtate ex capitulis eius, quæ ſpicæ formam obtinent, erumpentes dependent, canico capiti haud diſſimiles, vt pictura abundè monſtrat. Semen verò autumno profert.

TEMPERAMENTVM.

Semen eius ex ſecundo refrigerantium eſt ordine, in deſiccando verò & humectando mediũ quodammodo & ſymmettrum. Commentum Meſues de ſubſtantia eius interiore calida nihil moror. Meſues cõmẽtum.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Vis Pſyllio refrigeratoria. Cum roſacco, ace-

to, aut aqua illitum articulorũ doloribus: parotidi bus, tuberculis, œdematis, luxatis, capitiq; doloribus prodest. Enterocœlis seu intestinorum ramicibus puerorum, & vmbilicis prominentibus cum aceto illitum medetur. Oportet autem acetabuli mensura tusum in aquæ heminis duabus madere, & vbi aqua concreuerit, illinire: egregiè siquidẽ refrigerat, deiectum enim in feruentem aquam, calorem eius reprimit. Prodest erysipelatis. Prohibent si viridis domum importetur, prohibere ne in ea pulices generentur. Tusa cum adipe, sordida et maligna vlcera expurgat. Succus eius cum melle ad aures fluxione tentatas, & vermiculosas conducit.

EX PLINIO.

Vis ei ad refrigerandum iugens. Semen in vsu Fronti imponitur in dolore & temporibus, ex aceto & rosaceo, aut posca. Ad cætera illinitur aceta buli mensura, sextario aquæ densat ac contrahit. Tunc terere ac crasitudinem illinere oportet cuicunque dolori, & collectioni inflammationiq;. Tenasmo in aqua cum radicibus decoctum medetur. Omnibus articulorum morbis salutare est huius semen madefactum in aqua, admistis in heminam seminis duobus resinæ colophoniæ cochlearibus, thuris vno.

DE PSEVDONARDO.

CAP. CCCXLII.

NO

NOMINA.

Ψευδόναρδος Græcè & Latinè nominatur, quòd scilicet non sit vera & genuina Nardus, cuius Dioscorides & alij veteres meminerũt. Pseudonardus vnde dicta.

GENERA.

Duùm cernitur genervm Alterum procerius est, & maiorem spirat odorem, nec minus quàm Nardus placet. Hoc nos Pseudonardum marem dicimus. Officinæ & vulgus herbariorum Spicam à spicatis floribus nominãt, Germani Spicanardi (Galli du Narde, ou Aspic.) Alterũ amplitudine & odore minus, quod nos Pseudonardũ fœminam appellauimus. Officinæ & herbariȳ recentiores Lauandulam vel Lauendulam, eò quòd balneis & hominum lauacris expetatur, elotaque omnia si permisceatur odoris commendet suauitate, vocant. Germani ad hòc nomen alludentes Lauendel. (Galli Lauende) nuncupant. Spicæ. Laudãdula.

FORMA.

Frutex est folio crassiore, carnoso, angusto, colore anguido, in candidum vergente, piloso, frequẽtibus spicis in aristas sparsis. flosculis in spica ferè cœruleis, in Lauendula autem purpureis.

LOCVS.

Gaudẽt apricis & petrosis, tãta suauitatis fragrantia, vt penè flores odoris iucunditate vincãt, qua dote vestibus inseruntur.

TEMPVS

Vtraq; perpetua coma exitu veris canescit, Iu-

sio & Iulio mense spicatur, floribusq; pregnans est.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit & siccat ordine secundo, tenuibusq; constat partibus, haud multum à natura Celticæ Nardi dissidens.

VIRES.

Antiquus manuscriptus herbarius eadem ferè facultates Pseudonardo, quas Celtica habet, tribuit, dū in hūc modū scribit. Stomachi dolorē frigidum eiusdem inflationes, veteri dolores, lienis duritiem, iecinorisq; obstructiones tollit. Strangu riæ & difficultati vrinæ auxiliatur. Capiti admota calefacit, eiusq; humiditates exiccat. Hinc est quòd recētiores tantisper eius vsum in frigidis cerebri & neruorum morbis, apoplexia, paralysi & similibus commendent.

Sequentia duo Capita quoniam opere ad finē iam ferè perducto, in exemplari Germanico circa finēsero inuenimus, & nos ea suo loco repone re non potuimus. Bono igitur animo candide lector, hęc in fine accipe.

DE DIGITALI.

CAP. CCCXLIII.

NOMINA.

QVOD *appellatione tum Græca tum Latina herba hæc hodie destituta sit, nulla alia de causa factū existimamus, quàm quòd ve teri*

teribus incognita fuerit Nos pulchritudine eius illecti ἀνώνυμον esse diutius non sumus passi. Appellauimus autem Digitalem, alludentes ad germanicam nomenclaturam Fingerhut, sic enim Germani hanc stirpem nominant, à florum similitudine, quæ digitale pulchrè referunt ac exprimunt. Hac appellatione vtemur, donec nos vel alij meliorem inuenerint. Digitalis.

GENERA.

Duùm est genervm. Vna enim purpureos obtinet flores, ideoq; Digitalem purpuream appellauimus Germanis Brauner Fingerhut dicitur. Altera luteos habet flores ob id Digitalis lutea dicta nobis est. Germanis Geeler Fingerhut, nominatur. In alijs per omnia simules sunt. Digitalis purpurea. Digitalis lutea.

FORMA.

Herba est cubitalis, foliis latis & oblongis, Plantagini non dissimilibus, in extremitatibus serratis, floribus à lateribus caulis ordine dependentibus digitalis formã referentibus, purpureis aut luteis quibus decidentibus semen in calycibus latum & oblongum profert. Radix illi est exigua & capillata.

LOCVS.

Nascitur in montibus, vmbrosis & saxosis locis.

TEMPVS.

Floret Iulio potissimum mense, atque subinde cadentibus floribus semen producit.

TEMPERAMENTVM.

Impensè amara est herba, perinde atque Gentiana, vt hoc nomine calidam & siccam esse euidentissimum sit.

VIRES.

Hæc herba haud dubiè quum opus est, extenuatione, absterſione, purgatiõe, & obſtructionis liberatiõe, efficax admodũ esse ſolet. Nã, vt teſtatur Galenus libro quarto de ſimplici. med. facul. cap. xvij. amari ſapores abſtergũt, expurgant, & quæ in venis est, craſſitiem incidunt. Quamobrẽ menſes etiam quæ amara ſunt, mouere poſſunt, & ex thorace & pulmone pus educere. Quid multa? poteſt hæc herba ferè omnia quæ Gentiana, cuius vires ſuo in loco inuenient ſtudioſi.

DE OCIMASTRO.

CAP. CCCXLIIII.

NOMINA.

Ὠκιμοειδὲς Græcis, Ocimaſtrum Latinis dicitur. Officinis inuſitatum atque incognitum. Germanis Vuild Baſilg. (Gallis) Baſilic ſauuage) appellatur, Ocimoides verò Græcis dictũ.

Ocimoides

Ocimaſtrum ſyluestre Ocimum.

haud alia ratione dictum est, quàm quòd Ocimo ſuis potiſsimùm ſolijs ſimile ſit. Ocimaſtrum auctem Latini, quaſi ſyluestre Ocimum appellauerunt. Nam ſic ipſum vocare videtur lib. xx. cap. xiij. Plinius.

IOR

FORMA.

Folia habet Ocimo similia, ramulos dodrantales, eosdemq; hirsutos, siliquas Hyoscyamo persimiles, semine nigro plenas, Melanthio seu Nigellæ simili) legendum enim in Dioscoride ὁμοίῳ, & non ὁμοίοις, vt habent aliqua exemplaria.) Radix illi est gracilis & inutilis. Ex qua quidē delineatione omnibus palam fit, stirpem, cuius effigiem atque picturam damus, esse Ocimastrum: siquidem folia fert Ocimi, Ramulos palmares & quadratos,) quod Dioscorides omisit) hirsutos, flores purpureos) quos itidem Dioscorides non explicauit forma Ocimi floribus similes, qui tamē colore, qui illis candidus est, distant: decidentibus floribus siliquas Hyoscyamo similes, seminis nigri, Melanthio similis, plenas ostendit. Radice etiam nutritur tenui & superuacua. His omnibus etiam accedit odor, qui planè Ocimum referre videtur: ita vt nemo dubitare debeat, quin hæc herba verum sit Ocimastrum, potissimum cùm illi Dioscoridis descriptio sic quadret, vt nullæ prorsus nota reclamare videtur.

Dioscoridis locus emēdatus.

LOCVS.

Nescitur arenosis in locis. Copiosè autem iuxtæ Nirtinguam ad Nicerum oppidulum prouenit, vbi idipsum primum vidi, ac reperi: aliàs quòd sciam, mihi nunquam visum.

TEMPVS.

Floret in fine Septembris & Octobre mense, atq;

atq; simul in siliquis semen profert.

TEMPERAMENTVM.

Ocimastrum, maximè eius semen, est calida & siccæ temperaturæ, quod sapor etiã satis ostendit, qui cum modica adstrictione amarus est.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Semen Ocimastri in vino potum, medetur viperarum & aliarum serpentium morsibus. Ischiadicis datur cum myrrha & pipere.

EX GALENO.

Ocimoides quidem philiterium cognominant. Radix superuacanea est. At semen tenuium partium, & desiccantis citra mordacitatem facultatis est.

EX PLINIO.

Sylvestri ocimo vis efficacior ad eadem omnia, quæ satiuo. Peculiaris ad vitia quæ vomitionibus crebris contrahuntur. Vomicísque vulnæ, contráque bestiarum morsus radix in vino est efficacissima.

APPENDIX.

Vel sylvestre Plinij Ocimum diuersum est ab Ocimastro, aut in verbis eius sdem iam productis, error subest. Quum enim Ocimastri radix. Dioscoridis & Galeni testimonio, inutilis sit, non recte à Plinio dicitur quòd eius radix in vino contra bestiarum morsus efficacissima sit, sed hoc potius. Dioscoride teste, semini tribuendum erit. Quare in Plinio legendum, contráque bestiarum

Plinij locus emendatur.

mor

morsus semen in vino est efficacissimum. Quam sanè lectionem Dioscoridis autoritas abundè confirmat, qui Ocimastri semen cum vino potum. contra viperarum & aliorum reptilium ictus efficax. esse tradit.

COMMENTARIORVM
DE STIRPIVM
HISTORIA
FINIS.

*

EXPL CA

EXPLICATIO QVARVNDAM VOcum toto hoc opere passim occurrentium, in quibus assequendis non admodum peritus lector hærere posset.

Acetabula.

ACetabula ab aceto denominata videntur: quamuis alij ab accipiendo dictum putent, atq; hinc est quòd scribant acceptabulum: vascula q; fuerunt orbiculata, cõcaua, sine marginis latitudine, quæ aceto plena ad intinctus ponebantur. Dehinc vox ad omnia alia quæ similem concauitatem habent, translata fuit Primumq; sic concauas partes in Polyporum flagellis, quibus id animal nititur, & velut adminiculis fultum exurgit, nominauerũt, Translata etiam vox ad fœminarũ locos, vocauerunt q; acetabula venarũ arteriarumq; ora, quæ in veterum feruntur hiantia. Transtulerunt postremò etiam hoc nomen ad herbam, quam eam ob causam Acetabulum dixerunt, quòd folia acetabulo similia in orbem circumacta, sensimq; sic vt sensum fallant, in concauam lacunam descẽden-

tia

tia habeat κοτυλεδόνις Græcè nominatur. Acinus nõ tantùm grana interna uuæ, quẽadmodum quidam existimant, sed totum fructum, quì ex succo, & parte quæ veluti caro est, & ex vinaceis, & ambiente forinsecus cute cõstat, significat. Testis Galenus, qui libro 2. de facultatibus alimentorum sic scriptum reliquit: Acini corpus ex quatuor partibus constat, ex ea scilicet quæ eius veluti caro est: exq; humore per eam dispersso, vnde vinum, præterea ex nucleo, atque eo quod omnia hæc foris circuncludit, membranoso tegumento φάξ Græcis dicitur. Aculei, quæcunque duriuscula in cuspidem turbinata punctione infigunt spiculorum modo, nominantur. Acus purgamentum frumenti, leuissimum scilicet in eo quod ventialabris extra aream iaculatur. Acinus. Aculeæ. Acus.

Adnata, vel Adnascentia, siue Appendices, ramuli dicuntur quos caulis nonnunquam ex se mittit, quasi nouam adscititiamq; prolem. Sic autem vocantur, quod quasi cauli adnascantur & superaccedant. Græci παραφυάδας, quòd circum caulem erumpentes accrescant, appellarunt. Ala, caui inter caulem, & ramulos anfractus, vnde sinuatim noua proles egreditur, facta ab humanis alis translatione, dicuntur. Græci μασχάλας vocant. Alabastra sunt seruandis odoribus ex solidissima & frigidissima materia facta vascula, sic dicta Græcis, quod ob lauorem suum capi teneriq; Adnatæ. Alæ. Alabastra.

riq; manibus non facilè possent, lubricaq; dilaberentur. Hinc alabastrites lapis, quem nunc Alabastrum vocant, quoniam ex eo alabastra fierẽt, de-

Aluta. nominatus est. Aluta pellis seu corium dicitur postquam ad vsum & opus calceorum & aliarũ rerum concinnatum est. Hinc Alutamen, siue Alutamentum, opus ex cõcinnatis pellibus factum. Et Alutarij, pellium & coriorum concinnatores.

Alsiosa. Alsiosa non dicuntur ea quæ frigidis locis gaudent, sed contrà potius quæ algores ferre non pos-

Amuleta. sunt. Amuleta remedia sunt præsentanea aduersus venena & fascinationes, qualia quidam in

Amphora annulis, & è collo suspensa gẽstare solent. Amphora mensura est quæ capit duas vrnas, seu octo

Apices. congios. Apices quæ in medio calycis seu folliculi quo flos clauditur erũpunt. stamina sunt, quæ veluti filamenta ab intimo floris sinu prosiliunt. Habent apices sæpius in summo quidpiam crassiusculũ, à qua similitudine nomen acceperunt. Ar-

Arbor. bor est quicquid à radice statim simplici caudice, brachiatum ramis, surculosum, dissolutuq; contu-

Articuli. max assurgit. Articuli sunt partes quæ in nodos quosdam intumescunt, à quibus persæpe ramuli prodeunt. Asparagi quæ primùm in lucem

Asparagi prodeunt olerum germina, priusquam in folia explicentur, recentissimiq; turiones qui edendo sunt,

Arista. dicuntur. Arista, est quæ vt acus tenuis, longa, eminet à gluma. In summa, aristæ quasi apices & cornua sunt spicarum.

Bacca

BAccæ sunt fœtus minutiores herbarũ, fruticũ, arborũmue, qui dispersius rariusq; enascuntur: vt sunt partus lauri. Atque in hoc ab acinis differũt, quòd ij densius prouenient. Brachia sunt plantarum, præcipuè autem arborum ramuli, quod instar brachiorum in homine extendãtur. Bulbi radices sunt rotundæ tunicatæ, quales sunt hyacinthi, asphodeli, & colchici. Baccæ. Brachia. Bulbi.

CAchryes sunt oblonga panicularum modò nucamenta, quæ squamatim compacta propendent è ramis. Crescunt hyeme, vere dehiscunt in flauescentes squamulas, & folio prodeũte, decidunt: qualia in abiete, picea, & alijs permultis videre licet. Plinius pilulas nominat. Cachryes.

Calathus est rectus turbo, hoc est, id quod ex angustijs in latitudinem se diffundit. Calathi effigiem planè referunt flores liliorum. Pilulæ. Calathus.

Calyx folliculus est, quo flos primùm, mox seminis fœtus clauditur. Calyx.

Capillamenta particulæ teretes & oblongæ in capilli modum extenuatæ dicuntur. Capillamenta.

Caput est id quod sursum deorsumue in globum extuberat, aut in orbem glomeratur. Si magnitudine cesserit, capitulum nominatur. Extremam tamen vitis partem caput etiam vocant, id est, vltimum & productissimum flagellum. Caput.

Capreoli sunt coliculi intorti veluti cincinni quidam in ipsis pampinis tenerioribus apparentes, quibus vitis veluti ma- Capreoli.

nibus quibusdam admicula complectitur, ac comprehendit. Ii enim vt vitem teneant, serpunt ad locum capiendum: vnde à capiendo capreoli dicti sunt.

Caro. Caro dicitur id quod cortici subest.

Caudex. Caudex dicitur in arboribus & fruticibus, id quod à radice supra terram simplex assurgit, & in quod à radice fertur alimonia.

Caulis. Caulis verò idem quod supra solum simplex prosilit in herbis nominatur. Sic vtique caudex ad fructices & arbores, caulis ad herbas duntaxat pertinet.

Ceruix. Ceruix est pars illa à capitis radicibus prodiens, prælonga, t eresq; , sic dicta, quòd in colli speciem figuretur.

Cyathus. Cyathus Græcus ἀπὸ τοῦ κύω, id est, à fundendo dictus, est duodecima pars sextarij.

Cymæ. Cymæ herbarum delicatiores teneriores q; coliculi, quos à prima germinatione, & in summa stirpe proferunt. Nam cum vernum tempus appetit, primo quoque foliorum pullulatu, præclusis adhuc florum calyciibus, quosdam, quasi turiones, olus subministrat, in quibus floris primium, mox seminis fœtus concluditur.

Cirri. Cirri sunt capillamenta quæ contorta

Clauiculæ crispantur. Clauiculæ coliculi sunt, quibus quasi manibus proreptans vitis admicula comprehendit.

Coma. Coma est quicquid hilari venustate crinium modo, summa ramorum vel coliculorum exornat.

Congius. Congius, qui Græcè χοῦς dicitur sex sextariorum capax mensura est. Eadem etiam congiarium appellatur.

Conus. Conus Græcus, vel

vel pyramis, est inuersus turbo, hoc est, id quod ex latitudine in arctius protrahitur ac fastigiatur. Cui calathus, vt diximus, contrarius existit. Cor est quod in medio ligni residet. & Cor.
tertium à cortice continetur, velut in ossibus medulla. Ab aliis matrix, à nonnullis medulla nominatur. Corymbus est hederarum vua dependentib. acinis coacta. Transfertur tamen ad Matrix. Corymbus
multos herbarum fructus. Cortex pars est vltima à subiecto corpore separabilis, veluti crusta quædam ad tegendum data. Cotyle vox Cortex. Cotile.
est in Græcia nata, nam Romani heminæ vocabulo vtuntur. Vide in dictione Hemina. Crenæ sunt quædam in extremis oris incisuræ, à Crenæ. Cubitus.
quibus crenata herbarum folia vocantur, hoc est, serrata, per ambitumq; secta. Cubitus est mensura quâta patet à cubiti flexura vsque ad summum mediam digitum, quæ sex palmis digitisue vigintiquatuor constat. Culmus frumenti Culmus.
calamus est, qui spicam sustinet.

Decussis antiquis ad X literæ figuram fiebat, quæ apud Latinos decem significat. Decussis.
Hinc decussari est in speciem literæ X duduci.

Dilutum dicitur, quod est mixtum: vnde vinum aqua mixtum dicitur dilutum. Dilutum Dilutum.
verò substantiuum factum, est id liquidum, in quo aliquid certo tempore maceratum & infusum fuit: vt si in vas vini appositum absinthium fuerit, deinde post interiectum tempus abstra-

ctum, id vinum absinthij dilutum vocatur.

Dodrans. Dodrans est mensura duodenum digitorum. Alias palmus maior Latinis, & Græcis παλαιστὴ dicitur. Dodrantalis itaque caulículus vocatur, qui longitudine duodenos æquat digitos.

Echinus. ECchinus est quicquid numerosa congeries aculeorum stipatur, siue tegmen, siue caput, siue cacumen fuerit: sic dictus quod globosis spinarum agmine maris herinaceum mentitur.

Fibræ. FIbræ capillamentis germanæ sunt, quæ herbarum arborúmque minutiores sunt radiculæ, in quas velut extremas, crassiores effusæ spar-

Fimbriæ. guntur. Fimbræ sunt vestium extremitates, à quibus & fimbriata folia dicuntur, quæ in ambitu in quasdam fimbrias exeunt.

Flagella. Flagella dicuntur cymæ arborum & ipsarum summæ partes, quæ ad cuiusque venti flatum mouentur: vide etiam nomen traxerunt ab eo quòd flatibus petantur. Flagella etiam sunt vitium rami oblongiores, & productiores, alijs tamen minores, ab ipsis brachijs sursum ascẽdentes: dicta flabella prius à venti fla-

Folliculus. tu scilicet. Folliculus theca rei cuiuslibet, quæ granum vel semen continet inuolutum. Sic membranosa cutis acini folliculus dicitur. Fru-

Fructus. ctus, quod carne & semine compactum est. Frequenter tamen pro eo, quod inuolucro perinde quasi

quasi carne & semine coactum est, accipi solet. Frutex est quod à radice caudice multiplici, ramosumq; sese attolit, vt rubus. Frutex.

Frons interdum pro ramo ponitur. Propriè tamen dicitur id quod ipse ramus circunquaque producit, multa interdum folia habens, & nonnihil corticis, ac veluti cauliculi. Frons.

GEmma in vite idem est quod oculus, quia veluti ocellus quidam conspicuus, aut gemma quædam excellens conspici possit, cùm primùm è vite prodit, aut sarmento. Hæc ineunte vere sese ostendit, & ab ea primùm flos, deinde fructus prodit tam in ipsis vitibus, quàm arboribus. Geniculi siue genicula sunt nodi qui in herbis, aut leguminibus, aut etiam sub fruticibus apparent. Sic Geniculatæ radices nominantur, quæ nodis quibusdam interstinctæ protuberant, rotundæ & leuiter capitulatæ. Gluma est folliculus grani quod in spica continetur, vel grani theca. Grossi appellãtur fisci, quæ non matura fiunt. Priuatim tamẽ in bifera fico eas intelligunt, quæ per messes maturantur. Has grossulos Græci vocant βλάνθους. Gemma. Geniculi. Gluma. Grossi.

HEmina Romana vox est, ex Græco quidẽ ἥμισυ, quòd dimidia sextarij pars sit, deriuata Græcis κοτύλη nominatur. Capit vncias decem mensurales, vt copiosè in annotationibus nostris in quartum de Tuenda sanitate libru Hemina.

Herba. Galeni demonstrauimus. Herba est quod à radice foliatum sine caudice prouenit, sæpiusq; semen in caule fert.

Internodium. INternodiũ, quod inter artus vel genicula medium intercedit, dici consueuit.

Interuenium. Interueniũ, quod inter venas intercipitur.

Iuba. Iuba est arundinacea coma effusa, qualis in milio est: metaphora desumpta à iubis, hoc est crinibus animalium à collo pendẽtibus.

Iulus. Iulus tam Græcis quàm Latinis est quod in corylo compactilis callo racematim cohæret, & veluti prælongus vermis, singulari pediculo pensile nititur, & fructum præcedit.

Lachryma. LAchryma est is humor, qui statim defecto caudice, vel ramo, aut tantum ipso ligno, profilit, & apparet.

Lanugo. Lanugo in herbis atque arboribus lanata quædam est hirsuties, qua folia coliculiq; canescant.

Liber. Liber pars corticis interior quæ ligno pressius adhæret.

Libra. Is quibus scribimus libris nomen dedit.

Libra Romana capit uncias duodecim mensurales.

Lingula. Lingula quarta pars cyathi dicitur, hoc est, semuncia, demptis scilicet duobus scriptulis.

Loculamẽta. Loculamenta sunt seminum involucra, quæ veluti paruæ capsulæ ea recludunt.

Lomentum. Lomentum fabarum farina est.

Laciniæ. Laciniæ partes sunt extremæ particulatim decoris causa concisæ, orarumq; summarum cæsuræ. Inde folia membratim per flexuras digesta, vel natiuis seminibus discreta, laciniata vocitantur. Sunt tamen qui laci

laciniosum pro sinuoso vsurpent.

MAlicorium est mali punici putamen. Malleolus nouellus est palmes innatus prioris anni flagello, cognominatus à similitudine rei, quòd in ea parte qua deciditur ex vetere sarmẽto prominens vtrinque malleoli speciem præbet. Vel quòd capillatus vtrinque & surculatus solebat seri. Matrix, vide in dictione Cor. Medulla, vide ibidem. Mucro est acumen in quod pars quæcunque desinit. Sic foliorum multorum, sili quarum quarundam, & spinarum omnium extrema in mucronem acuminantur. Muscus est id quod in ipsa corticis superficie quarundam arborum lanuginosum apparet, veluti caui quidam ipsarum arborum villi. In quibusdam etiam quædam ipsarum arborũ quæ visitur villosa flosculorum congeries, quæ quod conferta sit densaq; floreſcat, muscus dici consueuit: vt in ligustro, & compluribus alijs. Muscaria sunt in orbem radiatæ herbarum comæ, cacuminaq; in fasces coacta: à flabri similitudine, cuius ventilatu muscæ, conuiuijs abiguntur, dicta.

Malicorium
Malleolus
Matrix.
Medulla.
Mucro.
Muscus.
Muscaria

NVcamẽtha dicuntur ea quæ callo squamatim compacti, pendent è ramis nucum, roborum, picearum: sic dicta, quod sint quasi quædam naturæ rudimenta, pineam nucem facere cõdiscentis.

Nucamenta.

Oculus. OCulus gemmula illa in herbarum surculis, primum germinationis argumentum dicitur.

Palma. PAlma dicitur maius vitis flagellũ, vnde nascuntur vuæ.

Palmus. Palmus veteribus duplex fuit. Minor digitorum quatuor habebatur, Græcis παλαιστὴς vocatus. Maior digitorum duodecim,

Palmites. σπιθαμὴ Græcis dictus. Palmites dicuntur qui è stirpibus ac surculis quotannis prodeunt, sic nominatæ, quòd in modum humanarum palma-

Pampini. rum virgulas quasi digitos ædant. Pampini sunt frondentium ramusculorũ comæ, oliculique fructum fouentes, & ab impendente vindicantes iniuria. Hinc pampinare, est pampinos superfluos ex vinea detrahere, posteaquàm frondunt.

Panicula. Panicula dici potest quicquid sublõga vel subrotunda effigie tumet, vt quæ pendet è picearum ramis. Lanosam quoque comam in milio, panico, arundine, & qualem in aruis complures herbæ, & in palustribus iunci gerunt, Latini paniculam dixere.

Pappus. Pappus tam Græcis quàm Latinis est lanugo ex floribus aut fructibus decidua. Sic etiam lanosi quidam villi, qui defloreſcentibus aliquot herbis remanent, & postmodum in auras euanescunt, pappi sunt, vt in sonecione, sencho, & pleris-

Pediculus que alijs sit. Pediculus, siue quod idem habetur, Petiolus, id est quo folium, fructus, aut flos depen-

Pedamẽta det. Pedamenta quibus stat recta vinea dicuntur, hoc est: quibus velut pedibus nititur. Nomi-

nan

nantur etiam à quibusdam pedamina vide Cachrys. Pilula, Pyramis, vide Conus. Propago dicitur vitis vetula depressa, atque in terram per incurvatum arcus submersa, vt ex vna plures emergãt. Pulpa in arboribus est, quod nos in animalium corporibus musculum appellamus. Puluinus est quod inter sulcos eminulum protumet, sic dictus quod quandam referat puluinorum in quibus sedemus similitudinem.

Pilula. Pyramis. Propago. Pulpa. Puluinus.

QVincuncialis figura, eius figuræ quæ decussim antiquis significabat. media est. Fiebat vero decussis ad X literæ formam, quæ quidem apud Latinos decem significat. Atque hæc si per medium secetur, remanebit V figura: quæ quinarium numerum, atque adeo quincuncem demonstrat. Sed hæc quidẽ multoties tum superius tum etiam inferius multiplicata, figuram facit: quæ quincuncialis appellatur. Talem planè Trichomanis cauliculi efficiunt.

RAcemus pro vua accipitur. Neque tantùm ipsius vitis est, sed etiam hederæ, & aliarũ herbarum: aut fruticum vuas quasdam producentium. Dicitur etiam ramosum, id quo dependent acini. Rami sunt, qui in caule fissi multiplices sparguntur.

Racemus. Rami.

SArmenta prælongæ sunt vitium virgulæ, in quas vitis luxurians spargitur, hoc est, vitis ipsius brachiorum & caulium ligna, tam dũ sunt in ipsa vite: quàm dum excisa, & exempta

Sarmenta

Scapus. Scopus. Sesqui. Sextarius Siliqua. Sinus. Spica. Spongia. Staminæ Stipulæ. Striæ.

sunt. Scapus est caulis qui in styli modū sursum proreptat, aut in altū fertur, ducta à columnaribus scapis similitudine. Scopus ramosum id, quo. dependent acini. Sesqui vocabulum cum aliqua mensura vel modi, vel numeri, vel temporis collocatum, non integrum modò id cui iungitur explicat, sed integrum & semis. Sic sesquilibra, libram vnam & semis significat. Sesquimensis, integrū mensem cum dimidio. Sextarius capit vncias viginti mensurales. Siliqua tegumentū est, quo vel grana leguminum, vel herbarum semina concludūtur. Nam non modò legumina sed & cōplures quoque & herbæ & frutices siliquas proferunt. Sinus alarum caua sunt. Spica est quod culmus extulit. Hanc antiquitus rustici specam vocabant, & à spe videtur nominata, eam enim quòd sperant fore, serunt. Tria verò continet, granum, glumam, & aristam. Spica mutica est, quæ non habet aristam. Et mutica, quasi mutila nominatur. Spongias antiqui, politores vocarunt radiculas illigatas & connexas. Hinc Asparagi sa tiui & altilis radices multis irretitæ capillamentis coalescentes, & inter se implicatæ, ac quasi in vnitatem coëuntes spongiolæ, & spongiæ & spongioſæq; appellantur. Stamina sunt qui in medio calycis erumpunt apices, sic dicta, quod veluti filamenta ab intimo floris sinu prosiliant. Stipulæ folia sunt culmum ambientia. Striæ partes sunt quædam quæ protuberant & eminent.

Hinc

Hinc striatus caulis, qui huiusmodi strijs est præditus, aut striaturis exasperatus. Strigiles etiam, si Vitruuio credimus appellantur.

Stolones appellantur coliculorum soboles, mutilisq; è radicibus fruticatio. Stolones.

Suffrutices sunt quæ compluribus ramulis surculisq; lignosis scatent, sed minutis constant folijs. Suffrutices.

Surculus, quod ex ramis simplex ac indiuiduum oritur, estq; velut germen quoddam ex ipso trunco vel caudice productum. Surculus.

THyrsus est caulis, idq; nomen sibi vendicauit, quòd virgulæ in modum, vel teli rectitudinem consurgat. Thyrsus.

Tomentum Latinis omne id quo culcitræ ad molliorem & calidiorem quietem ĭfarciũtur, dicitur, siue id lana sit siue pluma siue quod voluerit, aliquis, excipiendis molliter & fouendis calore corporibus nostris aptum. Sic Dictamni folia, quòd mollia videntur esse, tomentitia & lanea dicuntur à Dioscoride, hoc est, γναφαλοῦδη. Tomentum.

Tori prominentes partium calli, & in se pulparum modo collecti nominantur. Græci κονδύλους vocant. Hinc κονδυλώδης, id est: torosus, quod idem Latinis est, ac nodi formam præ se ferens. Tori.

Triens quatuor cyathi. Tunica est tenuis cortex & veluti membranaceus, quo vel arbor, vel radix inuestitur. Sic cæpe folliculis est tunicatum. Triens. Tunica.

Turbo dicitur quicquid ex acumine tendens in amplius spaciatur. Hinc Turbo.

Turbi

Turbinatum, quod ex angusto contiuenter in latius prodit. Sic turbinata consticitur pyrorum forma, Permulta etiam herbarum folia in mucronem turbinantur.

Turiones. Turiones sunt teneritates summitatum ipsarum arborum, quæ singulis annis crescunt.

Topiarii. Topiarium opus est quod ex arbore, frutice, vel herba ad decorem componitur, in testudines aut cameras fornicatum. Hinc Topiariæ dici merentur arbores vel herbæ, quæ mirum huic operi, quòd flexiles sunt, ac suo lentore sequaces, accommodantur.

Vascula. Vascula seminum inuolucra sunt.

Venæ. Venæ sunt quæ in plantarum foliis apparent, & ramulos & humorem habentes.

Vermiculatum. Vermiculatum quod rosæ modo, quasi purpurisso, rutilat, dicitur.

Verticillū. Verticillum florum vel foliorum ambitus, qui coliculos aut ramulos herbarum coronat, existit: ab instrumenti muliebris similitudine dictum, quod fuso vertēdi gratia solitū est adhiberi.

Vinacei. Vinacei, grana sunt acinorū, ῥιγάδια Græcis nominātur, quæ pressis vuis cū folliculo abijciūtur.

Virga. Virga est quæ ex radicibus, aut caudicis lateribus exit. A nōnullis virgæ appellatæ sunt soboles.

Virgultū. Virgultū surculus is est, qui terræ cōmittitur,

Viticulæ. vt in arborē insurgat. Viticulæ nō palmites aut sarmēta sunt, sed flagella quæ vitis modo reptātia longè lateq; vagātur, ac vicinos frutices nacta sic intricāt eos, vt ijs perinde quasi pedamimibus abutātur: vel scādētia suis irretiūt clauiculis, quibus quasi

quasi digitis hærent, quales in cucumeribus, cucurbitis, & plærisq; aliis inueniuntur. Vmbella est floris seminisue pedamentũ, in plures, digestum lõgiores pediculos, qui simul ex fastigio eodem orti, in latius continuo radiantur, singuliq; vel florem, vel semen sustinent, in orbem circumactum. Græci hunc florem habitum σκιάδιον, Latini verò quoniam vmbellæ, quæ mulieres vultum vindicant à sole, & æstum arcent, circinatam effigiem gerit, vmbellam dixerunt. Vmbellæ.

Vmbilicus id in pomis est quod in eis medium vel prominet, vel conditur. Vmbilicus.

Vngues in rosis & foliatis floribus intellexerunt veteres, imas suorum foliorum partes, quibus in capite suo cohærent, decoloresque dependent. Vel breuius: Vnguis infima pars foliorum rosæ alba appellatur. Vngues.

*

LVGDVNI,
Excudebat Balthazar.
Arnoullet.
1547.

BIBLIOTEKA KOPERNIKA PAN I

P.
N. 1983



